W. Henry Green
Princeton N.J.

July 18. 1856

DE

LIBRIS HISTORICIS ANTIQUI FOEDERIS

PRAELECTIONES

IOSEPHI GHIRINGHELLO

IN REGIO TAURINENSI ATHENAEO

SACRARUM LITTERARUM PROFESSORIS

AUGUSTAE TAURINORUM

EX OFFICINA REGIA

MDCCCXLV – VI.

DE LIBRIS HISTORICIS ANTIQUI FOEDERIS

PROOEMIUM.

I. Libri historici Antiqui Foederis ii dicuntur qui Hebraici populi casus et vices ab eius in Palaestinam ingressu ad Babylonicam usque captivitatem, atque a restituta libertate ad aetatem proxime Christo superiorem ordine fere perpetuo persequuntur, et iuxta Catholicorum canonem sexdecim numerantur; Iosue nempe, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae, Nehemiae, Tobiae, Iudith, Esther, et duo Machabaeorum. De hisce itaque hoc anno, pro instituto nostro, dicturi cuiusque libri authenticitatem, integritatem, auctoritatem, divinitatem singillatim tuebimur, unaque praecipua quae in iis continentur facta ab Incredulorum atque *Rationalistarum* oppugnationibus vindicabimus, non eo sane consilio ac si horum librorum dignitas atque praestantia tantummodo

ab argumentorum pondere aestimanda sit quae pro iis tutandis proferemus; simul ac enim Synagogae iudicio, atque supremo Christi, Ecclesiaeque ab ipso institutae testimonio probati sunt, nulla amplius de ipsorum auctoritate ac fide oriri potest dubitatio; verum cum revelatio firmissimum scientiae munimen sit, non autem impedimentum, nos criticae artis praesidia, quibus aetate hac nostra plurimi abutuntur, iuxta catholicam amussim ad credentium animos in fide roborandos, eosdemque contra speciosam sed fallacem pseudo-criticorum scientiam praemuniendos, Deo dante, convertemus. Id autem duplici argumentorum genere praestabimus, tum enim ex cuiusque libri visceribus, tum ex aliorum consensu atque suffragio illa depromemus; Hebraica siquidem natio, quod eius privilegium est, perpetuos nobis exhibet annales a generis humani exordio ad extrema reipublicae tempora decurrentes, qui, utut alia atque alia aetate a variis scriptoribus editi, intimo nexu se se mutuo excipiunt, miro consensu in unum, eumdemque scopum conspirant, atque sibi invicem lumen affundunt, suffragium ferunt. Quare cum saepe in historiae profanae documentis pensandis aut externa nos, aut interna praesidia deficiant, haec utraque sacrae critices cultori praesto sunt, quo fit ut vel ipsi profanae antiquitatis studiosi plurimum inde utilitatis, ac certam veluti normam in tenebricosis gentium annalibus declarandis desumant. Ast quod momentosum magis, et nostrum

cumprimis maxime refert, intimam divinae revelationis atque humani generis instaurationis oeconomiam, hoc seposito sacrae historiae lumine, nunquam assequemur; cum enim non haec aut illa individua, sed genus ipsum instaurare Deus decrevisset, hanc innovationem certis quibusdam temporis atque spatii legibus, quae caetera humanae naturae incrementa, imo universum rerum ordinem moderantur, temperavit; quare quemadmodum geologia atque astronomia, quae planetae huius nostri aliorumque siderum praeteritas vices et conversiones aperiunt, nos penitiori generalium legum physicarum cognitioni initiaverunt; ad hominis vero naturam apprime dignoscendam, ipsamque quadantenus posteritatis sortem praesentiendam superiorum temporum memoria conducit (psychologiam propterea et historiae, quam dicimus, philosophiam historica criticorum studia promovent in dies), ita quanta fuerit humano generi illata per protoparentem pernicies, quam praesentissimum per Christum remedium oblatum, manifesto discimus ex longa saeculorum serie quae ipsum praecessit; nam continua illa pugna inter legem et mores, alterni progressus atque regressus quibus Synagoga laetitia aut moerore a Mose ad Christum vicibus affecta est, et desperatam morbi naturam, et caelestis remedii necessitatem patefecerunt, indeque omnibus apertissimum fuit Mosaica instituta quae Hebraeorum plerisque non ferendum onus fuerunt, piorum autem atque iustorum desideria incendebant

nedum explerent, non nativum atque spontaneum Abrahamidarum germen fuisse, sed semen divinum solo arenoso commissum, quod Dei beneficio altum et fotum in *bonam olivam* excrevit, cuius tamen *rami propter incredulitatem fracti sunt*, et in eorum loco *Gentium oleaster insertus* (*a*). Cum autem omnia *Hebraeis*, Paulo docente, *in figura contingerent* (*b*), ct Synagoga adumbraret Ecclesiam, praeterea individuorum et socictatis rationes quamsimillimae sint, pronum erit colligere quot cuiusque momenti homini Christiano ad pietatem fovendam, ad fidem confirmandam cx historicis hisce libris eruenda sint; idque eo facilius, quod haec corollaria veluti sponte ex ipsorum librorum natura atque ordine manant; quandoquidem alii rei universim publicae conditionem praesertim describunt, uti Iosue, Iudicum etc., alii contrario, uti Ruth, Tobiae etc. peculiares privatorum rationes singularitcr persequuntur, omnes tamen consentiunt, collineant omnes; quae diversorum in idem nullo studio, nullaque industria quaesita conspiratio, ceu tutissima vcritatis tessera in singulari quam adgredimur disquisitione oculis semper obversabitur; hac nempe rationc facilius erit aditum omnem captiosis Incredulorum argutiis, atque eruditis *Rationalistarum* minutiis praecludere.

(*a*) Rom. xi.
(*b*) I Corint. x, 11.

CAPUT I.

DE LIBRO IOSUE.

II. Iosuas, hebraice יְהוֹשׁוּעַ (*a*) (*cuius auxilium Iehova est*) antea Osee הוֹשֵׁעַ (*servator, salus*) vocabatur (*b*), quae nominis commutatio a Mose facta fuisse videtur, cum ope divina per ipsum implorata, Amalecitae a Iosua caesi sunt (*c*); strenui ducis fortitudo et constantia iterum inclaruit, cum a Palaestinae exploratione cum sociis reversus, hos prae timore ficta aut exaggerata referentes ipse cum Calebo falsitatis arguere ausus est, quamobrem Dei iussu Mosi morituro sufficitur, et imperatoria auctus dignitate, exercitum in expeditionem educit, Chananaeis devictis, regionem potitus, hanc Hebraeis sortito distribuit. Liber qui eius nomine inscribitur praecipua complectitur quae ipso impe-

(*a*) Unde per apocopem sequiori hebraismo usitatam (II. Esdr. VIII, 17) יֵשׁוּעַ, atque hinc pronunciatione ab Alexandrinis eo aevo recepta Ἰησοῦς Ναυῆ, Iesus filius Nave; quod postremum ex librariorum vitio ortum est, qui η vel H pro ν vel N in fine posuerunt, hebraice siquidem est בִּן־נוּן

(*b*) Num. XIII, 9.

(*c*) Exod. XVII, 10. - 13.

rante (*a*) gesta sunt, atque inter historicos merito primum obtinet locum, quippequi non modo ordine prior est, sed factorum pondere et gravitate ceteris praestat; hic enim Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Iosepho, Mosi obligatam a Deo fidem nobis exhibet liberatam, et Patriarcharum vota soluta, temporaneo ac terrestri Iehovae regno aeternum atque caeleste τυπικῶς adumbratum, Hebraeos ex Ægyptia servitute in libertatem assertos nunc primum stabili patria donatos; hic antiquissimam profert et omnium primam geographicam tabulam, in qua Palaestinae in universum fines et limites, montes et amnes, urbes et oppida accurate pro iis rerum et temporum adiunctis describuntur; hic demum praeclara virtutum exempla, foeda scelestorum facinora, splendida divinae voluntatis beneficia, teterrima irati numinis supplicia producit, quae supremam illam lugubrem simul et laetam catastrophem praesignificant, qua caelo, terraque instauratis, novus *saeclorum ordo nascetur*. Apposite igitur Patres non modo nomine tenus, sed re ipsa Iosuam ut *Servatoris* typum suspexerunt, qui populum acquisitionis (*b*), Agni sanguine (*c*) redemtum, in terram optimam et egregiam (*d*), in cae-

(*a*) Alii breviori, alii latiori temporis intervallo haec omnia concludunt; nobis non vacat diversas Interpretum sententias excutere, neque operae pretium censemus, nam accurata temporis definitio hagiographi scopo parum aut nihil conducebat.

(*b*) I Petr. II, 9.

(*c*) Apoc. VII, 14.

(*d*) Deuter. III, 25. IV, 22.

lestem Ierusalem (*a*) immortalem de hostibus agens triumphum introducit. Ex quibus manifesto conficitur quanti hic liber faciendus sit, quae quantaque momenta habeat, quam mox ingredimur, disquisitio.

ARTICULUS I.

De libri Iosue aetate et auctore.

III. De aetate atque auctore huius libri non una est criticorum sententia; alii Esdrae attribuunt, alii Samueli, nonnulli Eleazaro, aut Phineeso; plures tamen, ex recentioribus praesertim, aut cum Talmudicis Iosuae assignant, aut a scriptore aequali conscriptum, vel saltem ex coaevis documentis desumtum asseverant. Hos inter eminet Claudius Henricus Van Herwerden, qui peculiari edita dissertatione (*b*) probare contendit Iosue librum ex decem monumentis constare, stylo, dictione, et narrationis argumento apprime inter se discretis, horum vero nullum Iosuae, omnia tamen auctoribus tribuènda Iosuae aequalibus, rerumque

(*a*) Hebr. XII, 22.

(*b*) Disputatio de libro Iosuae, sive de diversis ex quibus constat Iosuae liber monumentis, deque aetate, qua eorum vixerunt auctores. Groningae 1826. 8.°

testibus quas scripto consignaverint, licet liber postea, hic illic, fuerit interpolatus. Nempe eadem ferme ratione qua Astruchius Genesim, Eichhornus hanc et Iosue librum ex variis fragmentis (diversae tamen aetatis) conflatum commenti sunt, germana ipse hypothesi Iosue librum coaluisse auguratur; nos librum hunc ex coaevis documentis certissime desumtum, nec ullo unquam tempore interpolatum, sat probabiliter Iosuae auctori adscribendum esse, demonstrandum suscipimus.

IV. Achabi aetate scripto iam fuisse exaratum probabili coniectura colligimus ex iis quae III Reg. XVI, 34 leguntur: « in diebus eius (*Achab*) ae-
» dificavit Hiel de Bethel, Iericho: in Abiram pri-
» mitivo suo fundavit eam, et in Segub novissimo
» suo posuit portas eius: iuxta verbum Domini,
» quod locutus fuerat in manu Iosue filii Nun. »
Haec comminatio legitur Ios. VI, 26; duo hinc consequuntur: aetate qua scriptus est liber Iosue, eius imprecatio nondum eventu fuerat comprobata, alioquin scriptor id memorasset; at Achabi aetate iam editus, ipsissima enim illius verba, utque omnibus nota ac vulgatissima referuntur, quae allegatio potius scripto documento convenit quam orali traditioni.

V. At maioris ponderis argumentum nobis suppeditat Ios. XVI, 10. coll. cum III Reg. IX, 16; hic enim legimus: « Pharao rex Ægypti ascendit, et
» cepit Gazer, succenditque eam igni: et Chana-
» naeum qui habitabat in civitate interfecit »; con-

trario auctor libri Iosue fidenter asserit: « non » interfecerunt filii Ephraim Chananaeum, qui ha- » bitabat in Gazer, habitavitque Chananaeus in » medio Ephraim usque in diem hanc tributarius »; quae postrema verba satis ostendunt scriptoris aetatem regnum Salomonis antecessisse.

VI. Verum non solum ante Salomonis aetatem, sed ante septimum regni Davidis annum Iosue librum vulgatum fuisse colligimus ex Ios. xv, 63. coll. cum ii Reg. v, 6. - 8.; primo scilicet in loco legimus: « habitavisse Iebusaeum cum filiis Iuda in Ieru- » salem, *usque in praesentem diem* »; in altero docemur Davidem anno septimo regni sui Sion expugnavisse, et Iebusaeos inde exturbasse; nec refert quod sub finem regni sui David ab Areuna Iebusaeo aream in ipsa Hierosolymorum urbe sitam pretio emerit, ii Reg. xxiv, 16, et Salomonis aetate Iebusaei inter eos censeantur, quos non potuerunt filii Israël exterminare, iii Reg. ix, 20. 21; non enim contendimus a Davide excisos omnes atque deletos, sed de arcis possessione deturbatos; quod si nonnulli nec vita nec bonis multati sunt, id Davidis generositate factum, cui mutata temporum ac personarum adiuncta mitiora cum iis belli iura suaserant (*a*). Areunam regis quidem nomine

(*a*) Davidis consilium forte divinitus indictum ratum habuit Deus cum aream Iebusaei selegit, ut altare ibi exstrueretur, et hac ratione gentium vocationi quodammodo praeluderet; sic postea viris et mulieribus Israëliticis, vidua Sareptana, Naaman Syrus (Luc. iv, 26, 27) et Samaritana (Ioh. iv, 7) praeponuntur.

honestant Biblia Clementina; at regis nomen desideratur in Sixtinis, in versionibus Arabica, Syriaca, Graeca LXX, necnon in aliquibus codicibus hebraicis (*a*).

VII. Accedit aliud argumentum ex ipsa libri Iudicum aetate depromtum, quem sub Saulis regni exordium, aut saltem non infra septimum Davidis regni annum prodiisse critici melioris notae fatentur, et nos suo loco ostendemus; at vero libros Iosue et Iudicum simul conferenti manifestum est, primum altero antiquiorem esse: non modo enim multa et quidem ad verbum hic ab illo mutuatur; confer. Iud. II, 6-9 cum Ios. XXIV, 28-31. Iud. I, 29 cum Ios. XVI, 10; non modo quaedam exinde repetit atque declarat, sed narrationem a Iosuae obitu exorditur, et pro certis ponit praecipua quae illo imperante gesta sunt, Palaestinam nempe prodigiis potiusquam armis acquisitam, sortito divisam, limites cuique tribui assignatos, quae quidem auctor neutiquam silentio praeteriisset nisi scripto antea fuissent exarata.

VIII. Haec igitur eo nos ducunt ut statuamus libri auctorem factis quae narrat coaevum aut supparem fuisse, aut saltem narrationem suam ex coaevis documentis hausisse, id porro quod interna indicia apprime confirmant. Revera scriptor ipsa Calebi Ios. XIV, 6-12, Phineesi et legatorum XXII, 16-20, tribuum XXII, 21, Iosuae demum verba

(*a*) V. Derossi Variantes ad h. loc.

xxiii, xxiv, refert accuratissime. Minutissima quaevis temporum, personarum, locorum adiuncta persequitur quae sola traditione vix ac ne vix quidem servari potuissent. Ita loquitur ac si rerum quas narrat testis ipse et pars magna fuerit: Ios. v, 1, ubi Vulgatus legit *donec transirent*, hebraice est עֲד־עָבְרָנוּ *donec transissemus*; ibidem reges Amorrhaeorum dicuntur inhabitantes *trans Iordanem ad occidentalem plagam*, quae loquendi ratio accommodatior est scriptori, qui, ut Iosuas, aut coaevus, diu una cum populo extra Palaestinam fuerit commoratus. Neque scriptor non coaevus ausus fuisset affirmare lapides in medio Iordanis alveo ob prodigii monimentum positos adhuc inibi esse Ios. iv, 9, quippe non verisimile est praecipitem aquarum impetum diutius sustinuisse; neque potuisset asserere: « Rahab . . . . et domum patris eius . . . habitavisse » in medio Israel, usque in praesentem diem » vi, 23 »; atque interea de eius nuptiis cum Salmone (*a*) silere. Descriptio Palaestinae tributim partitae non sequitur ordinem geographicum, sed sortitionis xv-xix; Sidon magna vocatur ceu Phoenicum metropolis xi, 8, xix, 28, et Davidis aetate potior erat Tyrus (*b*); extremi Palaestinae limites xi, 17, xii, 7, peculiari ratione Iudicum aetate iam obsoleta designantur. Sermo non solum a chaldaicis et recentioribus vocibus immunis est, sed stylo

(*a*) Matth. i, 5.
(*b*) Gesenius, Comment. über Ies. 1. Th. Seit. 725.

Pentateuchi quamsimilis. Omnia demum Iosuae temporibus aptissima, nil quod recentiorem redoleat aetatem, ut magis magisque ex dicendis patebit.

IX. Iamvero si scriptor factis coaevus dicendus est, nil vetat quominus Iosuam fuisse affirmemus, imo plura sunt quae suadent; eius enim erat efficere, ut ad seram usque posteritatem certa finium designatio transiret, nec absque scripto documento fieri potuisset ut nullo unquam tempore aliquae hac de re lites, concertationes orirentur; cedo exemplum: Ios. XXI, 19 filiis Aaron tredecim civitates assignantur, eius familia non adeo excreverat ut posset ipsa per se tot civitates cum suburbanis incolere, repugnat interea incolis vacuas fuisse, sed non ita facile soboli in dies succrescenti locum tandem temporarii habitatores cessissent, nisi publica atque authentica documenta exstitissent, neque authentici nisi aut Iosuae partitionis auctoris manu exarata, aut eius saltem auctoritate sancita. Nec minus Iosuae intererat curare ut intemerata et vivida ad nepotes transiret illorum eventuum memoria, qui ut immensae in Hebraeos divinae voluntatis monumenta, ipsorum menti perpetuo obversari debuissent, eosque ad grati animi ac religiosi sensa excitare. Mosis porro exemplum qui res se legislatore ac duce gestas non traditioni commiserat, sed scripto consignaverat, Iosuam eius successorem hortabatur ut et in hac re tanti ducis vestigiis insisteret, quod cum in finium descriptione XVIII, 8, 9, atque in solemni sub vitae finem habita concione

praestitisse exploratum sit, ita in ceteris pariter describendis eius vestigia pressisse colligimus ex XXIV, 26, ubi de Iosua dicitur: *scripsit quoque omnia verba haec in volumine legis Domini*; quae verba quominus de una concione intelligantur multa sunt quae prohibeant; neque enim si hanc tantum Iosuas descripsisset, eamdemque Pentateucho apposuisset, quispiam eam inde avellere, atque ad calcem libri Iosue detrudere ausus fuisset; eadem praeterea argumenta quae probant versiculum 24, cap. XXXI. Deuteronomii Pentateuchum in universum respicere, simul evincunt versiculum 26, cap. XXIV. Iosue de integro libro esse intelligendum; sane ubi mors et sepultura Iosuae narratur XXIV, 29, 30., eadem styli diversitas occurrit, quae in Deuteronomii cap. XXXIV, 5 seq., ubi de Mosis obitu ac sepultura sermo est; hic Moses summis afficitur laudibus, illic Iosuas *servus Dei* audit, quod arguit ab altero scriptore haec adiecta fuisse, qui si praeterea et cetera scripsisset, neque in hisce postremis stylum mutasset, neque in narrationis decursu adeo a laudibus temperasset. Adde postremo, totam narrationem ita Mosis spiritum referre, ut candidus lector atque sincerus nequeat non advertere haec ab eo conscripta fuisse *qui repletus est spiritu sapientiae, quia Moyses posuit super eum manus suas*, Deuter. XXXIV, 9. Recolantur tum eius sermones Ios. VI, 17 - 19. VII, 6 - 10. XXII, 1 - 6, 8. XXIII, 1 - 16. XXIV, 2 - 28; tum perpetui respectus ad Mosis praecepta, minas, promissa, quos nusquam alibi tam frequenter

offendimus: Ios. I, 7, 8, 13, 14, 15, 17. III, 6, 7, 8, 11, 17. IV, 10, 14, 21. VI, 17-19. VIII, 30-35. IX., 21-27. XI, 6, 9, 12, 15, 20, 23. XII, 6. XIII, 8, 12, 24, 29, 32. XIV, 6, 7, 9, 12. XVII, 4. XVIII, 1, 6, 7. XIX, 50. XX, 2-9. XXI, 2-3, 8. XXII, 5, 8, 9. XXIII, 6, 7, 11-13, 15-16. XXIV, 5-13. Quae omnia nostram de libri aetate atque auctore sententiam confirmant.

X. Quae cum ita sint iam liquet quanti facienda sint plurima quae contra libri authenticitatem passim opponuntur; simulac enim sat firmis indiciis libri alicuius aetas vel auctor definita sunt, quaecumque recentiorem aetatem sapere videntur tanti non erunt ut suum libro auctorem eripiant, aut probent serius fuisse vulgatum, ad summum ostendent quaedam dein adiecta fuisse aut immutata; quae si a ceteris facile secernantur, imo si a legitima auctoritate (quales profecto hagiographi) apposita sint, non modo libri authenticitati ac genuinitati sed ne integritati quidem officiunt. At nos nil tale in libro Iosue reperiri fidenter asserimus, ipsisque adversariorum argumentis thesim nostram roborare confidimus.

Primum multa producunt urbium ac locorum nomina quae nonnisi longo post Iosuam tempore (eorum sententia) invaluerunt, sic: *Hebron ante vocabatur Cariath Arbe* Ios. XIV, 15; *Dabir .... prius vocabatur Cariath Sepher* XV, 15; *Cariathbaal, haec est Cariathiarim urbs silvarum*, ib. 60; *Iebus, quae est Ierusalem* XVIII, 28; urbs munitissima Tyrus XIX, 29, CCCL annos post exitum Hebraeorum ex Ægypto primum aedificata; Cabul XIX, 27, nomen regionis ab

Hiram Tyriorum rege Salomonis aetate impositum (III Reg. IX, 13); Iecthel XV, 38, cui primum Amasias hoc nomen fecit (IV Reg. XIV, 7); Galilaea XXI, 32, Galilaea montis Nephtali XX, 7, quae divisio Galilaeae in inferiorem Aser et Nephtali, et superiorem Zabulon et Issachar, Babylonicam captivitatem subsecuta est; Bethel Luza XV, 2. nonnisi Iudicum aetate excitata (Iud. I, 21); tandem distinctio montium Iuda et Israël XI, 21, quae ante Ieroboami scisma non obtinuit.

Verum haec nullius momenti sunt, quippe solido fundamento destituta; nam ex eo quod urbes, regiones, et oppida duobus interdum nominibus donentur, non sequitur ambo coaeva esse non posse, aut alterutrum post scriptoris aetatem libro insertum; sane Hebron, Dabir, Cariathiarim, Ierusalem nomina sunt primitiva ac propria, quibus interdum alia appellativa vel addita vel suffecta sunt; quare quae Hebron dicitur Gen. XXXV, 27, eadem ibi et Mamre, et civitas Arbee nuncupatur; Ios. XV, 49 Dabir vocatur etiam Cariathsenna; sic quae prius Ierusalem (*a*), postea civitas Iebus, dein David dicta est, quin tamen primum illud nomen utpote primitivum et proprium unquam obsoleverit. - Tyrus, cuius in libro Iosue fit mentio, hebraice urbs munimentum rupis (*b*), non nova et celeberrima Tyrus intelligenda est postea in insula condita, sed vel antiqua ἡ πάλαι Τύρος, e regione in continenti sita, vel alia quaevis hoc ipso nomine donata; Tyrus enim hebraice צִיר rupem designat, quare nil mirum si pluribus Phoeniciae

(*a*) Haec antiquitus (Gen. XIV, 18) Salem שָׁלֵם pacem colens, dein Ierusalem pacis habitatio dicta est, praemissa voce יְרוּ i. q. وَرِيٌّ homines, seu domus, habitatio, eadem ratione qua بَيْت a domo ad incolas transfertur. V. Gesenii Lexicon manuale hebr. et chald. ad v.

(*b*) עִיר מִבְצַר־צִיר

civitatibus nomen hoc iuxta Bochartum fuerit commune. Cabul (*a*) Ios. xix, 27 oppidum; iii Reg. ix, 13 regionem designat, idem nomen, at quae homonyma non ideo eadem; profecto si nostra hac aetate novis quae conduntur urbibus, aut qui deteguntur orbis tractibus non nova semper tribuuntur nomina, id minimum fieri debuit ea tempestate qua non inania, ut plerumque fit, sed significantissima tribuebantur. — Eapropter nil vetat quominus Iecthelis (*b*) nomen, quod Amasias petrae, arci scilicet in valle Salinarum imposuit, iam inde a Iosuae temporibus urbis in tribu Iudae proprium esset; ea videlicet ratione qua eadem nomina pluribus quandoque viris communia in sacris litteris reperimus, ita iisdem saepe variae civitates denotantur. — Galilaea (*c*), hebraica vox circulum significat, nomen regioni cuicumque definiendae accommodatum, et post captivitatem Babylonicam proprium factum est nomen quod antea fuerat commune (*d*). — Bethel Luza Ios. xvi, 2 duo distincta unius eiusdemque loci nomina sunt, qui cum Luza prius vocaretur, Bethelis nomen a Iacobo sortitus est (Gen. xxviii, 19): Luza Iud. i, 26 altera est civitas a viro Bethelita alibi aedificata, qui obsoletum patriae suae nomen hac ratione voluit excitare. Cum tribus Iuda bellantium numero ac fortitudine iuxta atque regionis amplitudine ceteris praestaret, primasque in Palaestinae occupatione ex primogeniti iure, et fatidica Iacobi voluntate (Gen. xlix, 8-10) obtinuisset,

(*a*) כָּבוּל forte idem ac גְּבוּל finis, limes, apud Orientales enim frequens litterarum ג et כ commutatio; hoc sensu LXX verterunt Ὅριον terminum, nomen regioni et oppido perinde accommodatum.

(*b*) Hebraice יָקְתְאֵל a Deo subactum, congruit urbi et arci Dei auxilio expugnatae.

(*c*) גָּלִיל גְּלִילָה idem quod כִּכָּר circulus, orbis, italice *circuito*, *distretto*, *circondario*.

(*d*) Ita apud Italos vocabulum *Marche*, *la Marca d'Ancona*.

saepe reliquis tribubus simul sumtis tum politice, tum geographice opponitur (*a*); quae virtutis fortunaeque praestantia non quidem caussa, at non ultima demum schismatis occasio fuit; nam nimia conditionis disparitas fastum creat et invidiam, hisce animi dissociantur, animorum dein discordia parit civitatis dissidium.

Neque maioris facimus quae regeruntur: Ios. vi, 19 *thesauros*, et ix, 23 *domum Dei* memorari, quasi nempe et res, et nomen uni Salomonis templo conveniant; at vero Exodi xxiii, 19, Deuter. xxiii, 18, tabernaculum appellatur *domus Dei*; ex citato autem Exodi loco, necnon ib. xxxv, 5, Num. xxxi, 25 seq., cf. ii Reg. viii, 11, sacros iam tunc thesauros auro, argento, aere, primitiis, servis ancillisque constantes colligimus fuisse. — Nec pariter negotium facessit quod civitates Gabaon, Caphira, Beroth, et Cariathiarim Ios. ix, 17 Gabaonitarum propriae xv, 9, Iudae et Beniamin assignentur xviii, 25, cum tamen Gabaonitae Saulis tantum temporibus exinde expulsi sint, nam Iosuae aetate harum civitatum dominium quidem in Iudam et Beniamin, et quod ad Gabaon, in Sacerdotes translatum est, Gabaonitis tamen tributariis easdem incolere permissum.

Eodem in censu veniunt reliquae difficultates. Aiunt enim 1.° Saepe haec verba iterari: *usque in praesentem diem* (*b*), ex quibus manifestum sit, multum iam temporis inde a factorum aetate praeteriisse; at facta coaeva iisdem verbis denotari ostendunt loca Deuter. iii, 14. x, 5. Matth. xxvii, 8. xxviii, 15. — 2.° Scriptorem ut fidem prodigiosae solis stationi conciliet, provocare ad librum Iustorum, Ios. x, 13; absonum autem esse auctorem coaevum ad rem vulgatissimam testandam scripto hoc documento

(*a*) Iud. i, 1-2. xx, 18. i Reg. xi, 8. xv, 4. V. König, Alttestamentliche Studien. s. 86 ff. qui te docebit geographicam divisionem iamdudum politicam praecessisse.

(*b*) Ios. iv, 9. v, 9. vi, 25. vii, 26. viii, 29. ix, 27. xiii, 13. xv, 63. xvi, 10.

indiguisse, et quidem recentiori, ut colligere est ex Davidis (*a*) elegia super Saul et Ionathan inibi inserta. Verum non abhorret ab hagiographi consilio aliorum scriptorum testimonio uti, licet iisdem ad fidem faciendam non indigeat; sic Petrus Paulum (*b*), imo hic oblique Aratum, Cleantem, Pindarum testes adhibuit (*c*); ceterum Iosuas non in coaevorum modo, sed et in posterorum gratiam conscribens, utrosque ad oralem et scriptam provocat traditionem; Hebraeis enim vatibus mos erat post relatam aliquam victoriam, aut insigne a Deo acceptum beneficium, carmina condere eaque describere, quo rectius atque facilius eadem populus doceretur; hoc Deo mandante praestitit Moses Deuter. xxxi, 19; liber autem Iustorum (*d*) nil aliud fuisse videtur quam sylloge sacrorum canticorum variis de rebus, variisque temporibus conditorum; quare non modo Davidis, sed et Iosuae aetate potuit esse vetustior, atque auctior in dies fieri et locupletior. — 3.° In conventu Silunte habito totius Israëlis Ios. xxii, 9 nullam Iosuae fieri mentionem, quod probat post eius obitum coactum fuisse. At in vivis egisse colligimus ex v. 1 eiusdem capitis, et insequentis, quibus scriptor tacite innuit populum a Iosua fuisse convocatum, Phincesum cum decem principibus in legationem missum. — 4.° Demum quaedam hic narrari quae nulla ratione a Iosua conscripta esse queant; cuiusmodi sunt eiusdem mors et sepultura Ios. xxiv, 29 seq., expugnatio Hebron et Dabir per Calebum et Othonielem xv, 14-19, Dani-

(*a*) ii Reg. i, 18.

(*b*) ii Petri iii, 15.

(*c*) Act. xviii, 28. Confer Arat. Phaenomena v. 5. Cleant. Hymnum in Iovem v. 5. Pindar. Nem. vi, v. 1, seq.

(*d*) סֵפֶר הַיָּשָׁר liber iusti collective loco iustorum, probitate scilicet aut bellica virtute praestantium, quo sensu celebris cuiusdam apud Arabos anthologiae liber primus حَمَاسَة idest virtus bellica inscribitur. V. Gesenii Lexicon sub v.

tarum expeditio xiv, 47, quae Iosua defuncto contigerunt. Vide Iud. i, 10-15. xxiii, 1 seq. — Quod ad Iosuae funera non diffitemur, imo contendimus hanc pericopam ab alio scriptore adiectam fuisse, at quemadmodum ob postremos Deuteronomii versus integrum Pentateuchum Mosi non abiudicamus, ita neque libri Iosue conclusio aliquid contra libri authenticitatem, aut integritatem facit, sed uti prooemium libri consequentis accipimus. Nec tandem a duabus postremis difficultatibus quidquam movemur, tametsi omnibus ferme interpretibus tanti visae sint, ut vel integrum librum, vel hasce saltem pericopas ceu additamenta habuerint recentioris aetatis. Nobis e contrario quod Iud. i, 10-15 legitur brevis epilogus est eorum quae passim in libro Iosue narrantur, et difficultatem inde ortam putamus, quod interpretes non satis attenderint ad hiulcum orationis genus Iosuae cum vetustissimis scriptoribus, orientalibus praesertim, commune, qui facta synchrona cum omnibus suis adiunctis non iam certo ordine digerunt, sed alia aliis interserunt, nectunt, ita tamen ut quae superius aut omissa aut brevius sunt indicata, inferius supplcantur, evolvantur; fit inde ut quae fragmenta videntur, unius eiusdemque narrationis partes sint, quam scriptor vicibus inchoat et claudit, concludit et instaurat. Re quidem vera Ios. x, 37-39 legimus Hebron et Dabir funditus fuisse deletas; xi, 21-23 idem repetitur, et additur Enacim etiam peremtos fuisse; xii cum describenda esset sors tribui Iudae destinata, et pars quae in eadem Calebo obtigerat, scriptor ea praemittit quae multo prius acciderant, petitionem scilicet a Calebo Iosuae factam cum hic in Galgalis moraretur, et praelium adversus quinque reges foederatos adornaret, x, 6, coll. cum xiv, 6; hanc petitionem exauditam, et Hebronis occupandae ius Calebo concessum narrat scriptor xiv, 6-15, at revera occupatam fuisse tradit dumtaxat capite sequenti, occasione inde sumta quod non modo *termini* sortis Iudae describendi xv, 12, sed *possessio*

tribus filiorum Iuda esset designanda ib. v. 14; nunc primum nomina filiorum Enacim indicantur, et quae quantaque fuerit petitionis xiv, 12, amplitudo, xv, 15-16 declaratur. Haec porro singula nullo ferme intervallo fuisse discreta, ex eo liquet quod Caleb Hebronis montem sibi petierit octoginta quinque annos natus, quadraginta quinque annis postquam exploratoris munere functus fuerat, xiv, 10; cum vero quadraginta annos natus ib. v. 6, anno secundo post excessum ex Ægypto, id officii susceperit (Num. xiii), proindeque triginta et octo annis adhuc in deserto commoratus sit, calculo subducto, Calebi petitio incidit in annum septimum post Hebraeorum ingressum in Palaestinam (*a*); petiit autem Hebron mox occupaturus, quia adhuc viribus pollens xiv, 11, iamvero post Iosuae obitum pene centenarius fuisset, eapropter bello minus idoneus; praeterea eo circiter tempore Hebron captam, deletos Enacim scriptor affirmat x, 37-39. xi, 21-23; ergo haec varia loca unum idemque factum respiciunt, et in plures quidem partes distincta ac veluti discerpta, una tamen narratio est. Ideo autem Hebron et Dabir oppugnatae a Iosua traduntur x, 36-39, quia militum gesta supremo duci quodammodo reputantur; sane Hebron cum omnibus urbibus munitis quae monti insidebant Calebo traditae sunt, licet Dabir ab Othoniele eius nepote expugnata sit et occupata xv, 16. — Atqui, inquies, haec post Iosuae obitum contigisse auctor libri Iudicum tradit apertissime. — Hoc inficiamur: auctoris consilium est graphice ob oculos ponere conditionem Israëlis post Iosuae mortem, et seniorum qui longo post eum tempore vixerunt, et noverant omnia opera Domini quae fecerat cum Israël, Iud. ii, 7, ut uno intuitu pateat quinam ex hostibus devicti, quinam adhuc forent debellandi; eodem igitur, ac supra diximus, hiulco narrationis genere

(*a*) 40 + 38 + 7 = 85.

usus, iis quae Iosuae mortem consecuta sunt, ea subnectit atque permiscet, quae illam praecesserunt, quare narrationem Iud. I, 1-3 inchoatam, v. 17 iterum nectit; pericopam vero 4-16 ideo inserit, ut omnia simul coniungat quae a Iuda vel seorsum vel iunctis cum Simeone viribus gesta sunt. Profecto auctorem chronologiae parum sollicitum produnt non modo v. 20, sed et vv. 6 seq. cap. II, ubi abruptam instaurans narrationem, rem altius repetit, ac denuo a Iosuae morte exorditur. — Danitarum denique expeditionem Iud. XVIII multo antea contigisse tum ex eo patet, quod parum verisimile sit Daniticam familiam (*a*) ad ea usque tempora omnis possessionis vacuam permansisse, tum ex eo quod Ionathan Mosis nepos, et Phinees Iosuae aequalis adhuc vitam agerent Iud. XVIII, 30. XX, 28., et tamen Ionathan Sacerdos per ea tempora in tribu Dan, iam alteri Levitae successisset XVIII, 27; haec itaque expeditio circa Iosuae tempora contigisse videtur; nec refert quod Iud. XVII, 6. XVIII, 1, 31, legamus « in diebus illis » non erat rex in Israël, sed unusquisque quod rectum » sibi videbatur hoc faciebat »; et absurdum prima fronte videatur, Iosuae aetate tantum facinus aut perpetrari, aut inultum abire potuisse; cum enim non de idolo proprie dicto (*b*), neque de solemni ac publico cultu, sed de privato primum sacello, neque postea statim Ionathan Aaronis familiae Sacerdos, sed obscurus adolescens Levita sacerdotali munere apud Danitas functus sit, nil mirum si quae clanculum et in extremis terrae confiniis acciderant,

(*a*) De familia tribus, non de tribu ipsa sermonem esse tum res ipsa per se, tum contextus Iud. XVIII, 2, 11, tum demum prodit loquendi ratio: שֵׁבֶט הַדָּנִי non est tribus, sed familia Dan; tribus Dan dicitur מַטֵּה דָן vel שֵׁבֶט דָּן; et iidem qui XVIII, 1, vocantur שֵׁבֶט הַדָּנִי, v. 11, dicuntur מִמִּשְׁפַּחַת הַדָּנִי de familia Danitica.

(*b*) Quod suo loco ostendemus.

Iosuam latere potuerint, praesertim cum Hebraeorum respublica laxiori tunc foederatorum, non firmiori monarchiae vinculo colligaretur.

Quae cum ita sint, apertissimum est quam labili fundamento suas Eichhorn, Bertholdt, De Wette (*a*), Maurer (*b*), A. Van Herwerden (*c*) hypotheses superstruxerint, qui ex his aliisque similibus locis Iosue librum ex variis variorum documentis conflatum, aut saltem ut Haevernick (*d*) variis superioris aetatis accessionibus auctum asserere non dubitarunt.

Quod pertinet ad criticam textus integritatem, plura ab audacioribus uti amanuensium sphalmata habentur, quae talia non sunt; itaque quod Ios. xv, 20-31 urbes triginta sex singillatim censeantur, et v. 32 vigintinovem dumtaxat subducantur; quod quaedam aliquando civitates oppidave aut omittantur, aut adiiciantur, limites plus minusve definiantur, id probat Iosuam mappis authenticis ipsius auctoritate paratis liberrime usum fuisse; historicus quippe geographicis aut genealogicis tabulis pro re nata utitur, sed eas serviliter non describit. VV. 36, 37 cap. xxi, in masorethicis exemplaribus deficientes contra optimorum codicum, versionum, et multarum editionum fidem exulare, plurima eruditione probat clarissimus noster Derossi (*e*).

(*a*) In suis Introdd.

(*b*) Comment. in lib. Ios.

(*c*) Diss. sup. cit.

(*d*) Einleit. in das A. T. 2. Th. 1. Abth. 1. s. 20., a quo tamen, licet e *Protestantium* schola, nonnulla in nostros usus derivasse candide profitemur; hac autem occasione tirones nostros monitos volumus, ut non antea ad haec aliaque id genus quae passim a nobis allegantur doctiorum *Acatholicorum* opera pervolvenda accedant, quam eorum legendorum copia ipsis data sit, et firmioribus critices Catholicae praesidiis fuerint instructi, quod semel monuisse sat erit.

(*e*) Variant. Lect. V. T. tom. II. pag. 96-106.

ARTICULUS II.

De libri Iosue fide historica et divina.

XI. Quae libri authenticitatem probant, eadem eiusdem auctoritatem confirmant; etenim cum a Iosua ipso aut ab aequali conscriptus, aut saltem a coaevis documentis certissime desumtus sit, singula vero quae in eo continentur, quippe publica atque solemnia coaevis vulgatissima esse debuerint, eius autem gravitatis ut eorum recordatio omnium interesset, iam nullus fraudi aut deceptioni locus esse potuisset. Accedit, quod singula ferme quae in hoc libro narrantur facta externis monumentis fulciantur ad eorum memoriam excitatis; ita Iordanis transitum significabant duodecim lapides in Iordanis alveo, et in castris Galgalis aggesti Ios. IV, 9, 20; renovatae circumcisionis indicium nomen Galgal (*a*), loco castrorum impositum, V, 9; Hierichuntis excidii testes erant Rahab cum universa eius domo inter Hebraeos excepta, Iosuae imprecatio, cumulus lapidum quo Achan oppressus VI, 23, 26. VII, 26, Hai expugnatam tradebat alius lapidum acervus in ipso introitu civitatis incensae, super regis cadavere congestus, VIII, 29; Gabaonitae perpetuo populi et altaris servitio mancipati praeteritae simulationis poenam luebant, eiusque memoriam

(*a*) גִּלְגָּל *devolutio* opprobrii, h. e. praeputii.

refricabant IX, 27; bellum eorum occasione contra quinque foederatos reges susceptum, horum cladem, supplicium memorabant saxa ingentia quae speluncam, ubi ipsorum cadavera proiecta, occludebant, X, 27; Deuteronomium in monte Hebal lapidibus descriptum, altare inibi exstructum, qua religione Iosuas Mosis mandata fuisset exsecutus, declarabant, ib. v. 39; altare in medio Iordanis a Transiordanensibus excitatum, horum reditum, pietatem, unaque scrupulum Cisiordanicis primo iniectum, dein omnino exemtum testabatur, XXII, 10, seq.; denique concionis Sichem habitae iuge testimonium perhibebat lapis pergrandis, subter quercum in sanctuario Domini erectus XXIV, 26. Adde scriptorem toto narrationis decursu non magis propriam quam communem persuasionem prodere, rerum quas tradit cumprimis gnarum atque peritum, veritatis porro et sincerae in Deum pietatis quam studiosissimum se praebere, quae quidem omnem vel levissimam erroris amovent suspicionem.

XII. Verum neque adeo opus est ut scriptoris auctoritas factis fidem conciliet; haec namque tam intimo nexu secum ipsis, cumque antecedentibus ac consequentibus coniunguntur, ut iisdem sepositis aut illorum natura immutata, omnia nutent, neque amplius quidquam firmum atque stabile in tota Hebraeorum historia reperire sit. Re quidem vera si divinae promissiones Patriarchis saepe instauratae, multisque prodigiis sancitae, Iosuae aetate erant adimplendae; si Palaestinae occupatio simul eorum

quae antea contigerant complementum erat, et futuri Ecclesiae imperii typica adumbratio, mirum ne adeo splendida divinae omnipotentiae signa tunc edita fuisse, tamque eximia Hebraicae virtutis exempla emicuisse? Quorsum spectassent tot illa portenta, nisi Hebraei Chananaeorum scelerum ultores sanctioribus ipsi institutis usi fuissent? At qua demum ratione tam sollicita legum Mosaicarum observantia, et purissimus Iehovae cultus (*a*) obtinuisset, nisi luculentissima divinae bonitatis atque iustitiae argumenta eorum oculis praefulsissent? Ergone Hebraei qui adeo sibi a Chananaeis timebant, ut vix in libertatem asserti mallent Ægyptum repetere quam illos adoriri, nunc propriis tantum viribus fidentes internecinum bellum iis indixissent; nullum cum iisdem foedus sancire, nemini ne opibus quidem parcere ausi fuissent? Proni ad idololatriam, ad Chananaeorum mores exprimendos proclives, eorum scelerum poenas repetiissent, quae libentius perpetrassent? Non proprio genio Hebraeos hac in re indulsisse, quem acribus saepe verbis Moses insectatus est, quem ad tempus, nec penitus, subactum, mox renascentem Iosuas iam iam moriturus subtimuit XXIV, 19, probavit eventus; nam senescente Iosua remissius contra Chananaeos agere coeperunt, neque, uti iureiurando spoponderant, a propriis eos finibus ad unum omnes eiecerunt; Iosua dein vita functo « fecerunt filii Israël malum

(*a*) V. Ios. I, 16-19. V, 2 seq. VII, 24. XIV, 6-12. XXII, 11 seq. XXIV, 21.

» in conspectu Domini, et servierunt Baalim Iud. » II, 11 »; quaenam vero pessimae conversionis caussa aut occasio? « Surrexerunt qui non nove- » rant Dominum, et opera quae fecerat eum « Israël, ib. v. 10 ». Haec scilicet verba quae gestorum mirabilitatem Deo adscribunt, non Israëlis virtuti, imo hanc ipsam Dei beneficio referunt acceptam, dolentque saepius propria culpa amissam, omnem removent doli suspicionem, nosque prohibent ne splendida illa facinora ceu fabulosa sycophantae commenta populi gratiam captantis, aut vanissima gentis somnia habeamus; quamquam nemo adeo bardus vel impudens, qui circa coaeva et notissima facta, aut alios ausit ludificari, aut se decipi patiatur.

XIII. Intrinsecis hisce argumentis externa superaddimus, hagiographorum scilicet consensum qui pleraque facta aut dicta in hoc libro digesta, aut hinc mutuantur, aut saltem confirmant. Palaestinae occupatio et partitio memorantur Ps. LXXVII, 54-55, coll. cum XLIII, 3-4; Chananaeorum exeidium Iud. VI, 9, alibi, Ps. LXVII, 13-15, Is. XXVIII, 21, Act. VII, 45, Hebr. IV, 8; Iordanis divisus Ps. CXIII, 3-5. Habac. III, 8, Mich. VI, 5; solis statio, grando lapidea Habac. III, 11-13; Ierichuntis eversio Heb. XI, 30; Rahabi salus, ib. 31, Iacob. II, 25; Iosuae in Ierichuntis moeniorum restauratorem imprecatio III Reg. XVI, 34; tabernaculum Silunte defixum Iud. XVIII, 31, XX, 1, 18, 26, I Reg. III, 21; eadem verba quibus Deus Iosuae animum roboratus est Ios. I, 5, refert Paulus

Heb. XIII, 25; horum demum omnium veluti epilogum texit Ecclesiasticus XLVI, 1-11.

XIV. Quae hagiographorum eadem aliorum Hebraeorum scriptorum, Iosephi Antiq. lib. v, cap. 1, Philonis Op. tom. 1. p. 43 (*a*), quid plura? haec communis omnium Hebraeorum et Christianorum Synagogae, Ecclesiaeque fides, quae non modo factorum veritatem uti exploratam, sed librum ipsum uti divinum semper habuerunt, atque proximum Pentateucho, in sacrorum librorum canonem inseruerunt. Hoc libro uti canonico suis in scriptis usi sunt Petrus, Melito, Origenes, Hieronymus, Augustinus, aliique plures; idem in antiquissimis s. librorum catalogis reperitur, eum memorant canon XVII Concilii Carthag. anno aerae vulgaris CCCXCVII celebrati (de cuius canonis authenticitate male a nonnullis dubitatum est), epist. Innocentii I Pontificis ad Exsuperium anno CCCCV, catalogus Romani Concilii sub Gelasio anno CCCCXCIV, tandem decreta Conciliorum Florentini, et Tridentini, quae perpetuam atque constantem hac de re Ecclesiae fidem solemni calculo declararunt. Hoc argumentum or-

(*a*) Nonnulli opinati sunt Samaritas librum Iosue accepisse, at nominis similitudo eos falsos habuit; duo illis chronica sunt Iosuae nomine insignita, alterum ab Adamo ad Mohammedem, alterum a Mosis obitu ad Hadriani aetatem; primo illi nil cum nostro commune est, alterum in plurimis distat; verum, ex eo quod Samaritae Pentateuchum tantum receperint, non sequitur Iosue librum vel nondum ea aetate editum, vel non ab omnibus fuisse probatum; nam Samaritarum magis intererat cultus Iehovae rationem ediscere, quam Hebraeorum annales consulere.

dine postremum, caeteris longe firmissimum est; etenim liber authenticus, genuinus, verus esse potest quin sit divinus, atque canonicus, at non e converso, quare posita libri canonicitate caetera necessario consequuntur: si canonicus liber, ergo divinus, verus propterea, quare et authenticus, nempe si de historico sermo sit, aut a coaevo editus, aut a coaevis documentis desumtus. Quae historica sunt, ubi opus, ex immediata Dei revelatione hagiographum haurire potuisse non inficiamur, at opus fuisse non est temere praesumendum. Quod postremum etsi nobis aliunde non constaret (constare autem satis superque probavimus), tamen pro verissimo esset habendum, quia id olim certissime constitisse ex Synagogae, Ecclesiaeque canone tutissime colligimus.

XV. Quae cum ita sint iam fidenti animo atque securo quae ab adversariis in contrarium opponuntur excipimus; nam cum verum nequeat vero adversari, si quae proferantur cum certis atque exploratissimis pugnantia, apparentes erunt antilogiae quibus ingenium fortassis interpretis, neutiquam ipsa veritas periclitabitur. Speciminis causa nonnulla ex multis quae proferuntur secernimus.

XVI. Et primo quidem varia allegant loca quae invicem, aiunt, recta opponuntur; Ios. xv, 63 filii Iuda dicuntur non potuisse delere habitatorem Ierusalem, atque propterea Iebusaeus dicitur habitavisse *cum filiis Iuda in Ierusalem usque in praesentem diem;* contra Iud. I, 21 filii Beniamin non

Iuda ob id arguuntur. Deuter. xxxi, 3 pollicetur Moses futurum ut Deus omnes deleat Chananaeos, id contigisse narratur Ios. xi, 16-23, xii, 7, seq.; negatur xiii, 1, seq. xxiii, 4, seq. Iuxta Exod. xxiii, 28, Deuter. vii, 20 immittendi crabrones qui Chananaeorum reliquias expellant; Ios. xxiv, 12 immissi quidem dicuntur; at non omnes expulsi perhibentur. – Haec paucis expedimus: filios Iuda et Beniamin simul utrosque aut per vices Ierusalem cum Iebusaeis inhabitasse quid vetat? Ierusalem Beniamitis cesserat, at Iudaeis contermina; hanc illi una cum Beniamitis expugnaverant; quid mirum si illi ibidem praesidii caussa diu permanserint, et nonnisi post Iosuae obitum inde excesserint, cum laxato ac vix non soluto communis foederis vinculo intra suos quique limites ingressi sunt, sua plerique negotia seorsim procuraturi? – Promiserat Deus delendos Chananaeos omnes, at promissionem Hebraeorum fidei alligaverat, cum haec languidula, remissior facta est, noluit omnes delere, ne forte victoriam non Deo sed propriae virtuti tribuerent, utque a Chananaeis vexati socordiae poenas luerent; quare Iosuas c. xxiii, 5-13 pro certo habet, si Hebraei Domino adhaereant, fore ut Chananaei omnes sint disperdendi. – Ast, nonne supra x, 39-40 affirmaverat auctor, terram omnem a Iosua bello acquisitam atque divisam, nec *dimisisse ullas reliquias, omne quod spirare poterat interfecisse?* Utique, et eadem hoc ipso cap. xxiii repetit, et recte quidem et vere: universam quippe Palaestinam iure, facto

maximam partem Iosuas possederat, reges omnes deviceerat, plerasque urbes occupaverat, omnes earum incolas, nemini parcens, gladio confoderat; quodsi nonnullae civitates illacessitae et Chananaeorum non pauci Hebraeorum venia et segnitie debellandi supererant, nemo tamen erat qui contra Hebraeos insurgeret, nemo qui universale eorum dominium excutere auderet. Quapropter Iosuas ipse haec quae specie tenus pugnantia videntur, simul amice componit, asserit nempe XXIII, 1, 3 *pacem dedisse Dominum Israëli, subiectis in gyro nationibus universis*, et v. 4 fatetur *multas adhuc superesse nationes* (subdendas); scilicet nationes omnes fuerant subiectae, ex hisce tamen nonnulli remanserant, quos Hebraeorum socordia reliquos fecerat. Ad crabrones (*a*) quod spectat, immissos fuisse Iosuas aperte testatur, quo loco et tempore, quibusve in adiunctis, ignoramus; at non omnia et singula scriptorem suscepisse narranda, plurima praetermissa colliges vel ex vv. 40-43. cap. X. Sane multa in sacris litteris obiter narrari, loci temporisque adiunctis haud notatis vel tirunculus novit; vid. Gen. XXXVI, 24, XLVIII, 22. Deuter. II, 9-11, 1 Reg. VI, 5.

(*a*) Crabronum nomine, hebraice צִרְעָה non allegorice multimoda mala atque calamitates, sed vesparum genus intelligimus, iuxta litteralem vocis significationem rei qua de agitur convenientissimam. Vide Bocharti Hierozoicon p. II. lib. IV. cap. XIII. Consule Rosenmüller Handbuch der biblischen Alterthumskunde Bd. 4. 2.er Th. s. 430. Mungo Park Journal of a mission to the interior of Africa in the year 1805, 2. edit. London 1815.

XVII. Subit porro duplex adversariorum genus, quorum alii gestorum veritatem inficiantur, eo quod horum memoria longe lateque pervagari debuerit, ipsisque profanis scriptoribus innotescere, apud quos tamen altum de hisce omnibus silentium est; alii contrario de iisdem factis subdubitant, utpote iis simillima quae olim poëtae de mythicis heroum temporibus fabulati sunt. – Haec opposita adversariorum argumenta confligunt, et collidunt, quod a veritate aberrantibus frequentissime obvenit. Praeterea ex eo quod illorum factorum memoria longe lateque pervagari debuerit, non sequitur et profanis scriptoribus innotescere debuisse: horum siquidem vel antiquissimi nimis distant ab illorum aetate, nimis praeterea rerum hebraicarum incuriosi, ut in ignota inquirerent, aut nota scripto commendarent; demum nimis pauca ipsorum vel opera vel fragmenta supersunt, ut tuto affirmare possimus nil de illis scripto reliquisse. Sanchuniathonis, qui XIII saeculo ante Christi adventum floruit, aliorumque ex Phoeniciis scriptoribus opera aut deperdita, aut pauca supersunt (ut Sanchuniathonis versionis a Philone Byblio adornatae apud Eusebium), nec sincera fragmenta; Eupolemi tamen fragmentum apud eumdem Eusebium expressam Iosuae mentionem facit. Ceterum frequentes per idem circiter tempus Phoenicum in Graeciam, Africam, Hispaniam immigrationes, inscriptiones Phoenicum, idest Chananaeorum lingua exaratae, quae horum exces-

sum Iosuae victoriis assignant (*a*), totidem externa testimonia sunt quae historicam libri Iosue fidem, quantum ex caliginosa antiquitatis memoria sperare fas est, abunde confirmant. Quae cum ita sint, inter quaedam facta quae in Iosue libro narrantur, nonnullosque Graecorum mythos aliquam interesse similitudinem non negamus; sed ubi attentius utraque inspexeris, unaque contuleris, talem agnosces qualis inter ea esse solet quae ex coaevis documentis desumta sunt, quaeque orali tantummodo traditioni innituntur; qualis inter historiam atque poësim, (cumque hisce factis religiosa utriusque gentis scita adnexa sint), polytheismum inter et monotheismum; porro hunc illo antiquiorem esse ratio demonstrat, historia confirmat; igitur undecumque Graecorum vates suos hauserint mythos, Hebraei nil unquam ex illis mutuati sunt. Accedit, quod facta prodigiosa de quibus agimus, non mythicis, ut poëtarum figmenta, sed historicis temporibus contigerunt, et adeo intime, quod saepe notavimus, cum universa Hebraeorum historia ac religione cohaerent, ut iis demtis horum annales fiant hiantes, monotheismus autem solido apud ipsos fundamento de-

(*a*) Procopius in Vandalicis l. II, 10 in Africa Tingitana hanc inscriptionem reperisse tradit, quam ita graece vertit: *ἡμεῖς ἐσμεν οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ λῃστοῦ*; similem vide apud Suidam sub v. *Χαναάν*. Carthaginienses Tyriis Iosuam fugientibus oriundos fuisse, Sidonios ingruentibus undique calamitatibus patria expulsos coloniam in Leptim deduxisse, ex vetustis monumentis probat Allix, Bishop's Watson Theological Tracts vol. I. p. 354.

stitutus corruat necesse sit; Hebraei siquidem nullis philosophiae rationibus ducti, sed factorum auctoritate permoti purum Iehovae cultum praestiterunt, Ios. XXIV, 31, Iud. II, 7.

ARTICULUS III.

De factis quibusdam in Iosue libro narratis, quorum veritas aut prodigiosa natura ab Incredulis et Rationalistis impugnatur.

XVIII. Semel in tuto posita libri authenticitate et fide historica, sequitur vera esse quaecumque in ipso continentur; quamobrem qui non omnem libro abnuunt fidem, factorum tamen delectum habent, haec probant, respuunt illa (quod Incredulorum et Rationalistarum haud paucis commune est), tum in criticas leges peccant, tum in manifestas se angustias coniiciunt; cum enim facta singula iisdem omnino momentis innitantur, si de quibusdam dubitare fas est, cur de omnibus non idem licebit? Si quaedam firmissima sunt, quî fit ut cetera nutent? Caussa in promtu est: quia prodigiosa videntur; perinde ac si ad aliam quam historicam amussim haec sint exigenda, atque satius sit veros effectus pernegare, quam caussae ignorationem fateri! Nos absurdis prodigiosa praeponimus, atque miramur

tantam quandoque τερατοφοβία (miraculorum metui) inesse vim, ut feliciora ingenia in ἀκρισίαν (iudicii temeritatem) coniiciat. Quoniam autem ex opinionum conflictu veritas magis magisque elucet, et prudentis est alieno periculo sapientem fieri, iuvabit potissima quae a pseudo-criticis proferuntur enucleare.

§ I.

Iordanis discissus.

XIX. Iordanis transmissio, cuius meminerunt, ut supra vidimus, Psaltes Ps. CXIII, 3-5, LXV, 6, Habac. III, 8, et oblique Mich. VI, 5, ita narratur ab auctore libri Ios. III, 15-17: « Ingressis eis (*Sa-*
» *cerdotibus*) Iordanem, et pedibus eorum in parte
» aquae tinctis (Iordanis autem ripas alvei sui tem-
» pore messis impleverat), steterunt aquae descen-
» dentes in loco uno, et ad instar montis intume-
» scentes apparuerunt . . . . . . et Sacerdotes, qui
» portabant arcam foederis Domini stabant super
» siccam humum in medio Iordanis accincti, om-
» nisque populus per arentem alveum transibat ».
Tria hîc a nobis sunt expendenda: 1.° num tempore messis Hebraei Iordanem traiecerint; 2.° num hac tempestate amnis exundet; 3.° num repente aquae discissae, alveus aruerit, verumque prodigium hîc intercesserit. Duo priora Voltairius, eiusque asseclae inficiantur, negant postremum et Rationalistae. Singula ex ordine persequemur.

XX. Hebraei Iordanem transmiserunt *decima die mensis primi* Ios. IV, 19. *Principium mensium, primus in mensibus anni*, iuxta Mosem Exodi XII, 2, ille reputandus quo Hebraei ex Ægypto educti sunt, quo propterea Pascha erat celebrandum; vocabatur etiam Exodi XIII, 4, hebraice אָבִיב *aviv*, latine spica virens, arista, Vulgatus vertit: *mensis novarum frugum;* unde patet incidisse in tempus messis; sane hoc ipso mense in solemnitate Paschali novarum frugum manipulus Deo erat offerendus Lev. XXIII, 10; quemadmodum autem messis antiquitus binas ex quatuor anni tempestatibus complectebatur Gen. VIII, 22, ita postmodum non ad messionem ipsam coarctata est, sed totum illud verni temporis denotabat, hodieque denotat, quo spicae florescunt, iamque fruges sunt demetendae. Mensis primus qui et *aviv*, postea dictus *nisan* II Esdr. II, 1. Esther III, 7, inchoatur nova luna quae modo in martium incidit, modo in aprilem; hac vero anni tempestate in Palaestina maturescere fruges, imo in planitie Hierichuntina sub martii finem hordeum, exeunte aprili frumentum demeti, praeter hagiographos testantur novissimi viatores Mariti (*a*), Shaw (*b*), Egmont (*c*), qui praeterea cum Volney (*d*) fatentur ea tempestate Iordanem diffluere, quod a

(*a*) Viaggi per l' isola di Cipro, e per la Soria e Palestina fatti dall'anno 1760 al 1768, tom. 3. p. 182.

(*b*) Voyages en divers lieux de la Barbarie et du Lévant.

(*c*) Travels vol. 1. p. 335.

(*d*) Voyage en Égypte et en Syrie tom. 2. p. 22.

frequentibus, quae Hebraeis serotinae dicebantur, imbribus, mense Nisan depluentibus, nonnulli repetunt (*a*), alii ab aestu insequente, quo Libani nives liquescunt (*b*). Quodsi modo nec singulis annis amnis exundat (*c*), et cum pleno alveo fluit, Arabes alicubi illum traiiciunt (*d*), nil id contra nos facit; etenim probandum esset eamdem quae nunc, et olim fuisse fluminis, alvei, montium quibus oritur conditionem; imo esset demonstrandum aut numquam olim exundasse, aut saltem non eo anno quo Hebraei illum traiecerunt; contra non modo frequenter, sed consueto diffluisse tradunt auctor I Paralip. XII, 15, Siracides XXIV, 36, Pseudo-Aristaeas de LXX interpretibus. Iordanem et tunc vadosum fuisse non negamus, et scriptor ingenuus idipsum fatetur, narrans exploratores paucis ante diebus illum transmisisse Ios. II, 23; at non ubique vadosus, vide Ios. II, 7, Iud. III, 28, XII, 5, II Reg. XVII, 22, 24, XIX, 16, 39, neque omnibus; quandoquidem ut roboris et bellicae fortitudinis indicium memorat auctor Paralip. cap. XII, 15, Gaditas Ior-

(*a*) Gothovici Itinerarium Hierosolymitanum et Syriacum p. 212. Pietro della Valle, Viaggi tom. 2. p. 117. Thévenot, Relation d'un voyage fait au Lévant tom. 2. p. 565.

(*b*) Korte, Reise nach dem weil. gelobt. nun aber unter dem Fluche liegenden Lande. Halle 1751, Maundrell, Description of a journey to the Holy-Land p. 136, Egmont, Travels vol. 1. p. 335. Thompson, Travels vol. 1. p. 122. Mariti, op. cit. p. 123. La Roque, Voyage p. 66, aliique.

(*c*) Quaresmius, Terrae s. Elucidatio tom. II. p. 738.

(*d*) Burckhardt, Reisen in Syrien Bd. 1. s. 595

danem mense primo inundantem transiisse. Iamvero quod fortissimi tantummodo praestant, idne praestabunt parvuli, senes, mulieres, armenta, iumenta sarcinaria, plurima turba, gens universa? Frustra igitur plerique disputant quae et quanta sit aquarum vis et frequentia, quae fluvii amplitudo, profunditas, an uspiam vadosus, num aliquando navibus aut ratibus aptus; nam, fatentibus omnibus, talis est aquarum impetus amni exundante, ut plerisque fiat impervius; navigio autem immensam illam Hebraeorum multitudinem traducere res adeo difficilis, longa, negotiosa, ut Chananaei vel paucissimi transitum praecludere potuissent; id vero ne quidem tentarunt, quae eorum securitas probat Iordanis transitum iis temporis ac personarum adiunctis fuisse insuperabilem. Ceterum quaestio non est utrum Hebraei potuerint Iordanem vado aut ratibus transmittere, sed an sicco pede traiecerint. – Atqui, aiunt, Deus ut *in necessariis non deficit*, ita *in superfluis non abundat*. – Ædepol, non ergo superflua quae operatur, itaque si facta quaedam prodigiosa certo contigisse constiterit, eorum autem necessitas aut tempestivitas manifesta non sit, non ideo erit deneganda, sed modeste in eamdem inquirendum: quodsi labor irritus cedat, non pudeat quemadmodum in pluribus naturae phaenomenis, ita potissimum in religionis mysteriis Dei consilia venerari, nostramque ignorantiam fateri. Attamen in facto, quo de agimus, divina consilia apertissima sunt: etenim quam apte hoc prodigium cum He-

braeorum adiunctis et divina eorum missione cohaeret! Quam apposite antecedentia eum consequentibus connectuntur! Eadem nunc miraculorum necessitas ac fuerit Mosis aetate; exitus ex Ægypto, et ingressus in Palaestinam eiusdem generis sunt, duo actus eiusdem dramatis quae sibi invicem respondent, et si Deus interest, dignus Deo vindice nodus; revera non huius aut alterius gentis, sed totius humani generis causa hîc agebatur, vera religio (temporalis et aeterna hominum salus), firmo atque inconcusso fundamento stabilienda, ut pura atque intemerata ad ea usque tempora perveniret, quibus divini Sequestris atque Interpretis beneficio universum orbem esset occupatura; omnibus ergo manifestissima esse debebat divina virtus, quae non tam in Hebraeorum gratiam, quam religionis ergo, cuius erant custodes et vindices, operabatur; hoc expressum Dei consilium (*a*), nec frustra fuit (*b*). Praeterea quemadmodum Mosis, ita Iosuae auctoritas uni divinae virtutis praesidio innitebatur; quare idem ipsi promissum generatim Ios. I, 5, speciatim III, 7; populi fiducia in Deum roboranda, ne timidi desponderent, aut nimis elati sibi prae Deo fiderent; Chananaei exterrendi ut barbaros mores exuerent, foedam superstitionem abiicerent, ultricem Numinis iram poenitentia lenirent (quod nonnulli) aut saltem fugiendo vitae consulerent, quod plurimi praesti-

(*a*) Exod. VII, 5, Ios. IV, 25.
(*b*) Exod. IX, 27, Ios. II, 9-12.

terunt, atque adeo obstinatissimi dumtaxat scelerum poenas luerent. Ideo autem Iordanis exundans divisus, quia hac ratione Hebraei incolumes ipsi, nulloque Chananaeorum damno transierunt, qui alia tempestate armati transeuntibus occurrissent, et multorum sanguine ipsorum audacia stetisset, nunc vero solemni hoc prodigio innocue admoniti, ut olim in transitu Erythraei, salutari timore corripi debuerunt; correpti, Hebraeis animum addiderunt, ut intermissum circumcisionis ritum secure renovarent, quae fides haud secus ac fluvii transmissio prodigiosa est, utque effectus causae respondet. Messium denique succisio praecavenda erat, ne pabulum tantae multitudini deficeret, interim dum manna cessaret; adeo verum est *Scholasticorum* effatum: *Deus in necessariis non deficit, in superfluis non abundat.*

XXI. Ast, opportunum fuerit prodigium, num ideo verum? Nequaquam. – Optime est: neque nos ita concludimus; sed propterea quod verum sit, recte eius opportunitatem supra praesumsimus, postea declaravimus; ceterum qui negant, clarissimis scriptoris verbis manifestam vim inferunt; nam si hiatu aut voragine aquae absorptae fuissent, si eminus per terraemotum succisae, aut ventorum vi refluae, aut demum alvei immutatione fuissent distractae, nequaquam, ut auctor perhibet, ad Sacerdotum pedes divisae, ipsis medio in flumine quiete ac secure consistentibus, in unum acervum omnibus conspicuae intumuissent (*a*). – Duplex ne igitur prodigium, primum

(*a*) Ios. III, 15-16.

quod aquae divisae sint, alterum quod instar montis intumuerint, neque in conterminam hinc inde planitiem diffluxerint? – Nobis unum idemque videtur; si enim a fronte, cur non et a latere aquae cohibitae? Insuper non ut Vulgatus habet, *ad instar montis*, sed ut in Hebraeo legimus, *in unum acervum* נֵד־אֶחָד a loco ubi Sacerdotes constiterant ad urbem Adom usque, nempe per triginta circiter leucas, sensim refluae et adauctae restiterunt, populo interim transitum festinante IV, 10, quo transgresso, *reversae sunt aquae in alveum suum, et fluebant, sicut ante consueverant*, ib. 18.

XXII. Dereser (*a*) terraemotu fluvium discissum praesumit ex verbis Ps. CXIII, 4: *montes exultaverunt ut arietes*, quae Erythraei et Iordanis divisionem cum montium concussione connectere videntur; at perperam; nam Psaltes legis promulgationem in monte Sina *fumanti atque terribili* (Exod. XIX, 18) poëtice cum utroque illo eventu coniungit.

XXIII. Eichhornii (*b*) et Paulusii (*c*) hypothesis, qua naturale phaenomenon cursu temporis in prodigiosum commutatum fuisse augurantur, hagiographorum auctoritati quam iniqua, vel inde refellitur, quod monumentum in Iordane excitatum, contra aquarum impetum haud diutissime perduraturum, scriptoris tamen aetate adhuc exstabat, qui propterea

(*a*) Die heilige Schrift übersetzt und erklaert 2. T. 1. B. s. 18.

(*b*) Einleitung in das A. Test. 3.er Band. s. 387.

(*c*) Theologisch-Exegetisches Conservatorium, 2.e Lieferung, s. 158.

re recenti eam exaggerare nequaquam impune potuisset Ios. IV, 9.

XXIV. Incredulorum scrupulum, ne forte stantes adhuc fruges agri Hierichuntini, quibus Hebraei Iordane transmisso primum vesci coeperunt Ios. V, 11-12, tantae multitudini alendae sufficerent, eximit locus ipse; non enim hisce *tantum* altos fuisse tradit, praesto erant quae superiori anno a Chananaeis in cellaria reconditae, aliaeque a vicina Moabitide et Galeaditide, quas Hebraei sui iuris fecerant, commode transvehendae. Apparentes antilogiae quibus Eichhorn, Van Herwerden, aliique aut prodigii narrationem infirmare, aut eamdem ex pluribus variae aetatis fragmentis coagmentatam demonstrare conati sunt, nullo negotio conciliabis, si ea quae supra diximus, de soluto atque abrupto dicendi genere vetustissimae illius aetatis scriptorum proprio, mente recolueris; eapropter quae Ios. II de exploratoribus narrantur, ea vv. 11 et seq. cap. I quod ad tempus, praemittenda, aut saltem coniungenda sunt; eodem nempe die exploratores missi sunt, quo Iosuas populum admonuit, fore ut post triduum Iordanem pertransirent; capp. III et IV semel et iterum idem praeceptum, eadem narratio iterari videntur, quia scriptor non omnia simul complectitur et ordine digerit, sed idem praeceptum, eiusque complementum particulatim exponens, haec vicibus alternat; modo igitur narrationem concludit, modo resumit, ita tamen ut cum aliquid repetit, aliud adiiciat, et quae prima fronte disiecta, lu-

xata, distracta videntur, si attentius consideraveris, intimo nexu cohaerere perspicies, lapillorum instar, qui in opere musivo quaesitam speciem affabre ad artificis mentem effingunt.

§ II.

Hiericho et Hai expugnatae, Rahabae salus, Achanis supplicium.

XXV. Qui prodigiosum Iordanis transitum in dubium revocant, iidem Hierichuntis moenia divina virtute corruisse contra hagiographorum et totius Hebraicae atque Christianae gentis fidem inficiantur, sed aut naturae viribus excussa, aut bellicae artis praesidiis reserata Hebraeis patuisse asseverant: at absurdiori, si fieri potest, consilio; etenim non modo nihil in universa narratione est, quod vanissimae horum hypothesi faveat, imo aperte non contradicat, verum tanta est prodigii convenientia, tanta eius cum factis praecedentibus ac subsequentibus connexio, ut illo demto cetera incredibilia fiant, quippe absurda.

XXVI. Dei consilium in Palaestinae per Hebraeos occupatione superius (xx) aperuimus, nempe Eius caussa hic agebatur: *ut discant omnes terrarum populi fortissimam Domini manum,* Ios. IV, 25. Igitur qui Hebraeos per Mosem ex Ægypto eduxerat, idem per Iosuam in Palaestinam introducebat; at quemad-

modum in Ægypto *ipse pugnator* (*a*): *Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis* (*b*); ita nunc Iosuam in Palaestina allocutus, *nullus poterit vobis resistere*, aiebat, ... *sicut fui cum Moyse, ita ero tecum* (*c*); quamobrem idem Angelus qui, Iehovae nomine, castris Hebraeorum in deserto praeerat, modo in speciem praeliatoris Iosuae apparet, et quippe *princeps exercitus Domini* (*d*) praeliandi rationem decernit: ut autem non modo Hebraeis, sed et Chananaeis pateat victoriae auctorem Deum esse, solemnem illam circuitionem indicit, quae septenario dierum, Sacerdotum, tubarum numero, et arcae gestatione manifesto significabat, Hebraeorum Iehovam eumdem esse qui sex diebus universum condiderat, quique modo urbem munitissimam uno voluntatis suae nutu subvertens, Chananaeos iuxta atque Hebraeos edocebat, ceterarum urbium ac totius gentis fata nonnisi omnipotenti eius virtuti esse adiudicanda. Hiericho itaque naturae atque artis praesidiis fortissimum totius Palaestinae propugnaculum, ceu armorum primitiae, a supremo quamvis invisibili Hebraeorum exercitus principe erat expugnanda, quare Deo in totum devota, poena capitis in eum indicta, qui spoliorum quidpiam surripuisset.

XXVII. Quodsi ob Angeli visum et verba, solemnem pompam, urbisque devotionem iam prodigium

(*a*) Exod. xv, 3.
(*b*) Ib. xiv, 14.
(*c*) Ios. i, 5.
(*d*) Ib. v, 15.

iure praesumimus, reipsa interfuisse ex improvido consilio quo paucissimi armatorum Hai civitatem oppugnare ausi sunt, haud inepte conficimus; neque enim adeo temere atque secure id aggressi fuissent, nisi falso putassent nil sibi praestandum, omnia divina virtute esse peragenda: quae opinio quomodo eorum mentibus insedisset, nisi hanc praesentissimam Dei opem recens fuissent experti? Miraculum itaque intercessisse series factorum, historiae nexus postulat necessario; porro narrationis adiuncta naturales caussas omnino respuunt: septimo die, septima urbis circuitione, populo *vociferante et clamante, clangentibus tubis, muri illico corruerunt, et ascendit unusquisque per locum castrorum qui contra se erat* Ios. VI, 20.

XXVIII. Ludunt ergo Iahnius (*a*) qui terrae motu moenia succussa, Paulusius (*b*) qui per cuniculos suffossa, Herderus, Bauerus (*c*) qui subito atque inopinato militum atque arietum vi disiecta, Woltmannus (*d*) qui a proditoribus reserata fuisse arbitrantur. Ludunt, inquam, nam haec serio prolata quis credat? Terrae motus, qui moenia tantum non domos undique versum excussisset, nonne prodigiosus? Numquid Hebraei nil sibi timentes urbem fuissent ingressi? Tot cuniculos clanculum nemine advertente effossos, atque eo usque omnes una

(*a*) Einleit. II, 174.
(*b*) Exeg. Conservat. II, 155, 162.
(*c*) Herder, Geist der hebr. Poes. II, 231. Bauer, Hebr. Myth. II, 11.
(*d*) Grundriss der aeltern Menschengeschichte I, 165.

productos ut eodem temporis puncto varia undique agmina exinde prodirent, quis credat? Numquid ea aetate obsidionis ars adeo provecta, num oppugnationis praesidia Hebraeis praesto fuissent? Si tot proditores qui aditum multiplicem Hebraeis recluderent, cur nemo, praeter Rahabae domum, a fato exemtus? Verum eo ipso quod singuli diversi abeunt, argumento est haec eorum commenta eodem, idest nullo inniti fundamento; quare quo iure cuniculos ipsi, arietes, terraemotum, proditionem confingunt, eodem alii vulcanicam eruptionem, terrae hiatum, aut ultroneam hostium deditionem poterunt comminisci. Populi fremitum, tubarum clangorem Hierichuntis moenia deflavisse, ridicule nonnulli commenti sunt; nobis non Hierichuntis vallum, sed hoc ipsum argumentum tantae tenuitatis visum est, ut uno oris halitu esset disperdendum. Praeterea fac hanc vel illam hypothesim eventui explicando parem esse, num ideo vera? Nequaquam; nam scriptoris auctoritati recta adversatur, qui antiquissimus nil novit eorum quae a recentioribus istis excogitantur, quae si vera fuissent, neque coaevum scriptorem, aut saltem coaevis usum documentis latuissent, neque a sincero, ut noster, veritatis amatore silentio pressa fuissent: sed quo candore urbem Hai imprudenti militum manu primo frustra impetitam, dein felici stratagemate captam atque incensam postea tradit, eodem aut Hierichuntinorum moenium suffossionem, aut civium proditionem aperuisset; cum igitur hagiographus scriptor,

cuius historicam fidem satis superque probavimus, eventum cum omnibus suis adiunctis accurate describens, unam omnium aptissimam causam, Dei scilicet virtutem, eventui apprime convenientem assignet, cum haec una historiae seriem non abrumpat, sed antecedentia cum consequentibus connectat, insuper constanti hagiographorum (*a*), totiusque gentis (*b*) suffragio fulciatur, hanc tantum admittimus, atque in Hierichuntis subversione unam divinam opem intervenisse affirmamus.

XXIX. Quae cum ita sint, sponte veluti concidunt quae opponuntur: superstitiosam, ridiculam, solemnem illam circuitionem Chananaeis videri debuisse: absurdum, inermem Hebraeorum multitudinem aut eminus telis, aut cominus hostibus extra moenia prorumpentibus non fuisse lacessitam; nondum ea aetate aut propugnacula condita, aut urbes munitionibus septas fuisse; absonum, collabentibus moeniis Rahabae domum stetisse; scorti, mendacii, proditionis ream hisce criminibus incolumitatem promeruisse; inutilem exploratorum missionem, inutile fuisse prodigium, quo vix peracto, Hebraei a finitimis caeduntur, et urbs eversa ac solo aequata, Iosuae diris irritis habitis, nullo alicuius damno iterum restituta est (*c*).

XXX. Paucis hisce omnibus occurrimus: post tot tamque splendida prodigia, quorum pleraque

(*a*) Hebr. XI, 30.
(*b*) Iosephi Flavii Antiq. lib. V, cap. I, 6.
(*c*) Ios. XVIII, 12. Iud. I, 16. III, 13. II Reg. X, 5.

ad Chananaeorum aures rumor pertulerat, quo animo solemnem illam pompam ipsi spectarent, discimus ex Ios. VI, 1; augustum, purum, ac simplicissimum ritum, reverentiam, metum in Chananaeos iniecisse facile credimus, eos seria ludo vertisse vehementissime dubitamus; imo in re tam seria atque ancipiti ne ipsos quidem, nedum nostrae sed et superioris aetatis Incredulos (quibus audaciores spiritus erant, et *fortissimi* audiebant) iocaturos fuisse praesumimus. Cetero, ultra teli iactum, et pone militum agmina Hebraeorum multitudo incedebat. — Plerasque Chananaeorum urbes munitionibus septas ea aetate fuisse tradit historicus VI, 1. XIV, 12. XIX, 29; imo iam Mosis aetate munitas fuisse discimus ex Num. XIII, 28. Deuter. III, 5; et haec caussa potissima cur, ipso duce, renuerint Hebraei Chananaeos adoriri. Idipsum ex vocis etymo efficimus; quod enim Vulgatus vertit *urbem*, hebraice עִיר proprie urbem moeniis septam, aut speculis, turribusque munitam designat (*a*). Qui igitur muniendi artem illis temporibus ignotam omnino fuisse tradit, ille artis exordium cum eiusdem incrementis confundit, aut vetustissimos gentium annales numquam pervolvit; nam celeberrimas iuxta atque antiquissimas urbes Tyrum, Sidonem, Thebas, Memphim, Ninivem, Babylonem munitas fuisse novimus; Hiericho autem, aptissimum Ierusalem propugnaculum (*b*), ut seriori

(*a*) Nempe eadem propemodum significatio, quae hebraicae voci קִיר et graecae τεῖχος subiecta est. V. Gesenii Lexicon sub v.

(*b*) Ritter, Erdkunde II, 328.

aetate (*a*), sic multo antea communitam fuisse, nisi auctor apertissime traderet, optimo iure coniiceremus. – Non universa penitus moenia, sed tantam horum partem legimus corruisse, quanta necesse erat, ut latus undique agminibus aditus pateret. – Rahab neque a scorto, neque a mendacio liberamus; irrito consilio interpretum plerique (*b*) a turpitudinis nota quaerunt illam eximere, atque ex pellice copam faciunt; irrito, inquam, consilio, nam vocis significatio non tam ex etymo quam ex usu repetenda est, *penes quem est ius et norma loquendi*; hic vero allatae interpretationi neutiquam favet, imo Chaldaeus ipse idem vocabulum usurpat, quoties turpis vocis significatio omnino dubia non est. Praeterea nullae eo tempore tabernae meritoriae, sed vel secum commeatum ferebant advenae, vel hospitio excipiebantur; at licet Rahab fuerit pellex, nil vetat quominus exploratores casto receperit hospitio, imo ad saniora iam consilia rediisse coniicimus ex recta eius in Deum fide, ex eiusdem cum exploratoribus colloquio, quod probatissimam Hebraeorum matronam decuisset Ios. II, 9-14. Mendacium protulisse fatemur, at officiosum; iamvero honestum a rudi illa muliercula habitum

(*a*) Relandi Palaestina p. 830.

(*b*) Alii Chaldaeum secuti, qui vocabulum hebraicum זוֹנָה vertit פּוּנְדְּקִיתָא quae greca vox est *παντοχεύτρια*, primum illud a זוּן *alere* derivant, alii graecam vocem *πόρνην* a LXX adhibitam a *περνάω*, *περνάσκω vendo* deducunt.

fuisse haud miramur, qui novimus Graecorum sapientissimum Platonem in eadem sententia fuisse; non ideo tamen ab hagiographis laudatur (*a*), sed propter pietatem ac fidem; hisce virtutibus, ut olim Ægyptiae obstetrices (*b*), salutem promeruit: nec obstat quod eo dignitatis evecta sit, ut inter Messiae progenitores recenseretur; Deus enim qui *potens est de lapidibus suscitare filios Abrahae* (*c*) futuram gentium vocationem, et potissimum Christi munus hac ratione adumbrabat. Apposite Hieronymus: « notandum in genealogia Christi nullas sanctarum » mulierum assumi, sed eas quas Scriptura re- » prehendit; ut qui propter peccatores venerat, » de peccatoribus nascens, omnium peccata de- » leret (*d*) ». Proditionis demum crimine illam solvimus, quippequae pro certo haberet non humana industria aut virtute, sed divina ope urbem fore exscindendam, neque exploratorum capite patriae perniciem avertendam esse, quin imo maturandam; quare dum horum saluti prospexit, nil contra rempublicam molita est. – Exploratoribus commissum fuerat ut, praeter Hiericho, eius etiam vicinias observarent; antea missi, ac reversi, quam Iordanem Hebraei pertransirent, atque modus Hierichuntis expugnandae Iosuae per Angelum innotesceret, eorum porro narratio Hebraeorum animos magis

(*a*) Hebr. XI, 31. Iacob. II, 25.
(*b*) Exod. I, 20.
(*c*) Matth. III, 9.
(*d*) Comment. in Matth. cap. I.

magisque confirmavit Ios. II, 24. – Hebraei Hai civitatem aggressi ideo caeduntur, quia recenti victoria nimium elati, atque in poenam Achanis flagitio obcaecati (*a*), suo marte, paucissima militum manu, temere hostes adorti sunt; nimirum hac occasione Hebraei edocti sunt, divinum auxilium non praesumendum, sed exorandum, omnem criminis contagionem longe propulsandam, alioquin iustissimum Deum poenam ab omnibus nullo discrimine reposciturum (*b*). – Hiericho non multo post instauratam esse haud inficiamur; at Iosuae imprecatio non de urbe exstruenda, sed munienda accipienda est, hoc enim passim significat vox hebraica בָּנָה quam Vulgatus vertit *aedificavit* (*c*), quae significatio huc apprime conveniens ex aliis parallelis locis manifeste evincitur (*d*). Igitur si urbs post Iosuam quidem instaurata, at numquam ad Achabi usque aetatem fuerat munita, ergo Iosuae imprecatio audaces cohibuerat; factum igitur cui

(*a*) Ios. VII, 1.

(*b*) Ib. 13. Hoc eventu ἀναγωγικῶς edocemur divinae gratiae beneficia magna animi demissione excipere, quod enim est hominis ingenium, facile ad extrema vicibus prolabimur; quare haud raro contingit, ut qui modo vitiorum coeno obvolutus virtutem desperabat, nunc ad meliorem frugem, Deo opitulante, receptus, nullum iam virtutis periculum sibi futurum confidat, quare sapienti Dei consilio sibi permissus, cito et turpiter lapsus, tristi at salubri discit experimento propriam fateri infirmitatem, nemini praeterquam Deo fidere.

(*c*) Eadem vis vocis Syriacae ܒܢܐ Eccli. XLVIII, 19, quam Graecus reddit ὠχύρωσε; idem significat vocabulum οἰκοδομεῖν I Mach. I, 33.

(*d*) III Reg. XV, 17. II Paralip. XIV, 7.

illa innitebatur omnibus erat probatissimum. Haec autem victoris contra devictam urbem imprecatio antiquis illis temporibus usitatissima (*a*), non veteri consuetudine, sed ob Iehovae reverentiam a Iosua prolata est; sacrilegium quippe videri poterat moenia Numinis voluntate prostrata iterum excitare, decebat insuper ut illa rudera, solemne divinae ultionis monumentum, quamdiutissime perstarent. Sunt qui in Achanis fato duo reprehendant, modum scilicet criminis inquirendi et poenam ipsam; inquisitio per sortes, inquiunt, superstitionem sapit, saltem eam promovet; quod vero miles ex opimis hostium spoliis quidpiam sibi surripuerit, non adeo immane est facinus, ut ipse et universa eius domus, reus iuxta atque insontes una comburantur (*b*).

XXXI. Utrumque scrupulum dubitantibus eximimus. Superstitionis est putare sortis iactum necessario et per se occulta revelare, futura portendere, aut casum, fortunam, mera nomina, ceu numina sortitioni praeesse; aeque superstitiosum praesumere hoc tutissimum semper, Deoque acceptum esse argumentum veritatem detegendi; at vero nil vetat quominus Deus aliquid revelaturus hoc ipso aut alio quovis instrumento utatur, imo ad superstitionem dedocendam admodum conveniens fuit, ut Deus sortitione uteretur, qua illis tempo-

(*a*) V. Strab. Geograph. lib. XIII, cap. I. p. 42. Appianus, de bello civili lib. 1. cap. 20.

(*b*) Ios. VII, 14, 15.

ribus omnes ferme abutebantur, atque hac ratione demonstraret sortem non fato aut idolis, sed Ievohae parere, iuxta verissimum Salomonis effatum: *sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur* (*a*). Praeterea ad hunc modum Deus omni vel levissima suspicione Hebraeos exemit ne forsan Achanis insimulatione Iosuas ducis imprudentiam praetexere, Sacerdotes sacri aerarii rationes studiose nimis procurare viderentur; maiorem in omnes terrorem longiori hoc experimento coniecit; demum reum ipsum ad publicam criminis confessionem adegit. Cetero, non hic consuetus apud Hebraeos veritatis explorandae modus, sed adeundus erat Sacerdos qui Ephod indutus per *Urim* et *Tummim* (*b*) Dominum consulebat; quamobrem, cum Saul frustra per Sacerdotem Domino consulto, sorti commisit, ut si forte quis militum peccavisset, hunc deprehenderet, licet sors in Ionathan criminis sontem et nescium ceciderit, exitum tamen populus improbavit, quia sortes ad merum regis nutum fuerant coniectae, Dei autem voluntas per Ionathanis victoriam manifestissima (*c*). – Achanis flagitium tum sacrilegium erat, tum crimen fractae militaris disciplinae, laesae regiae divinae maiesta-

(*a*) Prov. XVI, 33. Hebraice: in sinum iacta est sors, sed a Iehova omne iudicium eius.

(*b*) Exod. XXVIII, 30. Num. XXVII, 21, hebraice הָאוּרִים וְהַתֻּמִּים; LXX interpretes δήλωσις καὶ ἀλήθεια, revelatio et veritas.

(*c*) I Reg. XIV, 37-45.

tis, severiori itaque poena in aliorum exemplum multandum; num familiam furti sociam habuerit non quaerimus, nam lex anathematis, cui Achan Deo decernente subiectus Ios. VII, 15, universam domum, familiam (*a*), urbem aliquando (*b*) complectebatur, quamvis nonnulli inibi insontes fuissent, eadem propterea *calamitate*, non autem *poena* obvoluti.

§ III.

Saxea grando, diesque producta.

XXXII. Transitus Iordanis, urbium Hierichuntis et Hai expugnatio tanto Chananaeos terrore perculerant, ut Gabaonitae, strenui licet et fortissimi viri (*c*), satius duxerint pacem et foedus dolo et fraude ab Hebraeis extorquere Ios. IX, 1-16; hac defectione indignati et exterriti reges finitimi sociatis viribus discedentes aggrediuntur, qui a recens foederatis opem implorant, iisque praesentissimam fert Iosuas, qui cum universo Hebraeorum exercitu a castris Galgalae profectus quinque Chananaeos reges fundit, profligat; interea dum eos persequitur, primo lapideus imber Hebraeis illaesis Chananaeos proterit; dein Iosuas veritus ne tempus

(*a*) Num. XVI, 20-40.
(*b*) Deuter. XIII, 12-18.
(*c*) Ios. X, 2.

cladi perficiendae deesset, Deum precatus solis moram exorat Ios. x, 1-15. Utriusque facti veritatem negant, vellicant Increduli, aut saltem cum *Rationalistis* eius mirabilitatem extenuant; utramque in tuto ponere nobis in animo est, atque a saxea grandine exordimur.

XXXIII. Utrum lapideus fuerit imber, an saxea grando deciderit, frustorum magnitudine lapidibus aequiparanda, dissentiunt Interpretes; qui Ios. x, 11 primo dicuntur אֲבָנִים גְּדֹלוֹת lapides magni, mox אַבְנֵי־הַבָּרָד lapides grandinis vocantur, nec prima fronte liquet utrum prior locutio per alteram, an haec per illam exponenda sit; at vero cum lapides grandinis in aliis sacrarum litterarum locis grandinem solito maiorem certissime designent, et una cum imbre aut procella coniungantur (*a*); cum in eamdem sententiam verterint Arabs, et LXX interpretes (*b*); Ecclesiasticus autem hoc factum memorans, dicat: audivisse Deum Iosuam *in saxis grandinis virtutis valde fortis* (*c*), ac demum haec ipsa locutio Latinorum scriptorum propria sit (*d*), hanc

(*a*) Vide Is. xxx, 30 qui eadem verba usurpat אֶבֶן בָּרָד Ezech. XIII, 11, 13. XXXVIII, 22, qui per אַבְנֵי אֶלְגָּבִישׁ *lapides congelatos* idem significat.

(*b*) Ille: طَرَحَ ٱللَّهُ عَلَيْهِمْ حِجَارَةَ بَرَدٍ مِنَ ٱلسَّمَآءِ

LXX: καὶ Κύριος ἐπέῤῥιψεν αὐτοῖς λίθους χαλάζης δυνάμεως κραταιᾶς. Consentit Ios. Flav. Antiq. lib. v. cap. I. § 17: καὶ χαλάζης καταφορᾷ μείζονος τῆς συνήθους.

(*c*) Eccli. XLVI, 6. Graecus habet: ἐν λίθοις χαλάζης δυνάμεως κραταιᾶς.

(*d*) Scriptor belli Africani cap. XLVII.

significationem altera longe probabiliorem esse censemus. Quod ad rem ipsam, utrumque phaenomenon antiquis (*a*) ac recentioribus (*b*) temporibus saepe repetitum novimus, atque aërolithis quos vocant, aut meteorolithis aeque ac a grandine homines et animantes interdum fuisse protritos, quod speciatim de grandine Moses ipse testatur (*c*). Facti autem veritatem quod praecipuam victoriae laudem Hebraeorum armis eripit, ut procelloso nimbo concedat, praeter ingenuam atque indubiam scriptoris auctoritatem, allata modo Ecclesiastici, Habacuc, Isaiae testimonia confirmant, quibus Iosephi Flavii suffragium accedit (*d*). At verum ne prodigium? Non definimus: nam quod lapidibus pluerit, aut grandinaverit, id sane prodigiosum non est; quod Iosuae precibus coacervatus imber, stato tempore, stato loco delapsus Chananaeos contuderit, Hebraeos non laeserit, id absque Numine contigisse negamus; at Deus qui utrumque ordinem moralem et physicum una temperat, non semper cum utrumque intimius coniungit, alterutrum praetergreditur; neque cum ad Ecclesiae preces caelum turbidum fit, aut serenum, ingruentes calamitates, morbi propellun-

(*a*) Livius I, 31. XXII, 1. XXVII, 37. XXIX, 10. XXX, 38. Dio Cassius XL, 47. Plinius II, 38.

(*b*) Clarissimus Arago ordinem chronologicum texuit casuum varii generis meteorolithorum ab anno a. Chr. 1478 ad annum post Chr. 1824, et plusquam 250 recenset. Vide Annuaire du Bureau des Longitudes pour l'année 1824.

(*c*) Exod. IX, 22.

(*d*) Antiq. lib. V. cap. I. § 17. sup.

tur, confestim prodigium agnoscimus, sed singulare Dei beneficium, et praesentissimam eius voluntatem grato ac religioso animo veneramur.

XXXIV. Graviorem, magisque agitatam quaestionem ingredimur, utrum nempe eadem die qua Gabaone pugnatum est, tellus ipsa constiterit, et sol immotus sit visus, an vero, diurno telluris cursu haud intercepto, diurna lux quodemumcumque modo fuerit producta; quo planior fiat duplicis huiusce quaestionis solutio, eam partitim expendimus.

XXXV. Diurnam lucem revera et prodigiose productam fuisse, extra omnem dubitationem positum arbitramur; etenim scriptor stetisse solem, neque unius diei spatio occidere festinasse, coram coaevis fidenter asseverat, aut saltem coaevo documento, vulgari nempe ac probatissimo carmine, confirmat. Huius auctoritati, quae, uti ostendimus, certa atque irrepugnabilis est, accedunt aliorum hagiographorum suffragia, qui solem et lunam in tentorio veluti commoratos (*a*), aut solem *impeditum*, vel pedem inhibuisse dicunt (*b*); accedit totius Hebraicae gentis persuasio, Patrum consensus, Ecclesiae fides, quae profecto tanti ponderis sunt, ut vel pervicacem revincant. At vero contextus orationis et series factorum id etiam necessario postulat; neque enim duodecim horarum spatio tot illa perfici potuissent,

(*a*) Habac. III, 11.

(*b*) Eccli. XLVI, 5, graece ἀνεπόδισεν ὁ ἥλιος, pedem retulit sol; Vulgatus vertit: *impeditus est sol*; legerat fortassis ἐνεποδίσθη.

quae die illa contigisse narrantur: Iosuas quippe primum a Galgalis Bethoronem usque, inde Azecam versus atque Macedam (locos haud ita proximos, sat imo distantes) Chananaeos persecutus est, instantibus, diffusos undique circumfluentibus Hebraeis; hostium dein plerisque dispersis, excisis, reliquis in urbes munitas ingressis, receptui signa dedit, et copias prope Macedam coëgit, tum reges spelunca antea inclusos educit, enecat, suspendit, mox cum universo exercitu Macedam oppugnat, cuius cives teterrima clade, et ferali règum spectaculo exanimati ingruentium impetum non sustinent, et ad unum omnes iugulantur; tunc demum, sole occidente regum cadavera demissa in speluncam denuo retruduntur; haec sane nimia quam ut unius diei spatio peracta sint; nimirum viginti circiter millia passuum decursa sunt, pono celeriter fuisse confecta, attamen montium ascensus, viarum asperitates, anfractus, fugientium errores, spatium denique copiis colligendis, viribus recreandis necessario concessum, duplicem ferme postulant diem, cum vix integra superandis locorum intervallis par fuisset.

XXXVI. Quae cum ita sint, corruunt hypotheses Peyrerii (*a*), Grotii, Clerici, Dathii (*b*), aliorumque qui in hoc prodigio merum *factum meteorologicum* sibi videre visi sunt; nam quaecumque

(*a*) Systema Theol. ex hypothesi Praeadamitarum lib. IV. cap. V. p. 215. seq.

(*b*) Comment. in h. l.

fingantur huius generis φαινόμενα, parelion, crepusculum, solis radii refracti, lux repercussa, haec solis vicem non explent, et in unam aut alteram, non autem in multas horas perdurant. Infirmiora etiam Michaëlis et Iahn aliique protulerunt, solis lucem cum lunae splendore aut fulgurum coruscatione commutantes, aut contendentes scriptorem hoc unum tradere voluisse, tot ac tanta ab Hebraeorum duce eo die peracta, quot a nullo unquam imperatore duobus integris diebus perfecta sunt; seu rectius, cum Iosuas in votis haberet ne sol occiduus absolutam hostium cladem praepediret, ab ingruente procella solem obductum fuisse; cum autem hostibus undique fusis, sol iterum emicaret, nec multa adhuc videretur dies, Iosuam una cum exercitu et votum exauditum, et diem productam falso putavisse. – Haec ne aegrorum somnia, an vigilantium deliramenta dixeris? Nimirum satius est omnem prorsus historico fidem abnuere, quam narrationis sensum et verba ita pervertere atque torquere. – Dicendum ne igitur solem reapse constitisse? – Si quaestio captiosa est, atque ab iis proposita, qui eam iuxta astronomiae placita solutam velint, ipsos vice nostra percunctamur, num ea die revera occiderit sol? Si enim vere occubuit, potuit aeque consistere; quod si specie tenus occubuisse affirment, quid vetat quominus et ad speciem constitisse dicamus? – At Hebraei falso opinati sunt reipsa et stetisse, et occubuisse. – Non quaerimus quid Hebraei putaverint, sed quid hagiographus

scripserit; solem stetisse et occubuisse asseverat; quare si postremum hoc de sole per speciem occiduo hodiedum rectissime dicimus, cur et primum illud nequiverit scriptor de sole specie tantummodo remorato usurpare? Quod si species scriptorem falsum habuit, falsum ipse verbis non expressit; haec enim solem aliquatenus moveri generatim significant, quod verissimum est; utrum vero re id fiat, an iuxta id quod apparet, non definiunt, proindeque astronomiae placitis neque favent, neque contradicunt. Quamobrem, scriptorem recentioris scholae dogmata haud praesumsisse fatemur, quippe hagiographi humanae redemptionis non autem orbis oeconomiam a Deo edocebantur; sed et frustra illa tenuisset, cum doctissimi nostrae aetatis astronomi haud secus ac ille communiter loquantur; potius miramur rei veritatis ignarum apte adeo locutum fuisse, ut eius sententia quibuscumque temporibus conveniret. Atque hoc ipsum divini afflatus indubium argumentum est, quod hagiographi quaedam interdum significantius protulerint quam mente conceperint, ut in typicis praesertim oraculis animadvertere est; omnimoda siquidem *ἀντιτύπου* cum typo convenientia clarior iis qui post illud vixerunt, quam ipsis prophetis videtur illuxisse; Deus igitur ita eorum calamum rexit, ut non modo innoxius mentis error, si quis forte fuisset, eorum scripta numquam inficeret, sed ut ea aliquando verba seligerent, quorum exquisitior proprietas eos latebat. Ceterum, cum Deus

mundum hominum disputationi tradiderit (*a*), quaecumque extra religionis ambitum sunt, quibus propterea doctiores fiunt non meliores, aut sapientiores, iis divina revelatio neque adversatur, nec album calculum adiicit, sed communem loquendi rationem, et conditionalem (ὑποθετικὴν) pro absoluta sequitur veritatem, ad eumdem fere modum, quo nummularii schedulis perinde ac praesenti pecunia utuntur. Quapropter si impie aeque ac absurde scioli increduli quaedam s. scripturarum loca novissimis scientiarum inventis adversari blaterant, non minus inepte faciunt, qui haec ipsa ceu in sacris litteris latentia studiose exquirunt, atque venantur; utrique operam perdunt, sed postremi vel inviti s. bibliorum auctoritati plus officiunt quam prosint; quum enim eorum conatus varient in dies, haec sententiarum diversitas non vacat imperitorum offensione. Superstitiosior itaque nobis videtur I. Iacobus Zimmermann, qui probare adnisus est (*b*) Iosuae precibus solis circa proprium axem conversionem cohibitam fuisse, quo factum sit, ut tellus ceterique planetae, inerte sole, non amplius circumagerentur, quod quantum astronomicis placitis conveniat, aliis expendendum relinquimus, sed a critices et exegetices legibus dissentire fidenter pronunciamus; dum enim auctor non modo stetisse solem, sed occumbere non festinasse affirmat, diurnum eius cursum fuisse retardatum aperte significat. Hoc igitur probe

(*a*) Eccl. III, 11.
(*b*) Scriptura S. Copernizans, Hamburgi 1706. p. 63. seqq.

stabilito, solem specie dumtaxat fuisse remoratum, eritne propterea inde conficiendum, terram ipsam quievisse? – Primum omnium certa et firma a dubiis et incertis secernenda sunt: Hagiographi, Patres, antiquiores Theologi qui solem, recentiores qui tellurem constitisse arbitrantur, omnes consentiunt solem immotum diu visum fuisse, quod aeque nobis indubitabile est; at qua demum ratione id factum sit, num sol remoratus, vel terra quieverit, aut solis radii prodigiose refracti sint, id habet aliquid quaestionis; quod ad nos attinet, nullam in eo videmus repugnantiam quod Deus diurnum telluris motum inhibuerit, at revera inhibuisse, non ita exploratum est; utramque vero propositionis partem, discussis quae in contrarium opponuntur, demonstramus.

XXXVII. Aiunt itaque in diversum auctores, terram nequaquam remorari potuisse, quin primum et aliorum planetarum cursus, et totum, quod aiunt, *solare systema* perturbaretur; dein sol et luna iisdem terrae et maris tractibus diutius impendentes aestum immanem moverent, et cataclysmo mergerent orbem; postremo ipsa tellus, celerrimo quo fertur cursu repente cohibito, vehementissime concuteretur, et omnia, quae supra eius faciem sunt, subverterentur. Addunt, temeris Iosuae votis exauditis, pessime Hebraeis militibus consultum fuisse, quippequi die producto ac ferventiori longe lateque hostes insectati, fame, siti, labore enecti fuissent, penitusque consumti; nec decuisse Deum, qui brevi ac sim-

plici via altissimam metam attingit, ob rem tantillam, nempe ut pleniori victoria Hebraei potirentur, stupendum adeo prodigium perpetrare, praesertim cum hac ratione dolosis Gabaonitis ac foedifragis Hebraeis patrocinatus fuisset, et maiorem Iosuae quam Mosi (contra atque legimus Deuter. xxxiv, 10-12) auctoritatem et laudem conciliasset. Ad extremum concludunt absonum esse, eventum adeo insignem, et ubique terrarum spectabilem, non modo omnes profanae antiquitatis scriptores, sed Paulum ipsum latuisse, qui Hebr. xi, 30-32 alia minoris momenti proferens, hoc praetermittit.

XXXVIII. Singulis obviam imus. Argumentum ex perturbationibus deductum quae prodigium consecutae fuissent, staret quidem, ubi eadem vis quae diurnum telluris motum inhibuisset, illas haud potuisset praecavere, quod de divina virtute affirmare, nescio utrum magis impium quam absurdum sit; rationem autem sciscitari, qua Deus id potuerit perficere, aeque ridiculum est; nam plurima nobis impervia sunt, contrario nil eius sapientiam fugit, nil excedit eius virtutem. Ceterum, quae opponuntur altius exaggerata sunt: sane non annua telluris circa solem, sed diurna illius circa proprium axem conversio cohibita fuisset; cum enim haec ab illa omnino distincta sit, atque discreta (*a*),

(*a*) Hoc vel inde infertur, quod annui telluris cursus celeritas alia per annum, atque alia sit; rotationis vero eadem semper sibique constans, adeo ut post bis mille annos dies *sidereus*, ne centesimam quidem *secundi*, quod vocant, horae momenti partem, dissimilis sit.

potuisset una consistere, altera vero perdurare; falso deinde ponunt telluris rotationem repente non autem sensim fuisse remoratam (*a*); tum diuturniori solis, lunaeque attractione vehementiorem aestum ciendum fuisse fatemur, addimus tamen, nisi Deus eumdem prohibuisset. Quid quod nuperus auctor (penes ipsum fides sit) historicis ac geologicis documentis probare adnisus est cataclysmum circa ea tempora contigisse, qui XXIV horarum spatio perduraverit, scilicet eumdem quem Graeci Deucalionis vel Ogygis dixerunt, et a quo Ægyptii cum Solone collocuti (in Timaeo apud Platonem), Atlantidem absorptam fuisse ferebant (*b*)? – Quae temere nuncupantur vota Deus non exaudit, at Iosuae preces exaudivit, ergo ille temeras non effudit; nec porro militibus exitiosas, nam diem illam procellosam fuisse, atram nubibus, grandine frigidulam supra vidimus; insuper Hebraei victoria elati, nullis adversis conatibus praepediti, nec acie instructa, nec pressis agminibus hostes insecuti, cibum interim sumere, hic illic singillatim morari potuerunt; id nimirum per illam aetatem inter pugnandum factitatum legimus I. Reg. XIV, 24-30. Praeterea non modo tibi cavendum est ne angustioribus finibus pugnam illam concludas, sed et ne latioribus eamdem producas; quae vero tunc contigisse pro-

(*a*) Plura in hanc rem notabilia et ingeniosa invenies apud Gaussen, Théopneustie, ou Inspiration plénière des ss. Écritures, Paris 1844. Section VI. Erreurs contraires à la philosophie de la Nature, p. 357-370.

(*b*) Chaubard, Éléments de Géologie. Paris 1838. 2.ᵉ édit. p. 429-474.

bavimus, nimia quidem quam ut una tantum die confici potuerint, at non talia profecto quae naturales militum vires superaverint; quare aliter ac plerique interpretes faciunt, Lebnae expugnationem, obsidionem Lachis (*a*) diebus insequentibus assignamus; nec refert quod uno tenore haec enarrentur, quia, ut alias animadvertimus, scriptor ordinem rerum potiusquam temporis accurate persequitur; quod vero adiicitur, Lachis *altera* die (*b*) captam fuisse, id tantum significat postridie obsidionis, non autem postridie productae illius diei contigisse; secus dicendum esset, eadem die qua Lachis capta est, Eglon, Hebron et Dabir expugnatas fuisse, quippe uno eodemque tenore haec pariter exponuntur (*c*). – Quid Deum decuerit, a nemine melius quam ab ipso et quidem per hagiographos scriptores edocemur; viae simplicitas et brevitas a meta proposita est dimetienda; hanc autem ad Deum quod spectat ex toto numquam assequimur, sed partim cognoscimus, partim coniicimus, magnam partem ne quidem suspicamur, iudices igitur inepti; cetero, voluit Deus ut debellatum illa victoria foret, et miraculorum prodigus fuit quo postea parcior esset; huc etiam redeunt quae supra monuimus, non tantum in Hebraeorum gratiam haec evenisse, sed ut obscurata ubique terrarum veri Dei notitia purior illucesceret;

(*a*) Ios. x, 29-31.
(*b*) Ib. v. 32.
(*c*) Ib. v. 32-39.

quare qui pridem repetitis prodigiis auctorem vitae et necis, terra marique potentem se praebuerat Deus, et idolorum vanitatem declaraverat, quid aptius nunc praestare potuisset, quam sole et luna remoratis, horum una et ceterorum siderum cultum, qui iam tunc obtinebat (*a*), uno velut ictu proterere? Nos quidem tantilli sumus, at vero quia sapientissimus Deus et simplicissimis utitur modis, non absurde coniicimus quae in hac rerum universitatis atomo contingunt, cum totius universi compage intime colligari; quid igitur si haec ipsa solis aut terrae statio ceteris, si qui sunt, aliorum siderum incolis, aliorum fuisset eventuum causa, aut occasio? Hae merae sunt coniecturae, at non ineptae (*b*), opponentium impiae plerumque, aut absurdae. – Gabaonitae dolosi, sed fide et modestia veniam promeriti sunt; Hebraei, Domino inconsulto, improvide foedus cum iis sanxerunt, at negligentiam iurisiurandi religione pensarunt, et foedus ratum habuit Deus (*c*), qui Hebraeis vetuerat ne cum Chananaeis foederarentur, quia noverat horum plerosque foedere abusuros, at simul permisit ut Gabaonitae fraude sibi consulerent, Hebraeosque deciperent, quia hoc pacto nullo alterutrorum damno, utrisque provisum est; iam porro Deus Hebraeis Gabaonitis suppetias fe-

(*a*) Deuter. IV, 19. XVII, 3.

(*b*) Videsis Chalmers, Discours sur la révélation chrétienne considérée en harmonie avec l'astronomie moderne. Paris, 1827.

(*c*) II Reg. XXI, 1.

rentibus tam insigni prodigio opitulatus palam fecit se Chananaeorum scelera, non ipsam gentem odisse. – In allato Deuteronomii loco legimus, non alium a morte Mosis prodiisse prophetam qui eadem amica eum Deo familiaritate usus sit, ac tot illa prodigia perpetraverit, quae in Ægypto ille perfecit; numquid haec non verissima sunt? Num, utroque hoc capite, Iosuas aut quivis alius propheta Mosi comparandus? – Ad profanos scriptores quod attinet, opponentes diversi maxime inter se sunt; dum enim illorum silentium urgent nonnulli, alii ex illorum mythis Hebraeos hocce prodigium desumsisse augurantur, et plura Graecorum scriptorum loca proferunt, quibus pressus sol, vel retardatus, aut nox producta describuntur (*a*); nos temporis compendium facturi, dum dissidentes de compositione suademus, rogamus lectorem ut ea recolat quae, agentes de libri auctoritate, supra (*b*) disseruimus, quaeque et in hunc locum apte quadrare videntur. – Paulo propositum erat carptim praeterita attingere non enarrare, neque hunc eventum transiliit aut ignoravit, sed forsan ideo omisit, quia splendidiora fidei argumenta studiose conquirens factum praeteriit, quo non modo fides sed et bellica virtus enituit.

XXXIX. Quae hactenus disputata sunt, probant nil esse quamobrem repugnare dicamus Iosuae pre-

(*a*) Iliad. II, 412, seqq. XVIII, 239, seqq. Odyss. XXIII, 243, seqq. Plautus Amphitr. Act. I, scen. I, 116 seqq.

(*b*) XVII.

cibus tellurem constitisse, sed quia non omnia quae fieri possunt, propterea fiunt, videndum num alia argumenta praesto sint, quibus revera id factum fuisse colligamus; haec autem non aliunde quam ex facti natura aut ex narratione ipsa queunt deduci; at enim scribentis verba, uti animadvertimus, potius speciem quam rem ipsam significant, solem videlicet immotum visum fuisse; restat igitur, ut factum ipsum expendamus. Iamvero naturaliter haud fieri potuisse ut vere occideret sol, specie tamen ad plures horas adhuc esset conspicuus, hoc et fatemur, et propugnamus; verum non inde sequitur id prodigiose fieri nequivisse: nam si ope solarium radiorum refractionis nobis per aliquot horae momenta, regionum incolis quae ad polos sitae sunt aliquando per decem et amplius dies, ante solis ortum, post eiusdem occasum, solis species conspicua est, numquid non potuisset Deus prodigiosum in modum solis radios ita refringere, ut sole primum occiduo, dein infra horizontem delapso, eius tamen species immota et vivida usque permaneret? Nec obiicias solaribus radiis tantum refractis, solis interim cursu haud remorato, iam tertium incoepisse diem, seu rectius, unum eumdemque non semel, sed bis contra hagiographorum fidem productum fuisse; etenim dies producta occidente sole clausa est, num solis occasum mox aurora consecuta sit, id hagiographi neque inficiantur, neque asseverant; quamquam haec recentiorum saltem Hebraeorum persuasio fuisse videtur, uti colligere

est ex Iustino (*a*) qui facit triginta sex horis diem illam constitisse. Praeterea verba illa: *stetit sol in medio caeli, et non festinavit occumbere spatio unius diei* (*b*), ad matheseos amussim exigenda non sunt (cum temporis subtilius computandi otium aeque ac instrumenta Hebraeis ea die defuerint), sed latiori significatione quam utique verba patiuntur, interpretanda; quippe solem paullum a meridie devexum, non inepte caelo medium dixeris, atque tunc Iosuae preces vel convenientissimae fuissent; hebraica autem vocabula כְּיוֹם תָּמִים, quae Graecus Alexandrinus vertit: εἰς τέλος ἡμέρας μιᾶς, Hieronymus: *spatio unius diei*, commode reddi possunt: *circiter die integro*, vel: *perinde ac si dies integer adhuc atque ex toto absolvendus, tunc primum incoepisset;* fac igitur solem circa horam nonam substitisse, atque inde ad vesperam XII horas, ex quibus naturalis dies conflatur, effluxisse: vide quam apte id hebraico textui respondeat: *et non festinavit occumbere, sicut die perfecto* (*c*); nunc superadditis matutinis et meridianis horis illius diei, summam unius et viginti horarum subduces; non minus propterea apposite Syracides ait: *et unus dies excrevit in duos* (*d*), seu ut Vulgatus vertit: *et una dies facta est quasi duo* (*e*). At enim ad inte-

(*a*) Dial. cum Tryph. p. 361.
(*b*) Ios. x, 13.
(*c*) וְלֹא־אָץ לָבוֹא כְּיוֹם תָּמִים
(*d*) Καὶ μία ἡμέρα ἐγενήθη πρὸς δύο.
(*e*) Eccli. XLVI, 5.

gram telluris circa proprium axem conversionem, quae XXIV horis absolvitur, tres adhuc supersunt, hisce igitur brevissima nox prodigiosam illam diem subsecuta, constare potuisset. Atque haec quidem omnia, ut nobis haud improbabilia videntur, attamen quia non omnino explorata, aliorum iudicio permittimus; illud certum, firmum, indubitabile est, solem immotum visum fuisse, eiusque occasum prodigiose per diem ferme prolatum; cetera coniectura assequi licet, non item fidenter de iis pronunciare.

XL. Verum haec iudicii modestia ac temperatio miraculorum osoribus, aut novitatis studiosis minimum arridet, qui ne prodigiosam ullam diurnae lucis productionem fateri cogantur, hanc narrationis pericopam aut poëticis fictionibus accensent, aut contorta interpretatione depravant. Aiunt enim, poëticum videri solis silentium (*a*); poëticum lunae ἐπεισόδιον; lunam scilicet Hebraeorum ducem parum sollicitum habere debuisse, quippe, Aialon impendens, soli proxima et invisibilis fuisset; insuper, sole splendescente, pallida eius lux haud exoptanda; sole immoto, haud verendum fuisset ne ulterius progressa noctem adduceret; poëticam Habacuc locutionem qua sol et luna velut in tentorio moram nectentes describuntur (*b*); utriusque loci hanc

(*a*) Ios. x, 12. שֶׁמֶשׁ בְּגִבְעוֹן דּוֹם *sol in Gabaon sile;* Vulgatus: *sol contra Gabaon ne movearis.*

(*b*) Habac. III, 11.

unam, Iud. v, 20 (*a*), non absimilem esse significationem: *de caelo dimicatum est;* nimirum ea per solis et lunae obscurationem, ac vehementem imbris, grandinis, ventorum vim, caeli et aëris mutatio inducta est, quae Hebraeis faverit, hostibus fuerit infensissima; sane quae addit Habacuc: *in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastae tuae*, aperte declarant fulmina et fulgetra, quae passim in sacris litteris (*b*) Dei *sagittae* vocantur, vicem solis occidui, et lunae non exorientis explevisse. Nec aliam, inquiunt, Ecclesiastici mentem fuisse, cuius verba nequeunt significare solem retroactum, quod foret absurdum, sed hanc habent sententiam, dum occiduus sol cursum suum conficeret, atque ad orientem rediret, talem nihilominus fuisse lunae splendorem, ut diurnae luci contenderet. In hanc opinionem nuper concessit vir linguarum orientalium peritia, utinam et iudicii solertia, singularis (*c*), qui Iosuae verba ita exponit (*d*), ac si Deum ille exoraverit, ut quantum lucis sole occaso deficeret, tantumdem, oriente luna ac solito fulgentiore, pensaret, quod ea ipsa die in quam et plenilunium, et aequi-

(*a*) Stellae manentes in ordine, et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt.

(*b*) Ps. XVII, 15. LXXVI, 19. CXLIII, 6.

(*c*) Prolegomeni alla Illustrazione della s. Scrittura per monumenti Fenico-Assirii ed Egiziani, di Michelangelo Lanci, Parigi 1845, tomi 2. Opus Pontificia sanctione reprobatum.

(*d*) En eius verba: *Agli occhi d'Israele sole nel colle asconditi pure, ma tu o luna risplendentissima sii nella valle.* Tom. 2. p. 384.

noctium (ipso iudice) incurrerat, adamussim contigisse arbitratur, idque studet confirmare auctoritate *Libri Iustorum*, cui postremam Ios. x, 1 partem attribuit, ac ita reddit: « sol qui media coeli par-
» titione (*per la linea equinoziale*) occidit, nonne
» eodem temporis spatio orientem repetit, quo
» flexerat ad occasum? »

XLI. Haec omnia quampaucissimis absolvimus: priores illi non satis poëticum ornatum a poëtarum figmentis distinguere videntur; praeterquamquod enim alia profecto fuit Hebraeorum ab ea quae ceterorum vatum conditio est, nec isti omnia semper comminiscuntur, licet ipsis multa ad libidinem confingendi venia data sit; quod si audacioribus tropis, figuris, aliisque orationis luminibus, quae orientalis poëseos indoles est, ipsi quandoque usi sunt Hebraei, altius fortassis exaggerata oratio, non ideo ficta aut falsa dicenda erit. Poëticus itaque Liber Iustorum, at verax, nec enim haec inter se pugnant; poëtica, si vis, locutio: *sol in Gabaon sile*, quamquam hoc vocabulum non modo vorsa (*a*), sed prosa (*b*) oratione moram, quietem, cunctationem apud hagiographos significat; lunam in valle Aialon quievisse tradit carminis conditor, quia haec solis et lunae, Gabaon et Aialón antithesis poëseos hebraicae concinnitati, rhythmo, harmoniae, παραλληλισμῷ convenientissima; at vero libri auctor solem

(*a*) Iob. xxx, 27. xxxi, 34. Thren. ii, 18.
(*b*) i Reg. xiv, 9.

dumtaxat narrat constitisse, cuius testimonio, quid in colorata ac praecisa narratione intersit, aperte edocemur, iique arguuntur quî contra proprietatem dictionis, atque allegandi morem, haec ipsa verba historico abiudicant, tribuunt poëtae. – Habacuc solis et lunae stationem non inficiatur, sed expresse confirmat: omnia siquidem componens quae ea die contigerunt prodigia, primum asserit solem et lunam substitisse *in habitaculo* (*a*), idest suum in caelis locum fixum et immotum obtinuisse; verum cum ingruentibus nubibus grandinosis paullisper fuerint obducti, addit fulmina et fulgura illam diei particulam collustrasse. Qui verba Habacuc aliter exponunt, fiunt absurdi; etenim si diu pugnatum est: quid mirum quod luna non fulserit? Si noctu: mirumne solem non emicuisse? Iudicum v, 20 sententia valde dissimilis est; in hebraico siquidem textu non legimus stellas in ordine suo

(*a*) זְבֻלָה *in habitaculo*, non ut Vulgatus: *in habitaculo suo*; nam ה *paragogicum* est. Origo vocis est זָבַל; quod si derivata contuleris, significatione duplex est: 1.ª volvere, convolvere e radice *bal* sanscrit. wal, unde lat. *volvo*, quam aliis praepositionibus auctam invenies in vv. דָּ־בַל, גָּ־בַל; 2.ª habitare (eadem ratione qua ex אָהַל volvere, conglobare, manavit אֹהֶל- tentorium, dictum a globosa forma tecti desuper extenti); quare זְבוּל et זְבֻל tum generaliter quodvis habitaculum, tum specialiter caelum, Dei et astrorum domicilium, significat, propterea quod instar camerae incurvum sit. V. Fürst, Concordantiae Lib. V. Test. S. hebraicae atque chaldaicae sub v.

mansisse, sed ex orbitis suis (*a*) dimicasse, sive quod poëtice, iuxta vulgarem illorum temporum opinionem, astrorum influxibus aërem perturbatum, imbrem effusum, torrentes excretos assignaverit; sive quod stellas pro caelo ipso, in quo positae sunt, hoc autem, ut Latini solent, pro aëris regione per synecdochen sumserit. – Quod ad allatum Ecclesiastici locum spectat, graeca vox *ἀναποδίζω pedem refero*, et verum regressum, et meram cunctationem perinde significat, nam pedem inhibemus sive retrocedendo, sive consistendo absque ulteriori motu (*b*). Postrema haud multis nos morantur; nam haec novissima interpretatio praeterquamquod sensum verborum torquet (*c*), et nemini

(*a*) מִמְּסִלּוֹתָם ex eorum viis; מְסִלָּה proprie est via aggesta, terra vel lapidibus stratis elatior trita atque exaggerata, germ. Hochweg, angl. *highway*, gallice *chaussée*, italice *strada colmata*, *maestra*, generaliter vero quaelibet via.

(*b*) V. Schleusner, Lexicon in LXX sub. v. ἀναποδίζω.

(*c*) Vox hebraica דּוֹם significat *silere*, *quiescere*, עָמַד *stare*, *consistere*, neutra solis occasui designando convenit, etenim sol dum occidit neque stat, neque quiescit, sed ad quietem properat; idque confirmat locus ipse a doctissimo viro productus: locutio enim Ps. CXIII, 17. (hebr. CXV, 17) כָּל־יֹרְדֵי דוּמָה *omnes qui descendunt in locum silentii* (in orcum) satis indicat voci דּוֹם subiectam esse vim designandi itineris metam, non iter ipsum. Porro palmare argumentum est locus parallelus I Reg. XIV, 9, ubi vocum דּוֹם et עָמַד altera alteram explicat, sic enim legimus: « si taliter locuti fuerint

perversa videri nequit, expresso historici testimonio reiicitur, qui solis occasum, ut supra adnotavimus, pugnandi finem fecisse tradit; nimirum Chananaeorum plerisque excisis, reliquis dispersis, quinque horum reges suspenduntur, dein, capta Maceda, occidit sol et regum cadavera demittuntur; iamvero cum Maceda ad Gabaonis meridiem posita sit, repugnat Hebraeos solem ad terga Gabaonis occiduum videre potuisse; sole autem occaso nil amplius peractum fuisse novimus, perperam ergo Iosuas lunae splendorem expetiisset.

» ad nos, *manete* (דֹּמּוּ *silete*) donec veniamus ad vos: *stemus* » (עָמַדְנוּ) in loco nostro ». Ex quo παραλληλισμῷ manifestum est haec vocabula synonyma esse, atque ad moram, stationem significandam promiscue assumi. Demum quae ipse ex Libro Iustorum desumta putat, quam frigide, ne dicam insulse, posita eiusdem interpretatione, inserta fuissent, nemo non videt, et fortassis idem ipse sentit; hîc enim, ut aiunt, haeret aqua.

CAPUT II.

DE LIBRO IUDICUM.

XLII. Hebraei qui inde ab extremis Iosuae temporibus in praeliando contra Chananaeos segniores facti, paçem cum iis nondum componere ausi, fallaces tamen inducias inierant, mox, illo demortuo, primo tributarios eos accipere, dein socios, postremo cognatos in Deum rebelles atque foedifragi non erubuerunt; at confestim dominos experti sunt: nam Chananaei paullatim spiritus sumere, tum immortale odium occludere, tandem quos, hic illic interspersi, arctiori communis foederis ac religionis vinculo prohibuerant, foeda nonnunquam superstitione pravisque moribus infecerant, hos interdum, impetu facto, per vices subigere facile potuerunt. Fatum miserrimum, at indeclinabile, et salutare! Etenim si robustiori in Deum fide fuissent Hebraei, nullo negotio, nulloque accepto detrimento Chananaeos depulissent; at cum essent mobili, varia, levissima, si hostibus undique versum sublatis, de horum incursu omnino securi fuissent, otio pacis abutentes, semel a recta via deflexi, nunquam resipuissent; quod ut averteret Deus permisit ut Chananaeorum reliquiae sublestae Hebraeorum fidei

poena simul et remedium forent; quoties enim dura illorum servitute premebantur, toties ad meliorem se frugem recipientes divinam opem implorabant, et praesentem experiebantur; quippe Deus strenuos, sapientes, integerrimos viros suscitabat (*a*), qui eos in libertatem vindicarent, afflictam rempublicam erigerent, ac rerum summae praeessent, extraordinaria aucti potestate, rerum, temporum, personarum adiunctis varie accommodata; quare non continuo, sed per temporum intervalla hi magistratus creabantur, nec unus modus divinae electionis; sed vel expressa numinis voluntate, ut Gedeon; vel praesumta, cum quis singulari aliqua aut prodigiosa animi corporisve dote spectabilis esset, ut Debbora, Samuel, Samson; aut patriae caritate accensus praeclaro aliquo contra hostes facinore inclaruisset, ut Othoniel, Aod, Samgar; vel magnam faceret sui expectationem, ut Iephte; quod si eadem omnium dignitas, at non eadem muneris amplitudo, seu rectius, exsecutio; alii siquidem, ut Debbora, Heli, Samuel, potius rem civilem; alii, ut Gedeon, militarem; alii, ut Iephte, utramque curabant (quin tamen novas leges conderent, tributa indicerent, regio apparatu ac satellitio uterentur); nonnulli pluribus simul tribubus, quidam uni dumtaxat aut alteri praeerant; paucis: horum electio, et ministerii amplitudo pro variis reipublicae necessitatibus alia atque alia erat, atque

(*a*) Iud. III, 16.

omnimodis malis omnimoda Deus remedia attemperabat. Qui igitur varium ac multiplicem hunc magistratum inibant communi Iudicum (hebraice שֹׁפְטִים) nomine non inepte dicti sunt: sane hebraicae vocis significatio latius patet quam latina; cum enim, ut in disciplina, ita et in linguis Orientis, iudicandi et regendi notiones arcte cohaereant, שָׁפַט (quae hebraicae vocis origo est), non modo ius dicere, sed tueri, vindicare, dein generatim regere et moderari significat. (Confer vocabulum דִּין cui utraque sententia aeque subiecta est (*a*)); quare et de regibus usurpatur I. Reg. VIII, 5, 6. II. Reg. XV, 4. III. Reg. III, 9, et Iosephus Flavius modo illos appellat ἡγεμόνας αὐτοκράτορας imperatores, modo στρατηγοῦς duces, modo δικαστάς iudices (*b*), quo etiam nomine vocat qui Tyriis diu regum loco VI a. Chr. saeculo praefuerunt; nec ab Hebraeis Iudicibus שֹׁפְטִים verbo discrepant Chartaginiensium Suffetes, summus olim Poenis, Livio teste, magistratus (*c*); verbo, inquam, nam re ipsa absimillimi: horum potestas ordinaria et veluti consularis (*d*), illorum extraordinaria et pene dictatoria, quippe Dei vicem in *theocratico* regimine explebant, et ad eius expressum aut tacitum numen eligebantur. Qui hac

(*a*) V. Gesenii Lexicon sub utr. v. Eadem olim apud Graecos vocis κρίνειν significatio; Artemidorus, Oneirocritica lib. II, 14: Κρίνειν τὸ ἄρχειν ἔλεγον οἱ παλαιοί.

(*b*) Contra Apion. lib. I. § 21.

(*c*) Lib. XXVIII, 37.

(*d*) Lib. XXX, 7.

ratione a Iosuae obitu ad Saulis regnum, reipublicae summam capessiverunt, quatuordecim numerantur; nempe Othoniel, Aod, Samgar, Debbora, Gedeon, Thola, Iair, Iephte, Abesan, Ahialon, Abdon, Heli, Samson, Samuel; at liber Iudicum ea praetermittit quae sub Heli et Samuele contigerunt; cum enim Saulis dominatus exordia aperiant atque declarent, commode eius gestis praescripta sunt. Quae in libro Iudicum narrantur critico viro et erudito aeque ac pio cuivis lectori gravissima sunt; in illo enim nativa populi Hebraici indoles ad vivum expressa est, frequens discessio, nec minus frequens reconciliatio, eius infirmitas, Dei clementia, illius infidelitas, Huius constantia, cumque Hebraeorum indoles (heu nimium!) a Christianorum genio haud multum abludat, illorum per ea tempora status atque conditio sat longam historiae quae dicitur ecclesiasticae periodum, imo peculiarem uniuscuiusque vitae rationem nobis significant ac praefigurant; haec igitur *ad correptionem nostram scripta* cum sint (*a*), totis viribus erit nobis enitendum ut, ad haec attendentes, non minus mente quam animo proficiamus.

(*a*) I. Cor. x, 11.

ARTICULUS I.

De libri Iudicum aetate atque auctore.

XLIII. De libri Iudicum haud secus ac de libri Iosue aetate atque auctore multum inter se discrepant critici: alii scriptoris aetatem factis quae narrat propiorem, alii remotissimam faciunt, quare Phineeso, Ezechiae, Ieremiae, Esdrae illum vicibus attribuunt (*a*); sunt quibus unius eiusdemque scriptoris opus videatur; non desunt qui ex singulorum Iudicum scriptis aut ex antiquioribus annalibus ad verbum expressum (*b*), vel demum (quod recentioribus *Rationalistis* praecipue arridet), ex variis fragmentis, collectaneorum instar, librum coaluisse arbitrentur (*c*). Quam sententiarum diversitatem inde ortam putamus, quod nonnulli obiter, praeiudicata plerique opinione in hac quaestione versati sint, neque externa aetatis atque auctoris indicia, quae ex aliis libris hunc proxime excipientibus eruenda sunt, aut intimam eius dispositionem, rerum nexum, auctoris scopum, dictionis colorem consideraverint; nobis haec omnia

(*a*) Hugo Cardin. Prolegom. in h. l. Masius, Iosue imperatoris historia illustrata atque explicata.

(*b*) Iansen. Comment. in Concord. Evang. cap. XI. p. 75. Pineda praef. in Iob. cap. III. Maldonatus, Comment. in cap. II. Matth.

(*c*) Iahn Einleit. 2. Th. 1.er Abschn. S. 101-102. Bertholdt, Einleit. S. 879. Studer, Das Buch der Richter, grammatisch, und historisch erklaert, Bern., 1835.

accurate perpendentibus religio est a Talmudistarum (*a*) atque a communi nunc prudentiorum criticorum sententia discedere, qui illum auctori Samueli adiudicant; cum enim nil omnino est quod huic opinioni adversetur, tum plurima sunt quae ipsam admodum probabilem faciant.

XLIV. Et primo quidem librum Iudicum duobus prioribus qui *Regum* inscribuntur libris antiquiorem esse apertissimum est; quaedam enim in hisce describuntur quae huius editionem certo subsecuta sunt: sane II. Reg. V. Iebusaeos ex arce Sion depulsos fuisse legimus; contrario Iud. I, 21, iidem dicuntur Ierusalem cum filiis Beniamin habitavisse *usque in praesentem diem*; quae postrema verba ipsius scriptoris aetatem significare ex ipsa huiusce pericopae structura conficimus, quae prodit scriptorem non iam annales ad litteram exscribentem, sed eosdem, si qui sunt, artificiose delibantem. Imo in I. Regum plura uti vulgatissima ponuntur quae in libro Iudicum enarrantur: confer I. Reg. XII, 9-12 cum Iud. IV, 2. VI. XI, 2. XIV; iamvero si haec nondum scripto consignata fuissent, cum priora I. Regum capita a Samuele exarata, vel saltem ex eius annalibus decerpta sint, neutiquam ille recentiora describens antiquiora praetermisisset. Neque facta duntaxat, sed vel ipsa verba inde mutuatur, seu rectius, coaevum, Ioabum nempe, eadem proferentem inducit: compara Iud. IX, 53 cum II. Reg. XI, 21.

(*a*) Baba Bathra fol. 14. b. שמואל כתב ספרו ושופטים ורות Samuel scripsit librum suum, et Iudices, et Ruth.

XLV. Hisce extrinsecis argumentis interna quae dicuntur et quidem graviora subiungimus. Scriptori propositum erat praeteritorum memoria populum commonefacere, ut divinae legis praescripta religiose servaret, seque totum in Dei fidem ac clientelam committeret, quoties enim ab eo deflexerat, afflictam, quoties ad eumdem redierat, meliorem fuerat conditionem expertus; quare non iam perpetuam factorum seriem ordine digerit, sed ex pluribus praecipua seligit, haec carptim ac breviter attingit, illis diutius immoratur, prout maiora exinde non tam civilis prudentiae, quam pietatis documenta depromenda sunt. At enim haec Saulis aequalem postulare videntur, recentiorem autem abnuere; illius nimium aetate cavendum erat, ne populus qui θεοκρατίας pertaesus regem expetierat, ac laetiorem propterea sortem sibi pollicebatur, gravissimo hoc errore teneretur, ut nempe putaret adversas res vel secundas aliunde, quam ex recta aut perversa morum disciplina, ex fractis aut servatis divini foederis conditionibus esse repetendas; huic porro, et quidem unico, historici consilio accommodata libri oeconomia seriori aetate non eiusdem profecto fuisset convenientiae, aut utilitatis. Praeterea non aliam aptiorem invenies caussam, cur scriptor a Iosuae obitu narrationem exorsus, hanc cum Samsonis interitu abrumpat, nec Samuelis gesta persequatur, nisi quod ante huius aetatem, aut saltem ipso nondum fato defuncto, editus sit. Adde postremo, eam esse sermonis integritatem, ut nullis,

omnia satis apte et secum invicem et cum universo contextu cohaerere cuilibet apertissimum fore arbitramur, si modo meminerit, quod semel et iterum monuimus, in antiquissimis hisce scriptis rerum potius quam verborum textum esse attendendum, cumprimis autem auctoris scopum, qui non ex hac aut illa pericopa, quodve peius, a lectoribus praeiudicandus, sed ex tota libri oeconomia eruendus est. Auctor nempe, Iudicum gesta enarraturus, opportunum duxit ea praefari, quae proximam cum superiori aetate coniungerent, unaque causas aperirent, cur secundae Hebraeorum res primum afflictae sint, dein labefactatae, ac vix non accisae; probaturus igitur huiusmodi calamitates, quibus illi Iudicum temporibus diu multumque conflictati sunt, idololatriae stipendia fuisse, cui Hebraei identidem pravis Chananaeorum moribus illecti se se addixerant; hoc autem ideo evenisse, quia improvidi ac foedifragi tributum iis indixerant, quos oportuisset penitus exterminare; hinc exorditur, quidque Iosua vita functo, ad eius exemplum, ac Mosis praescriptum Hebraei praestiterint, quid vero neglexerint, aut contra fecerint, Iud. cap. I describit; mox II, 1-6 Angelum hanc incuriam atque socordiam populo exprobrantem inducit, simulque praemonentem ac veluti comminantem gravissima mala atque incommoda inde exoritura; quae sane Iosuae ac supparum excessum illico subsecuta fuisse, continuo tradit scriptor ib. 6-22, quibus versiculis omnia quaedam quasi epilogo generatim perstringit, quae copiosius atque per partes capitibus insequentibus ipsi enarranda sunt; verum antequam varios finitimarum gentium incursus, atque alternam quam Hebraeis imposuerunt servitutem singillatim perscribat, a brevi harum censu capitis III initium ducit. - Hanc narrationem itaque aptiori fortassis ordine digeri potuisse ut fateamur, attamen praeposteram aut luxatam iure quis dixerit? - Quid ergo, inquies, in causa est, cur a Iosuae obitu exorsus I, 1-3, ea statim subnectat, ib. 9-17,

quae illo nondum fato functo contigerant, et narrationem comminatoriis Angeli verbis II, 1-5 conclusam, a Iosuae funeribus ib. 6 rursus auspicetur? - Ratio in promptu est: quia praeclara Iudae facinora expositurus, peropportunum existimavit ea praescribere quae in Iosuae libro aut omissa, aut duci et exercitui in universum, non ipsi tribui singillatim fuerant assignata (*a*). Iterata autem Iosuae funerum descriptio, si supervacanea tibi videbitur, numquid propterea aliena? Minime gentium: auctor quippe a factis ad horum rationes assurgens, ab annalibus ad historiam gradum faciens, rem altius debuit, atque a capite repetere (*b*). De cetero, quod tertio monemus, aliquid temporibus dandum est, quaeque nunc inutilis frequens rerum earumdem repetitio, olim saepenumero haud inconveniens; atque tum prudentis scriptoris est, quidpiam aetatis ac lectorum genio indulgere; tum pseudo-criticorum haec dissimulare, aut non videre.

Atqui, instant, plures hîc offendimus pugnantes sententias, quas unus idemque scriptor profecto cavisset; nimirum Iud. I, 8 filii Iuda Ierusalem incendunt, neque tamen ipsis sed filiis Beniamin vitio vertitur, quod inde Iebusaeos non expulerint, ib. 21; Iudas I, 18 tribus Philisthaeorum urbibus potitus est, quas adhuc in illorum potestate fuisse legimus III, 3; caussa cur Deus Chananaeos non deleverit II, 22, haec est: *ut in ipsis experiretur Israël*; contrario III, 1 haec altera: *ut erudiret in eis Israëlem*; urbs demum qua Iosuas tumulatus est II, 9, vocatur proprio ac primitivo nomine תִּמְנַת חֶרֶס Timnath Cheresch, non autem תִּמְנַת־סֶרַח Timnath Seraeh, prout Hebraei per literarum metathesim eam inde a Iosuae temporibus appellarunt, quod saltem probat scriptorem documentis Iosuae libro vetustioribus usum fuisse.

(*a*) Recole quae superius p. 21-33 dicta sunt.

(*b*) Confer haud absimilem longioris narrationis epilogum IV. Regum XVII, 7-23.

Hisce minutiis diu non immoramur: I, 8 filii Iuda laudantur, quia Beniamitarum partes explentes, quibus Ierusalem fuerat assignata, hanc ferro ac flammis subverterint; Beniamitae vero I, 21 arguuntur, quod aliorum victoria otiose fruiti sint, nec magna aliorum incepta peregerint; pariter I, 18 tres Philisthaeorum urbes earumque vicinias Iudas non sibi sed Simeoni et Dan adquirit, quos, cum tanti non fuerint ut eas sibi compararent, mirum sane non est, diu illas non retinuisse; maxime cum primis Iudicum temporibus Philisthaei tanta essent audacia, tantisque viribus pollerent, ut non modo sua tuerentur, sed invaderent aliena (*a*). - Qui ex pluribus, quibus ad agendum movetur causis, unam producit, non ideo ceteras inficiatur; sapientiae porro luculentum argumentum est una et simplici actione multiplicem scopum attingere: sapientissimus igitur Deus iam Mosi praedixerat fore, ut Chananaei omnes nonnisi paulatim et per partes essent disperdendi, ne terra in solitudinem redigeretur (*b*); verum quod praemium futurum erat Hebraeorum virtutis, ipsis peccantibus, eius periclitandae occasio facta est; quia tamen clementissimus Deus ideo punit, ut erudiat, hac ipsa poena usus est ut Hebraei praelio assueti atque exercitati militiae tirocinium ponerent, ac demum sub Saule et Davide crebris victoriis inclarescentes, primo hostium iugum excuterent, dein imperii fines protelarent, eosdemque contra praepotentes finitimorum aggressiones tuerentur. Haec ne pugnantia? - Postremum, esto תִּמְנַת חֶרֶס Timnath Cheresc fuerit nomen urbis primitivum, Chananaeorum proprium, alterum תִּמְנַת־סֶרַח Timnath Serach a Iosua impositum, et Hebraeorum usu probatum; at enim non semper cum nova induntur nomina, primitiva obsolescunt; Iudicum vero temporibus ob nimis frequens He-

(*a*) Iud. III, 31.
(*b*) Exod. XXIII, 29. Deuter. VII, 22.

braeorum cum Chananaeis commercium primum illud nomen reviguisse admodum verisimile est; sane vocabulum חֶרֶס Cheresc saepius in libro Iudicum occurrit (*a*).

Nec minus inepte aut temere faciunt qui alteram et praecipuam narrationis partem ex variis quorumque Iudicum schedis coagmentatam, aut ex publicis actuariorum diariis excerptam fuisse propterea affirmant, quod oratio modo fluat liberior, modo adstricta et minutatim concisa sit: nam cum eo quod ex uno styli colore unum eumdemque fuisse scriptorem iure conficimus, tum latioris vel brevioris narrationis ambitus commodiorem caussam ex historici consilio desumes, quam ex documentorum varietate, paucitate aut defectu sis repetiturus; cum enim ille nullatenus sibi proposuisset politicam eorum temporum historiam describere, aut continuam factorum seriem contexere, sed vices θεοκρατίας et praeclara divinae in Hebraeos voluntatis testimonia exhibere, mirandum sane non est ea tantummodo Iudicum gesta selegisse, quae praesentem divinam opem atque virtutem luculentius declararent. Haec causa est, cur neque singulorum Iudicum gesta persequatur, nec quo quisque tempore floruerit, quot quibusve imperaverit, accurate semper definiat, neque huiusce muneris naturam et amplitudinem, aut Hebraicae reipublicae per ea tempora conditionem expresse nos doceat; expresse, inquam, siquidem narratio membratim caesimque distincta obliquo societatem designat, quae civitatis perinde ac religionis vinculo relaxato ac vix non disrupto, potius dissecti cadaveris quam integri et vivi corporis imaginem referebat; iamvero remisso aut dissoluto societatis foedere, neglecto legis studio, intempestive nonnulli ad actuarios publicos, aut communia gentis archivia nos provocant, vel adeo florentem tunc litterarum hebraicarum cultum ponunt, ut ex scriptis illius aetatis documentis, variis tamen et mutilis, hanc narra-

(*a*) V. pag 84.

tionem compactam, aut ad verbum expressam comminiscantur (*a*).

Atqui, aiunt, non iam pro rei gravitate, aut longiori temporis, quo de agitur, intercapedine, sed nulla certa lege angustioribus modo finibus continetur, modo latioribus narratio producitur. Confer, exempli causa, quae de Gedeone, Iephta, Samsone prolixe narrantur, cum iis quae presse atque strictim de Othoniele, Samgare, Ahodo, Iahele, imo Debbora et Baraco dicta sunt. Quid vero cum Iudicum historia Ioathamis fabula, aut tyrannica Abimelechi dominatio? Sufficit porro Iud. xv, 20 cum xvi, 31 comparare, ut liquido pateat Samsonis res gestas e duplici fonte haustas fuisse. - Breviter singulis occurrimus, et initio animadvertimus, tametsi haec omnia vera essent, male tamen opponentes concludere; quandoquidem ex eo quod narratio (prout proximiora tempora attingit), fluentior fiat atque copiosior, aptius quis colligeret scriptorem nihil nisi certum atque exploratum tradere voluisse, atque traditione potiusquam scriptis documentis usum fuisse; quae enim scripto consignantur integra atque intemerata diutius perseverant. Praeterea, quis certo sciat potiora iis quae narrantur contigisse? Sed haec mittamus. Narrationis amplitudo non tam temporis intervallo, quam eventuum granditati accommodanda est; haec autem tum ex re ipsa, tum ex auctoris scopo aestimanda,

(*a*) Ex quo patet Studerii hypothesim coniicientis hanc eamdem narrationem ex pervetusto libro excerptam fuisse, qui Iudicum ex singulis tribubus strenuissimorum gesta describeret, utraque parte claudicare; neque enim ullo sat firmo fundamento fulcitur, neque cum narrationis textu consentit: revera quibusdam tribubus, ut Ruben et Gad, Aser et Nephthali, nulli assignantur Iudices; quibusdam, ut Ephraim (Iud. iv, 4. xii, 13), et Manasse (vi, 15. x, 3) plures deputantur; imo interdum (iii, 31. xii, 8) neque ex qua tribu Iudex oriundus sit, indicatur.

cuius hanc mentem fuisse saepe notavimus, ut Dei partes in fractis Hebraeorum rebus restituendis declararet: iamvero Othoniel et Samgar, Ahod et Iahel minus a Deo acti quam Gedeon et Samson; plura Deus per istos exsecutus est, licet maiora per Debboram et Baracum perfecisset, haec itaque grandioribus, illa pluribus verbis erant enarranda. Ioathamis apologus, Abimelechi tyrannis, Iephtas primum patria pulsus, dein, vix hac vindicata, ab Ephrathaeis propterea impetitus, Samson Philisthaeis traditus ingratum et humilem Hebraeorum animum, tum erga suos liberatores prodebant, tum erga Deum sospitatorum omnium maximum haud obscure adumbrabant. Peremta Gedeonis soboles, Iephtaeae virginis fatum, Samsonis captivitas, obcaecatio, interitus luculentissima documenta praebebant, nil contra legis praescriptum faciendum, vota ambitiose ac temere non esse nuncupanda, sed caste, riteque solvenda. Qui vero ex gemina Iud. xv, 20 et xvi, 31 conclusione aut duplicem distinctam narrationem, aut bina unius eiusdemque narrationis fragmenta ponunt, non satis animadvertunt, si primum illud verum sit, Samsonis vitam vel interitum in alterutra narratione desiderari, quod absonum; si alterum, mutila fragmenta non adeo apte cohaerere potuisse; nesciunt praeterea, vel obliviscuntur hagiographorum in more positum esse, eadem clausula non modo narrationem universam, sed singulas eiusdem particulas interdum absolvere; quapropter v. 20. cap. xv gestorum textum concludit, quibus Samson pro patriae defensione contra Philisthaeos inclaruit, ideoque additur, *in diebus Philisthiim*, monetque quodammodo lectorem sequentia ad ducis suprema spectare, quae propterea v. 31 capitis insequentis liberiori, ac minus determinata clausula concluduntur.

Ultimam demum narrationis temere dispertitae particulam non minus authenticam esse probat stylus haud absimilis, et germanus scriptoris scopus; quod ad primum

sat erit Iud. xx, 18 cum i, 1, et xvii, 11 cum i, 27 (*a*) conferre; ad alterum quod pertinet, licet eorum quae hic narrantur quaedam, nisi omnia, Iudicum aetatem praecesserint, attamen intempestiva non sunt, quia ceteris praemissa aut inserta potius rerum ordinem turbassent, quam tempora distinxissent; omissa, conveniens parergon, appositum complementum a narratione abfuisset, et praeclaro sapientiae documento lectores caruissent; cum enim auctor, quod iterum atque tertium annotavimus, neque absolutam, neque meram Iudicum historiam scribere constituerit, sed ex praecipuis factis quae superiori memoria contigerant, pietatis, religionis, mutuae caritatis documenta depromere; quid commodius, quid opportunius quam ex superstitioso Michae sacrario, et sacrilego Danitarum cultu (cui arcae direptio finem fecit), ex Gabaonitarum flagitio (quod ultimum Beniamitis exitium tulit), lectores monere quae, quantaque ex violata religione, corruptisve moribus reipublicae pestis impendeat; quomodo, paucorum quandoque civium culpa, patria in perniciem ruat; quae animorum ac virium coniunctio necessaria sit, ut si quae vitiorum labes irrepserit, illico depellatur, ne insontes poenas luant, quae non admiserint, sed toleraverint; quae quidem animorum viriumque coniunctio inde a Iosuae obitu pedetentim relaxata ac tandem resoluta, primum per Samuelem instaurata, ac demum sub Davidis regno redintegrata est. Vides quam aptissime ad horum gesta persequenda viam sibi scriptor praemuniat.

Rectissime, inquies, nisi aperta recentioris aetatis indicia in oculos incurrerent; at enim auctor haec identi-

(*a*) Haec duo postrema loca iuxta textum hebraicum conferenda; horum enim convenientiam Vulgatus minime exprimit; est autem hebraice Iud. xvii, 11: וַיּוֹאֶל הַלֵּוִי לָשֶׁבֶת; i, 27: וַיּוֹאֶל הַכְּנַעֲנִי לָשֶׁבֶת.

dem (*a*) repetit: *in diebus illis non erat rex in Israël*, significans huiusmodi calamitates nullatenus sub regibus oriri potuisse; horum igitur aetate vivebat, imo sub Davide, quippe Samuel aut coaevus hac laude Saulis regnum non honestasset; neque *propheta* hebraice נָבִיא navì (*b*), sed רֹאֶה rohè *videns* (*c*) audiisset; cum autem iam tunc (*d*) *domus Dei* (arca nempe) non amplius esset in Silo, neque tamen ante Davidem Ierusalem advecta sit, neque ante templi aedificationem eo nomine insignita (*e*), iam a Davidis regno ad Salomonis aetatem descendimus; atqui etiam servitus ab Assyriis imposita memoratur (*f*), efficitur itaque, hoc primum tempore Iudicum librum novissima hac accessione adauctum fuisse, nisi forte huius scriptor ipsae Babylonicae captivitatis aequalis ideo existimandus sit, quod locorum quorumdam (*g*) positio copiosius ac dilucidius inibi explicatur, perinde ac si eorum in gratiam id fieret, qui aliena in ditione procreati, aut dudum patria extorres, locorum essent ignari.

Haec nullo negotio solvuntur: allatis nempe verbis, *in diebus illis non erat rex in Israël*, neutiquam significat auctor sua iam aetate reges regnavisse, hoc enim aliter, plurali scilicet numero (*h*), indigitasset; sed hoc unum declarat, neminem superioribus illis temporibus fuisse, qui summa, nec impune recusabili auctoritate rem in universum publicam moderaretur; regis autem potiusquam iudicis vocabulo usus est, vel quia cum illi eventus contingebant,

(*a*) Iud. XVII, 6. XVIII, 1-31. XXI, 24.
(*b*) Iud. VI, 8. ib. IV, 4.
(*c*) I. Reg. IX, 9.
(*d*) Iud. XVIII, 31.
(*e*) Eichhorn, Einleit. B. 3. S. 429.
(*f*) Iud. XVIII, 30-31.
(*g*) Ib. XXI, 12. 19.
(*h*) Conf. Ruth. I, 1

nondum fortassis iudices exorti, vel quia sponte atque liberrime, non autem coacte hisce obtemperabant Hebraei, proindeque non pauca erant mala quibus illi providere nequibant, plura quae nullatenus potuissent praecavere, paucis: quia monarchia praesertim τῇ αναρχίᾳ adversatur. Neque tamen negamus, imo contendimus, scriptorem sub regibus vixisse; enimvero quid prohibet quominus illa verba Samuel Saulis aetate usurpaverit? Nonne hic prodigiose a Deo ipso fuerat delectus, Eoque iubente rex a Samuele creatus? Nunquid idololatris atque superstitionis cultoribus non infensissimus (*a*)? At vero nostra sententia est, haec postrema libri Iudicum capita a Samuele sub Davidis regno fuisse exarata, eo circiter tempore quo et Ruth libellum, et Davidis gesta describenda susceperat; utcumque res sit, illud certissimum, sequioris aevi scriptorem post tot infanda regum impiorum exempla, locutione illa superius producta haudquaquam usurum fuisse.

Samuelis aetate nomen *navì* obsolevisse fatemur, ignotum adhuc fuisse negamus; nam frequens in Pentateucho occurrit (*b*), imo Abraham hoc ipso nomine donatur (*c*), ergo Mosis saltem aetate iam pervulgatum; ideo autem Samuelis temporibus obsoleverat, quia Hebraeis divinis mandatis haud obtemperantibus, ac lene eiusdem imperium detrectantibus, non modo res civilis incondita erat atque turbata, sed et sacra confusa atque permixta; quare sicut *in diebus illis non erat rex in Israël, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat* (*d*); ita *sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta* (*e*),

(*a*) I. Reg. XXVIII, 9.

(*b*) Exod. VII, 2. Num. XII, 6. 20. 22. Deuter. XIII, 2. XVIII, 15. 18. XXXIV, 10.

(*c*) Gen. XX, 7.

(*d*) Iud XVII, 6.

(*e*) I. Reg. III, 1.

(hebraice נִפְרָץ *diffusa*, *frequens*), hoc est, iuge et perenne prophetarum ministerium desiderabatur; rari admodum נְבִיאִים *neviim*, interpretes scilicet divinitatis, quorum continuum et constans munus erat Dei decreta pandere ac promulgare; verum quemadmodum Iudices aliquando Deus suscitabat, qui populum eximerent e iugo servitutis, ita quaedam interdum arcana privatis nonnullis manifestabat, qui idcirco *videntes* רֹאִים non autem נְבִיאִים *prophetae* dicebantur, quia tametsi occulta aut futura ad tempus praeviderent, privatimque praenuntiarent, attamen nec publici erant divinae voluntatis nuntii, neque perpetua atque solemni pro Deo legatione fungebantur; hos inter excelluit Samuel, qui puer adhuc singulari a Deo visione donatus est (*a*); licet autem non *videntis* tantum, sed et proprias *prophetae* partes postea expleverit; imo intermissae huius dignitatis ceu restitutor, et perennis dein prophetarum ordinis veluti princeps habitus sit, *videns* tamen, quoad vixit, dictus est, quia haec appellatio, qua primum inclaruerat, iam nimis vulgata erat, atque recepta; ceterum qui *propheta*, idem et *videns*, at non vicissim; hanc porro rei haud secus ac nominis distinctionem nullo non tempore accurate servatam fuisse, perquam scite atque enucleate docet Haevernick (*b*); qua posita distinctione, inepte Samuel de viro propheta (*c*), ac Debbora prophetissa (*d*) non aequalibus, sed superioribus locutus, priscum *navì* nomen egregiis illis vatibus convenientissimum, cum recentiori רֹאֶה *rohè* commutasset.

Nomine *domus Dei* non aream tantummodo aut tabernacu-

(*a*) I. Reg. III, 1 seq.

(*b*) Einleit. in das A. T. 1.er Th. 1. Abth. S. 54-60. Consule etiam Hengstenberg, Beitraege zur Einleit. ins. A. T. 1.er B. S. 28. 3.er S. 337-8.

(*c*) Iud. VI, 8.

(*d*) Iud. IV, 4.

lum, sed utrumque intelligimus, iamvero Saulis aetate neutrum amplius Silunte remanserat, sed area a Philisthaeis restituta Cariathiarim (*a*) hospitabatur; tabernaculum vero primum Nobe (*b*), dein Gabaon (*c*) fuerat translatum, ubi ad templi dedicationem usque permansit (*d*); quod si inde a Saulis temporibus *domus Dei* Silunte fuerat submota, ergo iam tum Danitae idolum Michae abiecerant, et sacrilegum Ionathanis ac filiorum eius sacerdotium cessaverat (*e*); nam κατὰ παραλληλισμόν in utroque versu, aliis verbis idem tempus definitur, propterea que *captivitas terrae*, longe ante Assyriorum incursus, in Philisthaeorum dominatus tempora inciderat; re quidem vera circa regni Saulis exordia universum Israëlem praeteritae defectionis poenituisse, veniamque a Deo, idolis undique penitus sublatis, fuisse deprecatum, legimus I. Reg. VII, 2-6; cives porro Dan haud esse excipiendos probat vulgaris haec tunc temporis locutio: *universus Israël a Dan usque Bersabee* (*f*); multoque minus pessimum hoc Danitarum exemplum sub piissimis regibus David, Iosaphat, Asa, Ezechia obtinuisset.

At enim, inquiunt, hebraica verba גְּלוֹת הָאָרֶץ, quae Vulgatus vertit, *captivitatis terrae*, nequaquam peculiarem Danitarum regionem, sed Palaestinam universam, eamque incolis viduatam significant, quod in Philisthaeos minime quadrat. - Neque in Assyrios, repono, quippequi semel et iterum irruentes, nunquam integram gentem, sed decem dumtaxat tribus in exsilium deduxerunt. Porro Philisthaeos Hebraeorum neminem bello coepisse qui dicunt, nullis id vadibus firmant; historicus

(*a*) I. Reg. VII, 1.
(*b*) Ib. XXI, 2.
(*c*) I. Paralip. XVI, 39. XXI, 39.
(*d*) III. Reg. VIII, 4.
(*e*) Iud. XVIII, 30-31.
(*f*) I. Reg. III, 20.

quidem hac de re silet, sed et alia plura praetermittit, aut leviter attingit; eius tamen silentium aut breviloquentia saepe aliunde pensatur (*a*): sane nonnullos tunc Hebraeorum patria fuisse multatos suadet tum I. Reg. XIII, 20, quo ex loco haud absurde coniiceres, saltem fabros ferrarios apud Philisthaeos exsulatum abire coactos fuisse; tum ex Ps. LXXVII, v. 61, vox enim hebraica עֻזּוֹ, quam Vulgatus reddit *virtutem eorum*, aeque designat fortes, heroas, bellicosos, ex quo consequeretur, strenuos quosque in exsilium fuisse compulsos. Ceterum hebraica locutio גְּלוּת אֶרֶץ latine *nuditas terrae*, non modo pro regione incolis vacua, sed et praesidiis, munitionibus, defensoribus nudata, iuxta utriusque sermonis proprietatem rectissime accipitur; quam quidem miserrimam tunc temporis Israëlitarum conditionem fuisse, sive ex frequentioribus Philisthaeorum stationibus per Palaestinam dispositis (*b*), sive ex armorum interdicto (*c*), seu demum atque praesertim ex arcae direptione merito colligimus; hoc siquidem tutelari numinis praesentiae simulacro destituti Hebraei, penitus animo concidere, omni ad audendum robore atque spiritu deficere visi sunt, ita ut regio universa inermis atque deserta impotenti hostium dominatui haud secus pateret ac si omnes inde habitatores exsulavissent. Atque haec germana videtur Ps. LXXVII, v. 61 sententia: *tradidit in captivitatem virtutem eorum, et*

(*a*) Exempli gratia, Iud. IV, Hebraeorum pugnam adversus Sisaram descripturus, Nephthali tantum et Zabulon memorat, at una Ephraim, Beniamin, Manasse et Issachar arma contulisse discimus ex Debborae cantico, ib. V, 14-15. Similiter, quomodo Iudicum aetate sacerdotium ab Eleazari familia in alteram cesserit Ithamaris, unde oriundus Heli, frustra a libri auctore quaesiveris, neque tamen vulgarem atque obscurum, sed insignem atque notabilem eventum fuisse innuit *viri Dei* cum Heli collocutio I. Reg. II, 27 seq. Haec autem ideo praeterit hagiographus, quia ipsius non eadem atque historiographi (quod saepe monendum) conditio est.

(*b*) I. Reg. X, 5. XIII, 3.

(*c*) I. Reg. XIII, 19-20.

pulcritudinem (hebraice *ornamentum*) *eorum in manus inimici;* quippe arca potissimum erat Hebraeorum decus, gloria, praesidium, quibus nominibus passim (*a*) laudatur; quamobrem גָּלָה כָבֹד מִיִּשְׂרָאֵל *translata est gloria de Israël* (*b*), suprema moriturae Heli nurus et arcam abreptam conquerentis verba tantumdem valent ac גָּלוּת הָאָרֶץ *captivitas terrae*, quia ut vexillum pro exercitu est, ita Israëlem arca repraesentabat, quin imo iustae Hebraeorum dominationis certum veluti signum atque argumentum habebatur. At enim haec locutio, hoc quidem sensu accepta, nonnisi coaevo scriptori conveniens est, quia si tunc apertissima, postea plerisque Hebraeorum in exsilium actis dubiae fuisset atque ambiguae significationis; ergo opponentes nescii arma nobis ministrant.

Nec potiora supersunt enodanda: sane nomen Galaad latiori sensu totum Palaestinae tractum ad Iordanis orientem significat, Chanaan vero strictiori significatione illum tantum designat, qui ad fluminis occasum positus est; Iabes igitur Galaad, et Silo in terra Chanaan idem sonant ac Iabes quae ad orientem, Silo quae ad occidentem Iordanis sita est, quae antithesis frequentatur quoties de ultro citrove commeantibus sermo instituitur (*c*). Quod si mavis hanc adiectionem dicere redundantem, non repugnabo, at huiusmodi πλεονασμοί cum probatissimis quibusque scriptoribus, praesertim antiquioribus, tum hagiographis haud infrequentes sunt (*d*). Denique Iud. XXI, 19 non declaratur Si-

(*a*) Ps. CXXXII, 8. אֲרוֹן עֻזֶּךָ arca fortitudinis maiestatis (Vulgatus *sanctificationis*) tuae. II. Paralip. VI, 41. אֲרוֹן כְּבוֹד יְהוָה arca gloriae (Vulgatus *fortitudinis*) tuae.

(*b*) I. Reg. IV, 21-22.

(*c*) Ios. XXI, 2. XXII, 9-11. Gen. XXIII, 2. XXXIII, 18. XXXV, 6. XLVIII, 3, 7. XLIX, 30.

(*d*) Iud. X, 21.

luntis positio, sed locus solemnitatis in eius viciniis celebrandae accuratissime definitur, iis limitibus assumptis qui uti locorum peritos in illius cognitionem facile poterant adducere, ita ignaros fefellissent; nempe qui Siluntis situram ignorasset, nunquid Lebonae situm melius ille novisset? Quod argumento est, morosiores censores raro dexterrimos esse.

ARTICULUS II.

Libri Iudicum fides historica atque divina.

XLVII. Quamquam auctor libri Iudicum plurium quae narrat testis esse nequivit, quippe a Iosuae obitu ad Samuelis aetatem tercenti, minimum, anni interfluxerunt; nihilominus satis praesidii in scriptis documentis, vel in ipsa traditione habuisse, ut omnem auctoritatem ac fidem narrationi suae conciliaret, validissimis argumentis comprobamus: licet enim superiora illa tempora frequenti civium discordia, crebris hostium incursionibus, publicis atque perpetuis totius gentis annalibus conficiendis haud opportuna, literarum et artium studiis forent infensissima; attamen Hebraeos, scribendi arte iamdudum ipsis vulgari atque communi, celeberrima facta, solemniores eventus, quaeque maioris ponderis ac gravitatis viderentur scripto commisisse quis ambigat? Remisso ac paene soluto reipublicae

foedere, non ideo domesticae societatis vincula disrupta sunt, imo usque arctius constricta; non igitur mirum si unaquaeque tribus suorum Iudicum nomina, vitae spatium, muneris diuturnitatem, gestorum memoriam studiose recoluerit, ac litteris commendaverit. Profecto Debborae canticum scripto fuisse consignatum verisimillimum est; nam si inimitabilis color dictionis, sincera stili vetustas, carminis tempestivitas iis tantummodo locorum ac personarum adiunctis accommodati (*a*), minutissima adiunctorum notatio (quae vel ipse historicus praetermittit (*b*), quaeque recentior poëta nullatenus confingere, difficillime rescire potuisset, utque minus obvia perperam atque inopportune retulisset (*c*)), coaevum produnt auctorem; eo ipso quod carmen integerrimum, numerisque omnibus absolutum ad seram usque posteritatem pervenit, atque inde a Mosis temporibus mos obtinuerat, ut carmina scriberentur quae populus decantaret, hoc ipsum mature fuisse descriptum non inepte coniicimus. Idem

(*a*) V. e. c. Iud. v, 7, 13.

(*b*) Conf. ib. 14-15 cum iv, 6.

(*c*) Poëtria exempli causa, Iud. v, 23, incolis Meroz imprecatur, proptereaquod renuerint contra communem hostem arma conferre; v. 28 facit Sisarae matrem anxiam atque sollicitam querentem filii moram, eiusque cursus tarditatem; iamvero sequioris aetatis scriptor neque obscurum adeo locum, cuius nemo praeterea mentionem habet, nominasset, atque domesticis hostium ducis penetralibus quoquomodo adeundis ineptus, potius uxorem, liberosque mariti atque parentis funus deplorantes induxisset. V. Hollmann, Comment. philol. critic. in carmen Debborae, Lipsiae 1818.

de Ioathamis apologo (*a*) omnium vetustissimo sentiendum est (quo nihil simplicius, nihil candidius, nihil quod magis nativam illam priscae antiquitatis veritatem, ingenuitatem ac dignitatem praeseferat), quandoquidem omni rhythmo ac numerosa lege solutus, pristinum venustatis florem, inscriptus ocius amisisset. Utcumque, aut haec mature descripta sunt, aut irrefragabilis dicenda est auctoritas traditionis, quae tanta fidelitate atque integritate ad seros usque nepotes illa transmisit. Porro, ut in primoribus cuiusque gentis temporibus, vulgarem tunc poëtandi artem fuisse, seu rectius, nullos quidem arte, at plures natura exstitisse poëtas, tum suadet illius aetatis conditio, qua Hebraeis tunc primum in politicam societatem coëuntibus, iuvenilis quidam ardor, ac praepotens amor libertatis (quo magis externorum dominatu coërcitus, ac praepeditus, hoc vehementior hac illac erumpens), strenuos ac generosos ad hanc capessendam incendebat, mentes ad fortia heroum facta carminibus celebranda inflammabat; tum Samsonis exemplo, cuius ingenium, indoles, mores, tota vitae consuetudo expressam referunt illius aetatis imaginem; hic enim nuptialibus epulis assidens per aenigmata atque quaestiones poëtice convivis propositas iocabatur (*b*); hostibus profligatis, epinicium canebat (*c*);

(*a*) Iud. IX, 7-15.
(*b*) Iud. XIV, 14. 18.
(*c*) Ib. XV, 16.

moriturus, supremo carmine animam efflabat (*a*): haec vero aliaque id genus extemporalia carmina non modo a coaevis subinde repetita, sed et a posteris frequentissime cantitata, gestorum memoriam in omnium mentibus firmabant.

XLVIII. Verum praeter nonnulla scripta documenta, et alia carmina decantata, plura praesto fuerunt praesidia quae praeteritorum recordationem iuvarent; locorum videlicet ac personarum nomina, quae praecipuorum factorum memoriam refricabant, sic *locus flentium* (*b*), Hebraeorum segnitiem, Angeli apparitionem et minas, populique fletum memorabat; palma quae Debborae nomine vocabatur (*c*), quia sub illa sedens iudicabat, una cum huius nomine et eius gestorum, et praesertim debellati Sisarae exercitus memoriam perennabat; Ephra (*d*) hebraice עָפְרָה *hinnula* tum directe Gedeonis munus qui hinnulum coxerat atque Angelo obtulerat (unde id nominis loco impositum est), tum oblique cetera quae ibi contigerant prodigia, in mentem revocabat; altare cui Gedeon *Domini pax* nomen fecit (*e*), novum Ierobaal cognomentum ipsi ab eius conterraneis adscitum (*f*), Angelum revera huic diu

(*a*) Ib. XVI, 28.

(*b*) בֹּכִים flentes, Iud. II, 5.

(*c*) Ib. IV, 5.

(*d*) Ib. VI, 11.

(*e*) Ib. VI, 24.

(*f*) Ib. 32. יְרֻבַּעַל contractum ex יָרֹב בַּעַל quocum Baal litigat.

visum fuisse, noctu eidem Dominum apparuisse, eiusque mandatu aram Baal subversam, lucumque a Gedeone succisum fuisse indirecte significabant; pariter rupis et torcularis cum Oreb et Zeb (*a*) Madianitarum principibus homonymia, horum interitum et exercitus cladem designabat; *Ramathlechi* (*b*) plurimam Philisthaeorum manum asini maxilla a Samsone caesam atque fugatam, *fons invocantis* (*c*), aquae venam in Samsonis refrigerium inibi exortam declarabant; eadem ratione annuus virginum conventus Iephtaeae puellae fatum Silunte lamentaturae (*d*) caedem Amalecitarum, cuius occasione temerum parentis votum fuerat nuncupatum; arca e Silunte semota Philisthaeorum victoriam et Danitarum sacrilegium (*e*); exiguus Beniamitarum numerus Gabaonitarum flagitium, et sacrum ceterarum tribuum foedus et praelium ad illud ulciscendum (*f*) commemorabant; paucis: facta paene omnia quae in hoc libro enarrantur, publico alicui documento innituntur, ita ut eorum recordatio ad aetatem usque scriptoris vivida ac vigens nullo negotio potuerit perdurare.

(*a*) Iud. VII, 25.

(*b*) Ib. XV, 17. רָמַת לְחִי *elevatio*, aut *proiectio maxillae* nomen loco impositum, ubi lepidum iuxta atque severum factum contigerat.

(*c*) Ib. 18.

(*d*) Ib. XI, 40.

(*e*) Ib. XVIII.

(*f*) Ib. XIX-XX.

XLIX. At vere perduravisse, aeque exploratissimum est: etenim facta ipsa aut narrationis formam perpendenti manifesta atque indubia veritatis indicia in oculos incurrunt; et quod ad primum spectat, sive *synthetica*, sive *analytica* methodo utaris, atque ex Hebraici populi indole, eiusque post Iosuae exeessum conditione futuram animo prospicias praecipiasque; sive a Samuelis temporibus, necnon ab eo qui tunc erat reipublicae statu, praeteritas eius vicissitudines coniicias atque augureris, nihil poteris excogitare quod aptius, eoncinnius ae verius utramque simul nectat aetatem, inductaeque per ea tempora morum, consuetudinum varietatis, rei sacrae neglectae, militaris afflietae, civilis perturbatae rationes et causas aperiat, quam ordo et genus factorum quae auctor noster persequitur.

L. Nimirum Hebraeos, qui vix ab Ægyptia servitute in libertatem per Mosem asserti, illico a puro Dei cultu atque a firma in eius promissiones fide defecerant, alia excepit generatio mitioris ac docilioris ingenii, quae Iosuae imperatoris vestigiis diutius insistens divina, cui fidebat, ope suffulta universam fere Palaestinam subiecit, atque a sanctissimo Iehovae cultu nunquam deflexit; at quae non modo Hebraeorum sed et omnium hominum conditio est, pristinus ille bellandi ardor, primum illud pietatis ac religionis studium Iosua senescente iam paullatim deferbuerat, ipso senioribusque defunctis pedetentim remitti, languescere visa sunt; tum ab

Angelo tempestive admoniti, paullisper resipiscere, et Chananaeorum reliquias disperdere adgrediuntur; at dudum otiati, debilitatis viribus, animis dissociatis, seorsum bellum instaurantes parum proficiunt; mox hostes tributarios facere, dein affines, postremo eorum mores atque superstitionem imitari; isti, contra, metum abiicere, animos sumere, tum molles, effoeminatos, ope divina merito destitutos fidentes adoriri, alternis vicibus vincere, subigere, dominari. Hisce calamitatibus pressi Hebraei interdum ad mentis sanitatem redibant, atque Iudicis ope, quem ipsis largiebatur Deus, hostium iugum excutiebant; at vix meliori fortuna usi iterum a virtute declinabant, et diuturniori proinde captivitate premebantur, donec viribus fracti, communi societatis foedere disrupto, animum adeo abiicerent, atque salutem desperarent, ut Iudicis vestigia premere detrectarent, imo patriae sospitatorem hostium potestati permitterent, quorum tyrannidem XL et amplius annos patientissime tolerarunt; at ultima passi, et sat longa malorum experientia edocti, proniori ac sinceriori animo ad Deum conversi, dispersis reipublicae membris in unum monarchiae corpus compactis, inimicorum impetum atque audaciam fregerunt, et versa vice servitutem in dominatum commutarunt. Vides quam apte omnia cohaereant, alia aliis nectantur, ac veluti ordine fluant! Quomodo vera Dei religio, quippe tot prodigiis divinisque sanctionibus firmata, iam nimis altas in Hebraeorum animos radices egerat,

quam ut eam penitus exuere possent, et quiete ac secure idololatriae inhaerere; nimis tamen adhuc in eam proclives, quam ut perpetuum et irrevocabile nuncium illi iam inde remitterent; quomodo interea res adversae aeque ac secundae Hebraeorum institutioni, revelationis oeconomiae perinde inservirent; quo demum ordine psychologiae et *philosophiae*, quam dicimus, *historiae* legibus consentaneo, Hebraicae disciplinae ascensus atque defectus ita alternarentur, ut longioribus usque periodis (a Mose puta ad Christum), se se mutuo exciperent; quae quidem comparatio cum ex factis ipsis, neque ex hac vel illa, sed ex omnibus Hagiographorum narrationibus una collatis existat, invictissimum nobis exhibet eorum sinceritatis et auctoritatis argumentum.

LI. Quod si a generali factorum consideratione ad haec ipsa singillatim expendenda progrediamur, et luculentiora veritatis argumenta depromemus: haec enim iis temporum, rerum, locorum ac personarum adiunctis convenientissima, inter se, cumque antecedentibus ac consequentibus ita consentiunt, ut iis demtis alia eiusdem generis forent sufficienda; adeo vero intime ac necessario cum receptissimis ex Hebraeorum historia cohaerent, ut nequeas, quam istis adhibes fidem, et illis denegare. Sed et praeterea eius generis sunt, ut manifesto ostendant neque scriptoris ingenio conficta, aut populari rumore fuisse exaggerata, cum pleraque communem rerum ordinem non excedant,

quae vero prodigiosa sunt, Deo auctore, cui tribuuntur, dignissima non modo cum insequentibus naturalibus factis (*a*), sed cum longe omnium prodigioso praetereaque certissimo (qualis monotheismi apud Hebraeos conservatio), maximeque probroso (uti frequens eorum rebellio atque idololatria), imo cum Iudicum pusillanimitate (*b*), incredulitate (*c*), infidelitate (*d*) adeo arctissime conglutinentur, ut evidens sit, neque scriptorem qui auribus populi blandiri voluisset, neque gentem vanissimam maiorum facinora, insciam saepe fraudis ementituram ad haec unquam comminiscenda adduci potuisse. Accedit historici breviloquentia, qui multorum Iudicum res gestas aut silet omnino, aut praetervolans atque incisim significat; eius candor, religio, pietas; universae demum narrationis simplicitas, ingenuitas, veritas vel caecutientibus adeo perspicua, ut audaciores *Rationalistae* qui illam commentis, fabulis adulteratam, aut spuriis vulgaris traditionis accessionibus auctam fuisse affirmare ausi sunt, nihilominus verissima plurima, quaeque germanam illorum temporum, morum, hominum imaginem nobis exhibent inibi se dignoscere ingenue fateantur. « Quae alia, ait De-Wette (*e*), in toto Veteri Foe-

(*a*) Confer ex. c. Iud. VI, 11-26, 36-40 cum VII, 2-8; idipsum confirmatur toto Samsonis vitae instituto.

(*b*) Iud. IV, 8.

(*c*) Ib. VI, 13, 17, 36-40.

(*d*) Ib. VIII, 27. XVI.

(*e*) Lehrbuch der hist.-kritisch. Einleitung in die Bibel des A. Test. 3[e] Aufl. Berlin 1830 § 173.

» dere narratio pulcrior atque sincerior ea quam » legimus Iud. VIII, IX, XI seq.? » – « Habet » inquit Rosenmüller (*a*) prudentioris se critici (*b*) verba tamquam propria describens « habet haec libri » pars (Iud. I-XVI) indicia summae cum antiqui- » tatis, tum historicae auctoritatis perquam lucu- » lenta. Quae in illa narrata legimus ex temporum » illorum rationibus tam bene conveniunt, homi- » numque illius aetatis mores tam vivide et fide- » liter depingunt, ut a seriori scriptore talia con- » fingi potuisse nequaquam credibile sit ».

LII. Quaenam igitur causa est, cur isti difficiliores, et fastidiosi, erga plura liberales, rectius, aequissimi, cetera veluti exaggerata aut conficta iniqui respuant, atque aspernentur? Causa una est (τερατοφοβία); at ipsi multiplicem praetendunt: aiunt enim hanc esse constantem atque universalem traditionis conditionem, ut quae ore vulgi feruntur, mutentur in dies, excrescant, amplificentur, idque eo magis quo vetustiora atque insigniora sunt facta, atque in familiae gentisve decus revertunt, maxime vero ubi gestorum auctores fuerint hic vel ille strenuissimus vir, non vero integra natio, aut universus exercitus; hanc unam esse rationem (*c*), cur victo-

(*a*) Schol. in V. Test. P. XI. vol. 2. p. 7.

(*b*) Pareau, Institutio Interpretis V. Test. pag. 410-11. Consentiunt Gramberg, Kritische Geschichte der Religions Ideen des A. Test. Bd. II. S. 56. ff. Bauer. Hebr. Mythol. Bd. II. S. 23. ff. Studer, Das Buch der Richter S. 438 ff.

(*c*) V. Eichhorn, Einleitung in das A. Test. § 460 3.er B. S. 438.

riae ab Othoniele et Iephta relatae consuetum praeliorum exitum haud praetergrediantur; Gedeonis autem et Samsonis facta mirabilitatem, incredibilitatem imo resipiant, (quippe prodigia in praesentiarum nemini praeter indoctis credibilia fiunt); neque maiorem propterea merentur fidem, quam quae de heroicis Graecorum aut Romanorum temporibus, quibus Iudicum aetas quamsimillima est, antiquissimi earum gentium historici atque poëtae fabulati sunt; quomodocumque demum res se se habeat, turbatas temporum rationes, quae disertis aliorum scriptorum (*a*) testimoniis aperte contradicunt, nos prohibere, ne integram atque absolutam fidem narrationi adhibeamus, quae, deficiente *chronologia*, altero nimirum historiae oculo, lusca est.

LIII. Praescripsimus, multiplicem huiusce incredulitatis causam verius ad unam posse revocari, *doctissimum* videlicet miraculorum metum; sane si quae traditioni tantum innituntur, ea paulatim omnia commutantur, cur nihilominus prudentiores isti critici, ut superius adnotavimus, haud pauca eorum, quae in libro Iudicum exponuntur, pure atque intemerate traditionis ope servata fuisse nobiscum fatentur? Quod si plura, cur non omnia? Si temporis antiquitas atque diuturnitas potissima est erroris occasio, cur ipsi vetustioribus factis, at consuetis, fidem facillime tribuunt, abnuunt recentioribus ubi prodigiosa videantur? Nonne hac

(*a*) III. Reg. VI, 1. Act. XIII, 20.

agendi ratione profitentur, non ideo horum facto-rum certitudinem nutare, quia levis et inconstans saepe traditio, sed traditionem ipsam infirmam propterea demonstrari, quia haec facta mirabiliora transmisit? Subdole igitur, contraque sanioris critices leges faciunt qui factorum quorumdam veritatem impugnaturi, traditionis levitatem praetendunt, quam tamen ex ipsa horum factorum natura unice sunt aestimaturi. Sed de hac re ipsi viderint. Stat interim aeque nobis atque adversa opinantibus, quaedam per traditionem certissime innotescere; quamquam enim quae ore vulgi feruntur, lapsu temporis saepius augentur, facilius in dies immutantur: verum id neque semper, nec necessario contingit; quoties nimirum traditio externis, firmisque praesidiis fulcitur, perenni, constanti, universali populi consensione roboratur, insuper facta quae narrantur, dum inter se et cum universa gentis historia firmissime cohaerent, omnia interna praeseferunt veritatis indicia, toties de traditionis auctoritate ac narrantis veracitate certiores erimus; quae quidem omnia argumenta cum laudatae narrationi favere abunde superius ostensum sit, in Graecorum et Romanorum mythis contrario penitus desiderentur, iure meritoque illam recipimus, istos respuimus. Ceterum, sufficeret haec una conferre, ut luculenter appareret, plerosque mythos aut mera poëtarum figmenta fuisse, aut primitivae traditionis quaedam quasi lineamenta temporis iniuria adulterata, hominumque libidine fuco illinita; adeo sci-

licet inepta plerumque, absurda, immane quantum monstruosa atque incredibilia sunt! Contra vero quae prodigia liber iste complectitur, simplicitate sublimia, ac dignitate plenissima, ea styli temperantia, dixerim sobrietate, a scriptore referuntur, ut prima fronte naturalis potius causae adscriberes, quam Omnipotentis virtuti assignares. Fallitur proinde Eichhornus qui ex traditionis indole repetit, quod Liber Iudicum singulares tantum viros faciat prodigiorum auctores; ecquid enim, quae de Titanum cum Caelestibus pugna, deque Superis Achaeis atque Troianis in Ilii obsidione ac defensione opitulantibus, Graecorum vates confinxerunt; iis auctor noster simillima haud potuisset comminisci, si eodem ac illi ex fonte narrationem suam hausisset? Sed ideo singulorum aut paucorum tantum stupenda memorat gesta, quia haec nunquam frequentiora sunt; quia ubi pauca sufficiunt, pluribus non utitur Deus; quia Hebraeis nimium ab externis oppressis, nimium intime dissociatis, integrum gentis exercitum parandi copia perinde deerat atque voluntas (*a*); neque tamen cum apud alios hagiographos, tum apud nostrum exempla victoriae singulari potius Dei auxilio, quam bellantium fortitudine reportatae desiderantur (*b*). – Atqui, aiunt, hoc satis est, ut omnem propterea fidem talia scribentibus abiudicemus. – Laetamur, quod recentio-

(*a*) V. Iud. v, 15-17. I. Reg. XIII, 19.
(*b*) V. Exod XVII, 11. Iud. IV, 15.

rum Rationalistarum audacia eo deducta res sit, ut iam omnis, non modo Hebraeorum, sed et Christianorum historiae fides deneganda sit, ne veritas prodigiorum agnoscatur; cum enim *pyrrhonismus* historicus inde necessario consequatur; hic autem perpaucis, verius, sano nemini persuasibilis sit, Rationalistae optimum nobis antidotum pro veneno inscii propinant. Hoc unum addimus, ne alienam provinciam ingredi videamur, prodigiorum osores non satis animadvertere, tantum abesse ut haec Dei sapientiam atque ordinis ab eo constituti simplicitatem dedeceant, ut imo, si eorum quae iuxta consuetum rerum ordinem fiunt non proximior causa, sed ultima ratio attendatur, haec nunquam prodigiosa non sit, quippequae rerum, rationum, totiusque universi concentus auctor, moderatrix, haec omnia quam longissime excedit, paucis: Deus est.

LIV. Neque aequiores profecto sunt qui scriptoris fidem imminuunt, eo quod in temporis notatione non satis accuratus sit, neque cum aliis scriptoribus consentiat; nam si ad fidem faciendam haec necessaria est historiae conditio, nescio cuinam non tantum ex veteribus historicis, sed et ex novissimis adiungenda sit, quos saepe videas ea facta narrantes, quorum aut testes, aut pars magna ipsi fuerunt, in temporis aut locorum notatione inter se dissentire; iamvero si haec discrepantia de horum auctoritate nihil detrahit, quomodo hagiographorum fidei denegabit, quorum scribendi consilio subtilior temporis distinctio, ut alias monuimus, minus adhuc

conducebat. Equidem arbitror, hanc apparentem contradictionem illorum veracitatis atque sinceritatis ineluctabile argumentum praebere; nam pronum nimis et obvium iis fuisset, annos ita digerere ac supputare, ut in horum summa secum invicem, et cum vulgari atque recepta chronologiae ratione evidenter consentirent; neque id facere neglexissent, nisi id ipsorum scopo, aut aequalium intelligentiae supervacuum fuisset, quippequibus rerum ac temporum peritissimis id erat apertissimum, quod nobis ab ea aetate remotissimis caecum atque obscurum est.

Verum etsi hunc nodum, ubi nulla daretur eum expediendi copia, iure omnium optimo caederemus, neque tamen Gordii nexus est; nempe difficultas in eo posita est, quod si anni quibus Iudices Hebraeis praefuerunt, et varia isti per vices servitute afflicti sunt, ordinatim subducantur, summa conficitur annorum ccccx, quibus si addideris temporis spatium ab exitu ex Ægypto ad primam usque servitutem, atque a Samsonis obitu ad iv a rege Salomone annum, quo templi fundamenta iacta sunt, dc circiter annorum numerum conflabis, contra ac iii. Reg. vi, 1 legimus ubi eidem temporis intervallo cdlxxx tantum adscribuntur; at vero, si haec amice compositurus illorum numerum contraxeris, tum Iephtae Iud. xi, 26 supputationi, qui a Palaestinae sortitione ad suam usque aetatem ccc annos subducit, tum Pauli testimonio adversaberis, qui Act. xiii, 20 cdl Iudicum regimini assignat.

Ad hanc difficultatem enodandam alii aliam viam ingressi sunt; nobis plerique nodum in scirpo quaerere videntur, quippe falso arbitrantur, scriptorem libri Iu-

dicum integram ac successivam elapsi temporis notationem sibi proposuisse, nam eo ipso quod, mensibus non indicatis, plenos semper annos enumerat, aperte significat, ad chronologiae amussim calculos suos haud exegisse; quod autem multiplicem servitutem, variosque Iudices ordine recenset, hoc non impedit quominus horum nonnulli contemporanei esse nequiverint, et varii Palaestinae tractus, ab hostibus diversis, uno eodemque tempore occupati sint; primum illud ostendunt exempla tum Debborae et Barac (*a*), tum Samuelis qui, Saule regnante, Iudicis munere, quoad vixit, functus est (*b*); postremum ex Iud. x, 7 manifesto colligitur, ubi duplex servitus a Philisthaeis et Ammonitis eodem tempore Hebraeis illata memoratur; at quia haec brevior, illa diuturnior, ab huius narratione auctor exorditur, cui hoc et duobus sequentibus capitibus conclusae, longiorem alteram, capp. XIII-XVI subnectit. Iamvero hunc Philisthaeorum dominatum eumdem esse qui ad Samuelis usque aetatem perduravit inde conficimus, quod huius Hebraeorum servitutis in libro Iudicum initium quidem et diuturnitas (XIII, 1) memoratur, at nuspiam exitus; contrario in libro I. Reg. eiusdem finis indicatur (VII, 13), at initium nusquam; cum autem Heli temporibus Philisthaeorum audacia ac praepotentia apicem tenuisse, contra Samsonis aetate imminuta videatur; praeterea, Heli vita functo, captivitas XX adhuc annos perduraverit (scilicet quousque Hebraei Samuelis hortatu ad Deum conversi, illius precibus huius auxilium promeriti hostes devicerunt), huiusce servitutis annos ita partimur, ut annorum XL, quibus Heli iudicis munus explevit, XX postremi totidem priorum Samsonis et Samuelis aetatis, necnon Philisthaeorum occupationis aequales sint, quibus horum potentia maxime

(*a*) Iud. IV-V.
(*b*) I. Reg. VII, 15.

Ordo temporum ab exitu Hebraeorum ex Ægypto ad templum a Salomone fundatum.

		Ab exitu ex Ægypto ad Mosis obitum, Exodi VII, 7 coll. cum Deuter. XXXIV, 7	anni	40
		Hinc ad Iosuae excessum coniecturaliter		27
		Inde ad mortem *seniorum qui longo post cum tempore vixerunt*	Iud. II, 7 coniecturaliter	32
		Diuturnitas servitutis a Mesopotamiis illatae.	III, 8 ... annorum	8
	=	Pacis per Othonielem comparatae.	» 11	40
	=	Servitutis sub Eglone	» 14	18
Cis Iordanem	=	Pacis per Ahod acquisitae	» 30	80
		Hoc intervallo trans Iordanem diuturnitas { servitutis sub Iabin ..... IV, 3 — 20; pacis per Debboram obtentae .... V, 32 — 40 }		
	=	Servitutis totius Israëlis sub Madianitis	VI, 1	7
	=	Pacis a Gedeone partae	VIII, 28	40
	=	Tyrannidis Abimelechi	IX, 22	3
	=	Iudicis muneris a Thola defuncti	X, 2	23
	=	= Iairo	» 3	22
				340*
		Iairo synchronus Heli prioribus XX annis sui Pontificatus		
Cis Iordanem	=	Servitutis sub Philisthaeis		
	=	= Iudicibus { Heli per reliquos XX muneris sui annos ......; Samsone per reliquos XX annos eiusdem captivitatis ..... }	XIII, 1	40
	=	Samuelis iudicatus ante Saulis regnum coniecturaliter		16
		Hoc intervallo trans Iordanem		
	=	Servitutis sub Ammonitis	X, 8 18	
	=	Iudicatus Iephte	XII, 7 6	
	=	= Abesan	» 9 7	
	=	= Ahialon	» 11 10	
	=	= Abdon	» 14 8	
	=	Regni Saulis	Act. XIII, 21	40
	=	= Davidis	II. Reg. V, 4	40
	=	= Salomonis ad templi fundationem	III. Reg. VI, 4	4
				480

* Si ab hoc numero priores annos XL subducas, quibus Hebraei in deserto commorati sunt, palam erit quam apposite Iephtas, proximus Iairi in officio successor, a prima regionis Amorrhaeorum per Hebraeos occupatione ad suam usque aetatem trecentos annos supputaverit, Iud. XI, 26.

excrevit; tum Samson qui, iisdem patriam iam (*a*) opprimentibus in lucem editus, eos adhuc puer vexaverat (*b*), eosdem ut Iudex per reliquos xx annos captivitatis (qui in cit. lib. I. Reg. omnino vacui sunt) insectatus illorum audaciam (*c*) coepit contundere, vires confringere; at sub templi ruderibus magnanimiter obruto, Samuel in idem officium succedens patriae redemtionem perfecit. Quodsi hic *συγχρονισμός* in extrema Iudicum tempora aptissime quadrat, cur et prioribus, ubi opus, componendis similem non adhibeamus? Quamobrem Marshamum (*d*) atque Keilium (*e*) secuti hanc subiicimus, ab exitu Israëlitarum ex Ægypto ad Salomonici templi aedificationem, annorum synopsim, ut uno velut intuitu clarissime pateat, quod secus longo verborum ambitu esset significandum. V. tabulam e regione positam.

Nonne per hanc ingeniosam temporum, rerum ac personarum compositionem librorum Iudicum, et III. Regum auctores conspirant amice? - Nihil adhuc proficis, inquies, nam Paulus utriusque falsitatem redarguit (*f*). - Oppido

(*a*) Iud. XIII, 1.

(*b*) Ib. 25.

(*c*) Iud. XIII, 5.

(*d*) Canon chronicus Ægyptiacus, Hebraicus, Graecus. Lipsiae 1676. p. 305-309.

(*e*) Chronologische Untersuchung über die Iahre, welche vom Auszuge der Israeliten aus Ægypten bis zur Erbauung des Tempels verflossen sind; in den Dorpatischen Beitraegen zur Theol. Wissensch. 2.er Band, Hamburg 1833. S. 303 ff. Consule etiam Bible De-Vence, 5.e édit. Paris. 4.e volume p. 472-515.

(*f*) Act. XIII, 20 iuxta Graecum textum, a quo hoc in commate dissentit Vulgatus; ille habet: *κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν. Καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτὰς ἕως Σαμουὴλ τοῦ προφήτου*, hoc est: *sorte divisit eis terram eorum. Et post haec quasi post quadringentos et quinquaginta annos* (rectius, *anno* CDL, quia ad graecae grammatices amussim dativus, non elapsi temporis diuturnita-

falleris, repono, nam si huius testimonium potius haberes atque antiquius, darem tibi corruptum esse locum III. Reg. VI, 1, inanem proinde hypothesim a me superius productam; quare CDX annis, quibus primo aspectu Iudicum historia videtur constare, Iosuae regiminis et seniorum vitae spatium superaddens, summam colligerem annorum CDL Paulinae rationi apprime respondentem. - Horum igitur locorum, instabis, alteruter saltem erit vitiosus. - Quidni? Neque enim critica textus integritas mordicus ita ac superstitiosius tenenda est, ut nulla huius generis menda, temporis iniuria, hominum infirmitate unquam irrepsisse propugnandum sit; quae cum omnium criticorum iudicio, profanorum scriptorum genuinitati ac fidei minime officiant, non video cur hagiographorum auctoritati quidquam adversentur; neque praeterea historia toties lusca dicenda est, quoties minutissima temporis notatio desideratur; historicus siquidem chronographi calculis utitur, ut suos cuique aetati adscribat eventus, atque continuam horum seriem ordine persequatur; at cum haec nullomodo perturbata est, sed uno tenore defluit, cumque anteriori ac sequiori historia cohaeret, si eventuum summa, nec aucta nec imminuta, una intervalli, longioris ne an brevioris, diuturnitas in quaestionem veniat, hac ille minime movebitur, quippe quae, utcumque cedat, historiae certitudinem nequeat labefactare. Ceterum, utriusque loci sanitas desperata non est; nam si Vulgatum sequaris (cum quo faciunt nonnulli

tem, sed praesens, quo aliquid contingit, tempus designat *) *dedit iudices usque ad Samuel prophetam.* Vulgatus contra: *sorte divisit eis terram eorum, quasi post quadringentos et quinquaginta annos: et post haec dedit iudices usque ad Samuel prophetam.*

* V. Bernhardy, Syntax. der griech. Sprache S. 116. Berlin 1829. Kühner, Neue Anordnung der griech. Syntax. Hannover 1845.

graeci codices (*a*), quos inter vetustissimus Alexandrinus Cantabrigiensis), Pauli computatio, iuxta nonnullos, non respiceret Iudicum aetatem, sed temporis intervallum ab ortu Isaaci ad Palaestinae partitionem (*b*); hac ratione Paulus neque a libri Iudicum, neque a III. Reg. VI, 1 rationibus dissentiret; quodsi hoc tibi minus ac minus probatur, propterea quod contextus aegre patiatur hanc medicinam, cui plerique etiam codices refragantur; fac initam a Paulo computandi rationem utut minus accuratam, aequalium tamen usu tritam atque vulgarem fuisse (*c*), num commodius atque opportunius in publica concione aliam ipse adhibuisset? Lucas vero eius verba fideliter relaturus potuisset ne aliam sufficere? Ergo tantum abest ut haec difficultas insuperabilis sit, ut imo eius expediendae aliae aliis probabiliores suppetant viae. Sed de hac re satis, superque.

Nonnullae restant antilogiae quambrevissime indicandae: nimirum Chusan Rasathaim qui Iud. III, 8 rex Mesopotamiae salutatur, v. 10 dicitur rex Syriae, at Mesopotamia, Assyriae provincia, non proprio sed Assyriorum regi parebat. Iud. X, 3 Iair Galaadites XXX civitatibus proprium nomen indidit, quod tamen ex Iairo filio Manassis (*d*) iam-

(*a*) Vid. N. Test. a Roberto Stephano Lutetiis editum anno MDLXVIII. Item: N. Test. Graecum cum variantibus lectionibus cura Ioh. Millii. Roterodami MDCCX.

(*b*) Scilicet a nato Isaaco (quo tempore coepit illa *patrum electio* Act. XIII, 19) ad Exodum CDV anni defluxerunt, inde ad terrae partitionem XLV, ex quibus supputatis conflatur summa annorum CDL.

(*c*) Hoc confirmatur Iosephi Flavii testimonio, qui ab exitu Hebraeorum ex Ægypto ad templi constructionem modo DXCII (Antiq. l. VIII, c. 3. § 1), modo DCXII annos (ib. l. XX. c. 10 cont. Apion. l. II. c. 2) supputat; a quibus si annos commorationis Hebraeorum in deserto, nonnullosque qui terrae partitionem adhuc praecesserunt, subduxeris, supererunt ut Graecus habet: *ὡς τετρακοσίοι καὶ πεντήκοντα*, seu circiter CDL.

(*d*) Num. XXXII, 41.

pridem repererant. Ib. v. 1 Phua patruus Abimelech audit, iamvero ille Issachar, iste Manasse erat oriundus. - Hisce breviter occurrimus: Chusan Iud. III, 10 hebraice vocatur rex אֲרַם Aram, quae quidem vox strictiori sensu illam regionem designat, quae a Graecis et Romanis scriptoribus Syria dicta est; at quandoque Aramaeae nomen latius patet quam Syriae, et planitiem illam ulterius complectitur quae media inter Euphratem et Tigrim ab Hebraeis אֲרַם נַהֲרַיִם *Aramaea duorum fluminum*, a Graecis atque Romanis Μεσοποταμία (nempe interamna) est appellata (*a*); porro postremam hanc regionem v. 10 significari, ex v. 8 praecedenti colligitur, ubi Chusan non rex Aram, sed אֲרַם נַהֲרַיִם Mesopotamiae rex appellatur. Haec autem quamquam iam inde a Davidis aetate (*b*) Syriae regibus paruit, dein Assyriis (*c*), postea Persis ac Macedonibus obtemperavit, nihilominus iam tum alterius ditionis partem fuisse nullo fundamento praesumitur: fac tamen; amplissimarum in Oriente provinciarum praefectos, vicaria regis potestate fruentes, regis nomine interdum fuisse honestatos exploratissimum est.

Iudex Iair non ipse primus XXX illis civitatibus nomen fecit, sed instauravit; ea nempe tempestate res et nomina arctissime erant connexa; quare uti una eademque res, pro varia eius conditione, varia sortiebatur nomina, quae diutius perdurabant, aut paulatim obsolescebant, vel iterum renovabantur, prout res ipsa aut eadem semper erat, aut alia fiebat, vel restituebatur; ita res saepe diversae, et plures quandoque viri iisdem nominibus donabantur, cum in id consentiebant quod ea nomina significabant (*d*). Ea-

(*a*) V. Gesenii Lexicon ad voc. Rosenmüller Biblische Geographie 1.er B. 2.er Th. S. 236.

(*b*) II. Reg. X, 16.

(*c*) IV. Reg. XIX, 13.

(*d*) Gen. XXXV, 27. Conf. Gen. XXI, 31 cum XXVI, 33.

dem igitur ratione, qua Iairi oppida hoc primum nomen ex eo invenerant, quod a Iairo Manassis filio fuerant occupata; eum alterius illi cognominis iuris factae sunt, qui ea singillatim totidem filiis suis distribuit, merito primum illud nomen intermortuum revixit, aut iamdudum vacuum atque inane, ad nativam ac primitivam significationem revocatum est. Scilicet nominis impositio tum nil aliud quandoque erat, quam antiquioris renovatio, quae vel memoriae, vel exempli, vel similitudinis ergo fiebat; nepotibus propterea avorum nomina reddebantur, quod etiam apud Graecos atque Latinos obtinuit; nil itaque mirum, sicut alter hic Iair, ita superiori versiculo alter Thola, alterque Phua memorentur, quae gemina nomina Gen. XLVI, 13 legeris; at frustra sunt qui seriorem hunc Phua Abimelech patruum fuisse tradunt; nam hebraicum vocabulum דודו quod LXX, Vulgatus, Syrus et Arabs verterunt *patruum*, tum hoc loco, tum II. Reg. XXIII, 9, 24. I. Paralip. XI, 12 non appellativum, sed proprium nomen fuisse videtur; ceterum דודו, *patrui eius*, Tholam spectaret, nullatenus vero Abimelechum; ideo autem haec denominatio illi adiecta, propterea quod non iam patris sui, sed fratris (cuius ille *semen et nomen* (a) *suscitasset*), filius haberetur.

LV. Quae hactenus disputavimus clarissime conficiunt, plenam atque integram huic libro fidem esse adiudicandam, etiamsi interna dumtaxat veritatis indicia attenderentur, et intima ac necessaria istius narrationis cum tota Hebraeorum historia connexio; at externa adhuc testimonia praesto sunt, quae

(a) Deuter. XXV, 5, 7.

utpote hagiographorum, dum historicam libri fidem proprio atque irrepugnabili suffragio confirmant, divinam atque canonicam eiusdem auctoritatem extra omnem dubitationis aleam constituunt. Nempe perpetuam ferme testium seriem proferimus, qui praecipuorum factorum, quae in hoc libro narrantur, veritati suffragantur: Hebraeorum nimirum apostasia, horum servitus sub Madianitis et Philisthaeis, atque eorumdem per Baracum, Gedeonem, Iephtam, Samuelem redemtio, Sisarae, Oreb, Zeb, Abimelechi interitus, Gabaonitarum scelus infandum singillatim memorantur I. Reg. XII, 9-11. II. Reg. XI, 21. Os. IX, 9. X, 9, 14. Ps. LXXXII, 10-12; insuper generatim atque oblique Iudicum historia perstringitur IV. Reg. XVI, 3. XVII, 8. XXI, 2. Is. I, 26. Ps. LXXVII, 56-66. CV, 34, seq. Eccli. XLVI, 13; demum ne singula persequar, si vaticinium quod in Christo adimpletum Matthaeus II, 2-3 ostendit, ex iis omnibus s. Scripturarum locis petendum atque exponendum est, quibus Nazaraeatus de typicis quibusdam V. T. viris affirmatur, patet Evangelistam indirecte Gen. XLIX, 26. Deuter. XXXIII, 16. Iud. XIII, 5, 17. XVI, 17 respicientem, eamdem in hisce libris auctoritatem indiscriminatim suspexisse. Paulus qui Act. XIII, 16-19, et Hebr. XI, 1-30 ultimam Hebraeorum memoriam e Pentateucho et Iosue libro depromserat, insequentem ex hoc nostro postea mutuatur. Speciatim vero Debborae carminis authenticitati perinde atque auctoritati

album calculum adiicit David Ps. LXVII, qui vetustissimorum carminum quidam quasi cento est (*a*); in hoc enim nonnulla tum ex Deuteronomio, tum ex Debborae cantico (*b*) una mutuatur, quod probat utrumque non admodum absimilis aetatis ac dignitatis habuisse. Singularibus hisce testimoniis accedit constans atque universalis Ecclesiae Iudaicae haud secus ac Christianae persuasio; etenim illa librum Iudicum inter הַנְּבִיאִים הָרִאשֹׁנִים Prophetas priores recensuit, haec in Hagiographorum canonem recipiens Iosue proximum fecit, eiusque perpetuae hac de re fidei documenta sunt vetustissimi s. librorum canones, Patrum testimonia, Conciliorum denique tum antiquiorum, tum novissimorum decreta, quae superius XIV prolata, ad compendium, praetermittimus.

(*a*) V. Ewald, Psalmenbuch S. 263. Revera Psaltes non modo sententias, sed ipsa verba interdum mutuatur; confer ex. c. v. 9. Ps. LXVII cum Num. XXI, 20, et Deuter. XXXII, 10, ubi idem vocabulum יְשִׁימוֹן pro deserto usurpatur.

(*b*) Confer Ps. LXVII, 9-10. XCVI, 5 cum Deuter. XXXIII, 2. Iud. V, 4-5.

ARTICULUS III.

Libri Iudicum fides historica atque divina speciatim propugnatur.

LVI. Singulares Incredulorum et Rationalistarum contradictiones trifariam commode partiuntur; aliae siquidem nonnullorum factorum veritatem, aliae prodigiosam quorumdam naturam, narrationis demum divinitatem ceterae impugnant; quare potiorem generis quam temporis rationem habentes, praecipua facta in quosdam quasi fasciculos componentes, non ordinatim, sed vicibus, ut res feret, illa enarrabimus.

§ I.

Veritas factorum.

LVII. Ut a factorum veritate exordiamur, haec adversariis nostris commenticia et ficta videntur: Regulum Bezec septuaginta reges, eorum manibus pedibusque praecisis, canum instar micas sub ipsius mensa colligentes habuisse (*a*); a Samgare *sexcentos viros de Philisthiim vomere* fuisse percussos (*b*); Sisaram Iabini regis Asor (urbis iampridem (*c*)

(*a*) Iud. I, 7.
(*b*) Ib. III, 31.
(*c*) Ios. XI, 13.

a Iosua incensae) copiarum ducem nongentos falcatos currus (quorum ne dimidium quidem regum potentissimi habuerunt), omnemque exercitum contra Hebraeorum paucissimos in apertam planitiem deducentem, vix praelio commisso, terga vertisse, atque e curru prosilientem pedibus salutem quaesivisse (*a*); integrum exercitum centumquinquaginta hominum millibus constantem, a Gedeone cum tercentis militibus buccinis et facibus pro gladio instructis in fugam versum (*b*); quadraginta duo millia Ephraimitarum ad vada Iordanis iugulata, hoc uno indicio prodita, quod שִׁבֹּלֶת *scibboleth* (spicam) iuxta propriam dialectum סִבֹּלֶת *sibboleth* pronunciarent (*c*); apes in cadavere mellificantes (*d*); tercentas vulpes veluti ex condicto Samsoni obvias, eiusque fraudis ministras (*e*); mille Philisthaeos asini maxilla peremptos (*f*), ex cuius molari scatuerit fons (*g*); Gazae portas cum postibus media nocte avulsas, atque ad Hebronem usque, duodecim horarum spatio inde remotam, ante solis ortum humeris asportatas (*h*); postremo, hominem callidissimum qui Philisthaeae puellae nuptias ambierat, quo commodiorem huiusce contribules ludificandi

(*a*) Iud. IV, 1-15.
(*b*) Ib. VII, 19-23.
(*c*) Ib. XII, 5-6.
(*d*) Ib. XIV, 8.
(*e*) Ib. XV, 4.
(*f*) Ib. 15.
(*g*) Ib. 19.
(*h*) Ib. XVI, 3.

ac divexandi causam captaret (*a*), hanc vix oblatam stulte dimisisse, et femineis illecebris lacrymisque per hebdomadam immotum (*b*), septimo die arcanum desponsatae commisisse; quae tamen (adeo historicus sibi constat!) tunc primum a pronubis rogata (*c*), aenigmatis declarationem ab eo coeperat efflagitare; neque hoc experimento prudentiorem, aliam Philisthaeam adamasse, cuius causa vitae aut libertatis Gazae periclitatus sit (*d*); verum, tantum quod inde aufugerat, novis meretriciis amoribus illaqueatum, procaci Dalilae curiositate arcanam eius roboris sedem, semel, iterum, et tertio ipsum percunctantis, ut latitantibus Philisthaeis proderet, cognitaque proinde eius perfidia nedum indignatum, illectum rem aperuisse (*e*); quodque mireris, aut rideas: cincinnis fatali forcipe detonsis, illico debilitatum (*f*), subnascentibus rursum valuisse (*g*); ita ut ad iocandum in domum admissus, cuius solarium tria hominum millia sustinebat, duabus tamen columnis dumtaxat suffultam, hasce submoverit, totamque aedificii molem ingenti Philisthaeorum, propriaque ruina diruerit (*h*).

(*a*) Iud. XIV, 1-4.
(*b*) Ib. 17.
(*c*) Ib. 15.
(*d*) Ib. XIV, 1-3.
(*e*) Ib. 4-17.
(*f*) Ib. 19-21.
(*g*) Ib. 22.
(*h*) Ib. 23-30.

LVIII. Haec quambrevissime expedimus: regulus quidem Adonibezec, at finitimos frequenti, ut ea tempora ferebant, bello lacessens, quod septuaginta duces, principes, regulos, quorum singuli singulis fortassis oppidis tantum aut civitatibus praeerant, captivos fecerit, nec fidem excedit, nec efferatum eius ingenium a gentis indole, atque saeva temporum conditione alienum. Victoria de sexcentis Philisthaeis reportata Samgari tribuitur, quia saepius dux pro ipso exercitu ponitur (*a*), verum non ipse unus; sed bubulcorum ope, quos ipse fortissimus tumultuario coëgerat, Philisthaeorum inopinato irruentium impetum propulsavit; neque quod rustica instrumenta illis armorum loco essent, minus propterea ad hostes profligandos idonei: etenim stimulus bovis (hunc nempe significat vox hebraica מַלְמַד, quam Vulgatus vomerem reddit), quo Palaestinenses agricolae inter arandum utuntur, praelongum, nec tenue baculum est, cuius subtilior extremitas in ferream cuspidem ad boves instigandos, altera crassior desinit in bipalium, terraeque vomeri adhaesae abradendae inservit; hoc autem instrumenti genus ad hostes repellendos, ense aut hasta commodius fuisse, res ipsa loquitur; idipsum testatur Maundrellius (*b*), qui propriis illud oculis usurpavit; nec

(*a*) V. Iud. I, 13. Confer I. Reg. XIII, 3. XVIII, 7, 27. XXII, 18, 19. II. Reg. VIII, 2. XXIII, 8-12.

(*b*) Voyage d'Alep à Jérusalem p. 186. « Nous observâmes, qu'en » labourant ils se servaient d'aiguillons d'une grandeur extraordinaire. » J'en mesurais plusieurs qui avaient environ huit pieds de long et

abludit Homerus, qui Bacchi copias atque nutrices bovis stimulo a Lycurgo percussas fuisse tradit (*a*).

LIX. Iabin, hebraice יָבִין *intelligens*, sapiens, dignitatis nomen, quo reges Asor apud Chananaeos septentrionales honestabantur: alius itaque hic Iabin ab illo quem Iosuas interemerat, cuiusque metropolim incenderat; at haec in extremis Palaestinae confiniis posita, Hebraeis in posterum otiantibus, potuit e cineribus denuo excitari: praeterea, nomen Asor urbis quidem proprium, at agro etiam commune; Iabin autem *regnavit in* (regione) *Asor*, at *morabatur in* (urbe) *Hasoreth gentium* (*b*). – *Quadrigae falcatae ut primo magnum intulere terrorem, ita postmodum fuere derisui* (*c*): postquam scilicet Alexander in pugna Arbelensi suos Macedones docuerat, quomodo nullo ipsorum, maximo inimicorum damno essent excipiendae; at cum primum illarum usus obtinuit, frequentiores adhibebantur; sane Curtius de Persis locutus, *unicum vocat illarum gentium auxilium* (*d*): quamobrem non est cur miremur si, remotiori

» six pouces de tour au gros bout. Ils étaient armés au petit bout » d'une pointe pour faire aller leurs bœufs, et à l'autre bout d'une » petite bêche, ou ratissoire de fer forte et massive, pour ôter de » la charrue la claie qui l'empêche de travailler .... Au moins » je suis persuadé que ceux qui verront ces sortes d'instrumens, » les jugeront plus propres à faire une exécution de cette nature (*de* » *Samgaris occursu antea fuerat locutus*) qu'une épée ».

(*a*) Il. VI, 134-5................ ὑπ' ἀνδροφόνοιο Λυκούργου
Θεινόμεναι βουπλῆγι.

(*b*) Iud. IV, 4.

(*c*) Vegetius de re militari lib. III. c. 24. (*d*) Liv. IV. c. 9.

adhuc aetate, rex Iabin iis praesertim ceu belli nervis confisus sit, ut maximum in Hebraeos, hoc praesidio destitutos, metum incuteret; haec causa cur Barac, divino tantum auxilio fretus, aciem instruxerit, et plurimi ad vexilla vocati concurrere recusaverint. Neque profecto callidum militare consilium illud videri potuisset, quo Barac eum exercitu in monte Thabor consederat; cum amplissima (*a*) subiecta planities opportunum Sisarae curribus campum aperiret, eique facillimum foret Hebraeos undique circuire, atque obsessos fame, irrumpentes ferro conficere; at, Deo fortunam belli moderante, quod ineptum videbatur, aptissimum fuit; etenim subita ac vehementi coorta tempestate, tonitruum fragore, fulminum iactibus equorum plerique conterriti, huc illuc caeco impetu discurrentes totum Sisarae exercitum perturbarunt, perverterunt; mox, imbre effuso excreti torrentes, tellus madida atque soluta currus humo defigere, aut aquis subvertere, una equitibus tutissima salutis via dare se in pedes; quemadmodum igitur Pharaonis exercitus et equitatus, ita nunc ferrati Sisarae currus, copiaeque pedestres, ille in mari rubro, isti in campo Esdrelon atque ad torrentem Cison, horrendo caeli turbine, furenti aquarum vortice obruti, dispersi, dissipati sunt.

(*a*) Hanc opportunitatem ac propterea narrationis veritatem inficiati sunt superiori aetate auctores Encyclopaediae, art. Barac; at utramque confirmarunt itineratores, Maundrell, Voyage d'Alep p. 190, 191; Morison, Voyage de Jérusalem p. 209; Naud, Voyage de la Terre Sainte p. 620.

LX. Neque Gedeonis stratagema monstrosum aut insolens (*a*): ingentes enim copias panico timore correptas, illico disiectas in omni memoria est exauditum; at vero neque inanis Madianitarum timor, quippe Gedeonem ad arma socios undique conclamasse, horum non paucos (*b*) eiusdem signa secutos, compererant (*c*); non alios interea se se adiunxisse, imo praeter tercentos, reliquos fuisse dimissos (*d*), ignorabant: quapropter ubi primum, intempesta nocte, hinc illinc frequens clangor tubarum instrepuit, innumera militum turma se se undique circumfusos, falso, at non absurde, opinati sunt. Itaque cum in re inopinata atque ancipiti animi penderent, et subitus atque errabundus lampadum fulgor modo caligantium oculorum aciem perstringeret, modo tenebras crassiores faceret, huc illuc temere concursantes, socios ab hostibus haud dignoscentes (maxime cum indigesta ipsorum turba ex multiplici variarum gentium caterva (*e*) constaret), viamque sibi quaquaversus gladio parantes se se mutuo petunt, vulnerant, confodiunt; neque mirum propterea si, alii aliis permixti, caeco ac prae metu impotenti impetu acti tam ingentem

(*a*) Polyaeni Stratagem. lib. II. c. 37. Frontini Stratagem. lib. II. c. 4. Liv. lib. XXII. cap. 16 seq. Sallust. Iugurt. 99. Diod. Sic. lib. XX. § 66. Niebuhr, Description de l'Arabie, p. 263, édit. d'Amsterdam 1774. Confer Gen. XIV, 15. I. Reg. XI, 11.

(*b*) Iud. VI, 35.

(*c*) Ib. VII, 13-14.

(*d*) Ib. 3-8.

(*e*) Ib. VI, 33.

fecerint cladem, ut viginti quinque hominum millia occubuerint (*a*); si pauci, qui ex fuga evaserant, quam longissime inde progressi, proindeque nil amplius sibi metuentes, vixdum Gedeonis manipulum ingruentem senserunt, primum victoris exercitus agmen reputantes, confestim praecipiti cursu terga verterint, neque ducum captivitatem prohibuerint (*b*).

LXI. Galaaditae Ephrathaeis irati, qui ad praeliandum contra Ammonitas acciti, una cum illis progredi recusaverant, mox, istis devictis, in parta victoria invidi illos iurgiis et armis provocabant; vim iniustam iustissime repellentes eos debellant, atque, ad internecionem persecuturi, Iordanis vada praecipiunt, ut quosque illum transmissuros offenderint, quaestione proposita a suis internoscant et iugulent: at perpaucos inibi caesos, plerosque in praelio, aut per agros et vias palantes et vagos peremtos fuisse, candido cuique lectori manifestissimum.

(*a*) Iud. VIII, 10 iuxta textum hebraicum.

(*b*) In eo quod Gedeon *ante solis ortum* hostes illos persecutus, devicisse, et reversus dicatur VIII, 13, repugnantia non est; vel enim non de eadem, sed de altera die id intelligendum est; vel hebraica verba מִלְמַעֲלֵה הֶחָרֶס *ante solis ascensum* de clivo interpretaberis hoc nomine donato; nam vox מַעֲלֵה saepe de loco editiore accipitur (Ios. x, 10. xv, 3, 7. xviii, 17. i Reg. ix, 11. ii. Reg. xv, 20), et vox חֶרֶס de urbe occurrit Is. xviii, 19, cui affinis חֹרֶשׁ silva caedua Is. xvii, 9. Ezech. xxxi, 3. חֹרְשָׁה i. Reg. xxiii, 16. Conveniunt in hanc sententiam Interpretes LXX, Syrus, Arabs, Aquila et Symmachus.

LXII. Apes cadavera nondum exsiccata refugere novimus (*a*); at in sceletis identidem mellificare aeque compertum (*b*); verum enim leonis cadaver dudum carne fuisse nudatum, tum ex voce מִיָּמִים *post dies*, conficitur, quae indeterminatum temporis intervallum designans, plures menses, imo integrum quandoque annum (*c*) significat; tum ex eo quod iis in regionibus tanta sit ferarum copia, et rapacium volucrum turba, tam vehemens aestus, ut vel uno die animantum saepe, hominumve cadavera carnibus nudata exarefiant.

LXIII. Qui meminerit, quam ingentem belluarum et peregrinorum animantum numerum Romani interdum imperatores in Circo aut in Amphitheatro una simul produxerint (*d*), ille neutiquam mirabitur tercentas vulpes a Samsone captas, copulatasque fuisse; praesertim cum, nec quantum temporis in id insumserit, nec quot adhibuerit socios definiatur, nec rarae in Palaestina inveniantur, testibus Hasselquistio, et Morisonio in eorum itinerariis; ideo autem opus ex toto ipsi adscribitur, quia unus consilii auctor et praecipuus executor. Accedit quod vulgus, imo itineratores ipsi in animantum specie-

(*a*) Plinius, hist. nat. lib. XI. cap. 21. Varro, de re rustica lib. III. cap. 16. Aristoteles, hist. nat. lib. IX. cap. 40.

(*b*) Herod. lib. V. cap. 114. Aldovrandus, de Insectis lib. I. p. 110. Bononiae 1602. fol.

(*c*) V. Gen. IV, 3. XXIV, 55. Lev. XXV, 29. Iud. XI, 4, 40. I. Reg. I, 3, 20. II, 19. XXVII, 7.

(*d*) Plin. hist. nat. lib. VIII. c. 16. Flavius Vopiscus in Probo p. 406. Ælius Lampridius in Heliogabalo p. 344.

bus propriis nominibus distinguendis haud semper accuratissimi sint; quare eodem nomine varias eiusdem generis species saepe significant: eapropter hebraicum vocabulum שׁוּעָל non modo vulpem, sed et animal medium inter vulpem et lupum potest denotare; nempe iuxta nonnullos idem quod Graeci θῶα, Latini *thoëm* (*a*) dixerunt (Persae شغال *sciaghal*, Galli *chacal*, nostrates *lupo dorato* appellant), et vulgari sermone tam apud Arabes, quam apud Malabares cum vulpe confunditur, licet utrisque proprium vocabulum praesto sit tam ad vulpem, quam ad thoëm designandum; sic Martens aliique ad Arctos progressi saepe cum de vulpibus loquuntur, *isatides* intelligunt (*b*). Iam vero hoc animalium genus gregatim semper incedit, ita ut ducenta quandoque simul inveniantur (*c*); iuxta Iopen et Gazam, antiquam Philisthaeorum sedem, frequens occurrit (*d*), hominibus innoxium, eos non refugit, imo stolidum et procax eos canum instar fidenter adit, facilis propterea capturae (*e*), et Samsonis consilio prae vulpibus peropportunum; hebraicum porro vocabu-

(*a*) Plin. hist. nat. lib. VIII. cap. 34.

(*b*) Schreber, Die Saeugethiere Th. III. S. 369. Niebuhr, Description de l'Arabie.

(*c*) Bellon, Observations de plusieurs singularités et choses mémorables trouvées en Grèce, Asie, Égypte, Arabie etc. liv. II. ch. 108. p. 288.

(*d*) Chardin, Voyage en Perse tom. I. p. 43. II, 29. Morison, Voyage du Mont Sinaï etc. liv. II. chap. 31. Nieuhof Zee-en-Land-Reze door Ostindien p. 181 et 293.

(*e*) Güldenstaedt, Novae Comment. Academ. Petropol. XX p. 449 seq.

lum hoc sensu esse intelligendum, confirmatur ex locis parallelis Ps. LXIII, v. 11, et Cant. Cant. II, 15; in illo enim vocabulum hebraicum שׁוּעָלִים potius in thoës, quam in vulpes quadrat, quippequae a cadaveribus abhorreant (*a*), quorum illi cupidissimi sunt (*b*); in altero idem vocabulum vulpes quidem designat, at ne cum aliis eiusdem generis animantibus confundantur, שֻׁעָלִים קְטַנִּים vulpes *parvulae* dicuntur (*c*). Verum utcumque res se se habeat, sive vulpes, sive aureos canes, aut iuxta nuperrimos (*d*), syriacos fraudis suae ministros Samson adhibuerit, illud exploratum, non defuisse iis in regionibus animantum genus damnoso eius ioco accommodatissimum; quem neque insolitum, neque inauditum fuisse testatur ludicra solemnitas Romae in Circensibus Cereris habita, qua de re adeundus

(*a*) V. tamen Pausan. IV, 18.

(*b*) V. Bocharti Hierozoicon t. II. p. 844.

(*c*) Hoc vocabulum esse polysemum vel inde colligitur, quod hebraicum שׁוּעָל, arabicum ثعالة quae vulpi conveniunt, et persicum شغال quod thoëm designat unum idemque vocabulum sunt, alia atque alia pronunciatione diversimode inflexum, nam literae ع ain et غ ghain in eo tantum differunt, quod haec illa asperior est.

(*d*) Ehrenberg, Icon. et Descript. mammal. decur. II probare contendit itineratores canem syriacum hebraice אִי arabice اوى pro cane aureo, sive sciaghal habuisse, quorum nullum forsan in Palaestina reperire sit; illum vero eumdem cum Graecorum thoibus facit, ac vulpi simillimum dicit, nisi quod brevioribus auribus, pedibusque, hebetiori rostro est, et forma capitis lupum refert; indole et moribus utrisque affinis.

Ovidius Fast. lib. IV. v. 681-2. 703-12; neque a vero abludit immanis illa noxa agris, vineis, olivetis illata; nam in illis terrae tractibus, ob nimium aestum prata et arva identidem adeo arescunt, ut vel parva scintilla forte delapsa ingens excitare queat incendium, quod latissima pascua, patentes campos, altissimos saltus absumat; qua nocendi opportunitate etiamnum Orientales ad ferendam aut ulciscendam iniuriam crebro abutuntur (*a*).

LXIV. Gazae portas cum valvis et postibus non ad Hebronem usque asportavit, sed montis vertici imposuit, qui haud longe a Gaza septentrionem versus plurimus assurgit, et Hebronem prospectat (*b*); quid vero si eousque progressus fuisset? Prodigiosa quidem res erit, at non absurda; nam summo mane illuc adventasse perperam augurantur adversarii.

LXV. Fortissimum Samsonem, qui pridem in castris Dan heroicae suae fortitudinis specimina dederat, dein triginta Ascalonitas, solemni loco et die splendidioribus vestibus exuendos audacter, atque secure trucidaverat; nuperrime novos funes, quibus arctissime fuerat devinctus, instar lini combusti disruperat, arrepta nunc sucosa, solidiori propterea,

(*a*) Egmont and Heyman Travels vol. I. p. 303 et 329. Pocoke, Beschreibung des Morgenlandes Th. II. S. 97. Confer II. Reg. XIV, 30.

(*b*) עַל־פְּנֵי e regione, versus designat, et de locis satis inter se dissitis aliquando usurpatur; sic Deuter. XXXII, iubetur Moses *ascendere in montem Nebo in terra Moab contra* (עַל־פְּנֵי) Iericho, quae e regione quidem posita, at non admodum proxima est.

asini maxilla Philisthaeorum cohortem recens adhuc prodigium stupentem confestim adortum, eorum aliquot hinc inde contusis, protritis, reliquos fudisse, profligasse, extra fidem non est. Mille peremtos in textu non legimus; nam verbum hebraicum הִכָּה non modo *feriit*, *cecîdit* significat, sed percutiendo devicit, fugavit (*a*): praeterea mille apud Hebraeos perinde ac apud Latinos saepe pro magno quidem numero ponitur, sed indeterminato; hac igitur locutione nil aliud significatur quam multam Philisthaeorum manum partim prostratam, partim fuisse dispersam (*b*). – Nec demum ex mo-

(*a*) Conf. Gen. XIV, 15. Num XXII, 6. Eadem vis locutionis latinae *exercitum caedere*, germanicae *den Feind schlagen*, anglicae *to beat the enemy*, gallicae *battre l'ennemi*, italicae *battere il nemico.*

(*b*) Hac occasione Samson suo et aetatis genio indulgens, epinicii loco, hoc distichon condidit:

בִּלְחִי הַחֲמוֹר חֲמוֹר חֲמֹרָתַיִם
בִּלְחִי הַחֲמוֹר הִכֵּיתִי אֶלֶף אִישׁ

In mandibula asini acervum, duos acervos;
In mandibula asini percussi mille viros.

Ludit nempe ambiguitate vocis חֲמוֹר quae tum acervum, tum asinum, quippe iumentum sarcinarium, designat: quare I. Reg. XV,I 20. חֲמוֹר לֶחֶם, verbo tenus; *asinus panis*, idem est ac asinus pane onustus, italice *un carico di pane*, similis est significationis affinitas apud Italos in vocibus *soma*, et *somiere*; quod ad vocis similitudinem eamdem paronomasiam latine exprimeres hoc modo: in mandibula *cervi*, *acervum, duos acervos* etc. LXX vertentes ἐν σιαγόνι ὄνου ἐξαλείφων ἐξήλειψα αὐτούς, in asini maxilla delens, delevi eos, videntur legisse חמר חמרתים et verbum חמר significatione scalpendi, abradendi, quae arabico حمر subiecta est, accepisse; quem verborum lusum (*jeu de mots*, *calembourg*, *bisticcio*), gallice ita adumbrares: *avec la mâchoire d'une rosse, je les ai rudement rossés*; item italice: *con una mascella d'asino, ne feci un gran macello.*

lari maxillae, sed ex rupis foramine latens aquae fons emanavit; cum enim tractus ille montuosus (*a*), ubi asini mandibula Philisthaei fuerant debellati, רָמַת לֶחִי, Ramathlechi *elevatio*, seu *collis maxillae* ob victoriae monimentum a Samsone dictus sit, eadem metaphora collis aut rupis cavum, unde subitus ille aquae fons scaturivit, mortariolum, seu dentis loculamentum (*b*), aut ipse, aut eius aequales vocaverunt; quamobrem hebraica verba וַיִּבְקַע אֱלֹהִים אֶת־הַמַּכְתֵּשׁ אֲשֶׁר־בַּלֶּחִי *et aperuit Deus dentis loculamentum quod in maxilla*, significant Deum diffidisse rupem, cui cum *maxillae* nomen postea factum sit, tropice ipse hiatus *dentis alveolus* dictus est. Revera de rupe eiusque cavo, non autem de maxilla eiusque molari sermonem esse colligimus, tum ex verbis insequentibus, quibus fons ille *invocantis* nomine donatus, usque ad scriptoris aetatem dicitur scaturiisse בַּלֶּחִי *in maxilla*, quod absurdum, nisi de loco ita nuncupato interpreteris; tum ex v, 9. ubi legimus Philisthaeos castrametatos fuisse בַּלֶּחִי quod de regione intelligendum procul omni dubio est; nimirum scriptor (quod hagiographis familiare (*c*)) per prolepsin nomen praescribit

(*a*) Id colligitur ex Iud. xv, 8-9. 13-14.

(*b*) Nec inepte, aut insuete: nam si singulares et acuminati scopuli saepe *dentes* vocantur, conf. I. Reg. xiv, 4; eorum cava *dentium loculamentis* poterunt assimilari; hoc sane nomen vallis cuiusdam prope Hierosolyma, Soph. I, 11, ubi hebraicum הַמַּכְתֵּשׁ Vulgatus *pilam* reddit.

(c) Conf. ex. c. Ios. iv, 19-20 cum v, 9; Iud. ii, 1 cum 5.

facto enarrando posterius, illudque tam hîc, quam inferius v. 19 contractum usurpat (*a*), quippe vulgo ita audiebat.

LXVI. Homines ceteroquin prudentissimos atque fortissimos indomita quapiam animi cupiditate, gloriae puta, irae, vindictae, maxime vero impotenti mulierum amore concitatos fortunarum, sanitatis, nominis, ipsius vitae pericula subire, aut iacturam pati adeo omnibus compertum arbitramur, ut supervacaneum sit aut mythicam Herculis colum, aut historicum sed antiquissimum M. Antonii fatum commemorare; siquidem recentiora ac ferme quotidiana id genus exempla in omnium oculis posita sunt. Samson igitur, virginis amore captus, primo firmus et constans, dein eius blanditiis, plurimisque amoris significationibus flexus, persuasum habuit candidam puellam secretum neutiquam prodituram; deceptus, nocendi opportunitatem haud amisit, imo potiorem offendit: et Ascalonitarum exuviis multam pependit; sponsam alteri nuptui traditam messium conflagratione; nuptam cum patre crematam ingenti Philisthaeorum plaga ultus est. Quod pertinet ad scriptoris secum ipso repugnantiam, qui hanc illi impingunt, se grammatices ignaros produnt; nesciunt enim a sanioribus ipsis scriptoribus hysterologiam aliquando usitatam, prae-

(*a*) לֶחִי Lechi pro רָמַת לֶחִי Ramathlechi, ut שִׁטִּים Sittim Num. xxv, 1 pro אָבֵל שִׁטִּים Abel Sittim ib. xxxiii, 49.

posteram nempe locutionem qua posteriore loco dicitur, quod priore dicendum erat. Quamobrem quae solo curiositatis stimulo incitata, sex dies Samsonis animum pertentaverat, septimo die concivium minis territa, pertinacius instans, mollioribus eum verbis deprecans, aenigmatis enarrationem surripuit. Porro quod Samson peregrinis amoribus, iisque praesertim quibus plurimum esset discriminis, studuerit, eius praecipiti ac temerario ingenio respondet, quippe propriae virtuti ac securitati confisus, hasce periclitandi occasiones quaeritabat, quibus feliciter usus altiores in dies atque elatiores animos sumebat; haud itaque mirum est si nil timens sibi, dolosis Dalilae illecebris illaqueatus, importunas eius quaestiones non solum vanae curiositatis libidini non adscripserit, sed ut ingenui amoris argumentum habuerit (quippe sincere amantium proprium est velle, ut alter alteri sensus suos omnes vel intimiores aperiat); iam enim Dalilae sinceritati Samson falso credidit, haud tamen absurde: Philisthaeis enim nunquam prodeuntibus, clam sibi structas insidias ignorabat, neque ut antea cum Gazitana, ita nunc cum scorto res ipsi fuisse videtur; de cetero, cum nil fallacius muliere inhonesta, nil perdito amatore stupidius sit, Samsonis vecordia non abhorret a fide.

LXVII. At abludit validissimum capillitium. — Maxime: at quis validissimum dixit? Comam intonsam atque promissam roboris sedem fuisse adversarii comminiscuntur; nos cum historico uti merum consecrationis insigne habemus, ex qua prae-

cellentes Samsonis vires unice repetendae: non ergo quia intonsus ideo praestantissimus, sed ideo *ferrum non ascenderat super caput eius, quia nazaraeus, idest Deo consecratus* (*a*); qua consecratione polluta, Samsonis munus ac Dei beneficium cessabant; illa restituta, haec renovabantur? Unde patet quam frustra sint, non modo *Rationalistae* (*b*), sed nonnulli ex Catholicis (*c*), qui simile quidpiam penes profanae antiquitatis mythologos, atque poëtas sibi videre visi sunt, et Samsonis caesariem crini purpureo Nisi Megarensium regis (*d*), aut aureo Pterelai capillo (*e*) compararunt, quibus resectis uterque vita privatus est; haec enim exempla magicam quamdam atque fatalem virtutem ipsis crinibus alligant, iisque simillima, quae ceu magicae artis atque incantationum portenta, Orientales fabulatores, millibus et una Noctium Arabicarum, ad libidinem finxerunt; at alia profecto non modo Samsonis, sed Philisthaeorum mens; alioquin isti renascentem eius crinem prohibuissent, ipse, coma renovata, pristinum robur precibus a Deo haud efflagitasset.

LXVIII. Domum, quam Samson columnis excussis subvertit, sive templum ea fuerit, sive theatrum tu-

(*a*) Iud. XVI, 17.

(*b*) Rosenmüller, Sch. in h. l. Winer, Biblisches Realwoerterbuch, A. Simson.

(*c*) Huetius, Demonstratio Evangelica, Lipsiae 1703. p. 336. Brentano et Dereser, die Heilige Schrift. 2. Th. 1.er Band. S. 225.

(*d*) Hyginus lib. I. fab. 198. Ovid. Metam. lib. VIII, 8, seq. 84, seq. Virg. Ciris v. 120, seq.

(*e*) Apollodorus Biblioth. lib. II, c. 4.

multuario opere excitatum, ex ligneis trabibus constitisse, remotissimae illius aetatis et locorum conditio suadet (*a*); pone ad amphitheatri formam ea ratione exaedificatam, ut singulae contignationis trabes undique in epistylium vergerent binis columnis, in medio areae excitatis ac paene contiguis, superimpositum, hisce submotis aedes universa ruebat (*b*). Huius generis structurae quatuor vel duabus solum columnis innixae, ingenti spectatorum numero refertae, ubi publici modo ludi celebrantur, modo solemnia iudicia habentur, etiamnum in Oriente frequentissimae sunt (*c*); columnas autem potissimum aedificiorum fundamentum fuisse ex variis S. Scripturarum locis colligimus (*d*). Quod pertinet ad singularem operis compositionem, multo mirabiliora fuerunt duo illa theatra a C. Curione aedificata, quorum meminit Plinius (*e*), quaeque duobus tantum cardinibus suffulta universum populum Romanum circumferebant, illico periturum, ubi alteruter axium defecisset; quod vero spectat ad excidii immanitatem, multo plures Fidenis obruti sunt ruina amphitheatri lignei; quinquaginta siquidem

(*a*) V. Iustus Lipsius, de Amphitheatro cap. v.

(*b*) V. Vrenii Parentalia p. 359, et Ioh. Bern. Wideburgii Mathesis Biblica Specim. III. p. 30.

(*c*) V. Shawii, Niebuhrii testimonia ex eorum itinerariis excerpta penes Iahn, Biblische Archaeologie 1.er Th. 1.er Band. S. 235.

(*d*) Conf. III. Reg. VII. Ps. LXXIV, 4. Prov. IX, 1. Gal. II, 9. I. Timoth. III, 15.

(*e*) Hist. nat. lib. XXXVI. c. 15.

hominum millia, ait Tacitus (*a*), eo casu debilitata, vel obtrita sunt.

§ II.

Facta prodigiosa.

LXIX. Nunc ad prodigiosam quorumdam factorum naturam contra Incredulorum sophismata propugnandam accedimus, et ita ex eorum persona argumentamur. – Demus igitur potissima, imo ut liberales simus, omnia quae ab hagiographo narrantur neque conficta, neque exaggerata fuisse; at enim candidus scriptor idemque simplicissimus, divinae virtuti ea adscripsit, quae nonnisi naturalibus caussis attribuenda sunt: re quidem vera, Sisarae exercitum procella dissipavit, Madianitarum agmina callidum stratagema; Samsonis gesta fortissimi quidem viri sunt, at iis simillima omnis memoriae heroës praestitere (*b*); quae quidem omnia cum neque vires naturae, neque hominis consilium aut robur quo-

(*a*) Annal. lib. II. c. 62.

(*b*) Leones ab inermis peremptos legimus I. Reg. XVII, 24. II. Reg. XXIII, 20. Idipsum ab Arabibus quamfrequenter factitari tradunt Thévenot, Voyage au Levant, tom. II, chap. XIII, p. 113. Poiret, Voyage en Barbarie, 1.ère partie, p. 218. Vetustissima insignis fortitudinis exempla videsis apud Pausaniam lib. VI, cap. V. Homer. Iliad. V, 302. VII, 219, 245. XII, 445. XX, 240. Plin. Hist. nat. lib. VII, c. 20; recentiora apud Iahn., Einleit. 2. Th. 1. Abschn. S. 205. Brentano et Dereser, die Heilige Schrift des A. Test. 2. Th. 1. B. S. 223.

quomodo excedant, perperam in scenam Angeli inducuntur victoriam pollicentes, quae humana tantum prudentia reportanda est; aut pueri nativitatem praenuntiantes, qui grandaevus factus, vaferrimus ac robustissimus, uno mentis astu, aut validissimis lacertis patriae hostes erat divexaturus; praeterea revera Angelos fuisse neque aperte historicus affirmat, cum Angeli nomen prophetis (*a*) et sacerdotibus (*b*) fuerit commune; nec ipsi praesentes ulla caelestis suae originis argumenta praebuerunt, sed tales ab iis habiti sunt, qui ad terram proiecti eorum abitum non advertentes caelestium more illos evanuisse temere (*c*) coniecerunt; sane cum et certo quodam loco stabili sede commorati, et hominum more adventantes, seque sistentes describantur (*d*), eadem ratione discessisse merito conficimus.

LXX. Non ii profecto sumus qui Iudicum singulos, propterea quod ad patriae salutem procurandam a Deo fuerint suscitati, prodigiis inclaruisse arbitremur; aut dedecere Deum, ad miracula perpetranda, et ipsis interdum naturae viribus uti: cum enim omnia ad eius nutum exstiterint, eius virtute actuosa sint, eiusque proposito inserviant; sive consuetum naturae ordinem sequantur, sive illum excedant, proximius aut remotius ab omnium

(*a*) Agg. I, 13. Malach. III, 1.
(*b*) Malach. II, 7. Eccl. V, 5.
(*c*) Paulus, Exegetisch. Conservat. S. 200.
(*d*) Iud. II, 1.

actuosissima causa recto procedunt. Quae quidem sententia, praeterquamquod hagiographorum omnium, imo totius olim Hebraicae gentis propria, verissima est, verae proinde eorum religionis luculentissimum argumentum; irrefragabilem eorum testificationi auctoritatem ideo conciliat, quod communes rerum eventus Deo auctori adiudicantes, ad monstrosa aut peregrina comminiscenda minimum se proclives reapse testabantur. Itaque libentissime damus non omnes Iudices spiritu Dei actos, aut vi superna fuisse roboratos; omnes tamen a Deo excitatos ideo dicimus, quia nativum hominis ingenium, atque animis a natura insita virtus, caelestium munera sunt; illorum incrementa, opportunitas, tempestivitas, prosperi rerum exitus quos ferunt, feliciores eventus qui inde existunt, omnia a supremo rerum Moderatore diriguntur ac temperantur; veruntamen quaedam a nonnullis aut horum gratia peracta fuisse, quae supra hominis naturam et conditionem posita sunt, fidentissime pronuntiamus.

LXXI. Re enim vera, ut a Sisarae exercitus clade initium sumamus, an in hoc casu aliquid naturalibus causis dandum sit, ignoramus; at profecto saevam illam procellam tempestive exoriendam, innoxiam sibi, hostibus exitiosam neque Debbora, nisi numine afflata, certo praenoscere potuisset; neque Barac ubi illud novisset, Debborae praesentiam adeo efflagitasset; neque ingruente tempestate tam imprudens Sisara, ut currus in aciem produceret; neque demum Hebraei alacres adeo

atque securi hostes impune fuissent insectati, nisi procellam Dei in Chananaeos irae, optimae eiusdem in Hebraeos voluntatis prodigiosam administram agnovissent; Deus itaque aut nullis tunc naturae viribus, aut praeter statutum rerum ordinem iisdem usus est, atque omnibus palam fecit Numinis vindictam superbe provocantibus, bellica ipsa instrumenta exitio futura, timidos minusque bello valentes, Dei tamen auxilio fretos, fore insuperabiles.

LXXII. Quod documentum Hebraeorum in gratiam, Madianitarum damno Deus instauravit, cum isti a tercentis Hebraeis militibus buccinantibus, et faces quaquaversus iactantibus in fugam prodigialiter conversi sunt; prodigium vero non in eo ponimus, quod Madianitae tristi quo gravabantur somno repente irruentium impetu excussi, tremendo tubarum strepitu consternati, incerto lampadum fulgore confusi hac illac inordinate diffugerint, et mutua se se caede foedaverint; sed illud nobis quamprodigiosum, Gedeonem id consilii capere, et cum tercentis sociis audacter, intrepide exsequi valuisse. Quod enim homines, quibus elatiores spiritus erant, re desperata, simile quidpiam interdum feliciter tentaverint, aut vel nescii quandoque, et praeter opinionem, panicum terrorem in hostium castra coniecerint (*a*), id saepius exauditum, nec supra fidem est; at quod humili atque obscuro loco

(*a*) Diod. Sic. Bibl. lib. xx. § 66.

natus (*a*), quique modo de patriae salute spem omnem abiecerat (*b*), confestim exercitum paret, et ductet; vixque coacto, ex triginta duobus hominum millibus tercentis tantum sociis delectis, reliquos non iam, ubi opus, praesto futuros in extremo agmine collocet, sed recta domum dimittat (*c*), id sane portentosum, verius, nisi prodigia praecesserint, prorsus incredibile est; nimirum idem ipse qui ratus cum universo exercitu victoriam de hostibus referendam esse, nihilominus certissima divinae opis argumenta paene puellari simplicitate semel et iterum a Deo expetierat (*d*), hisce haud impetratis exercitum, cui unice propterea fidendum, temere dissolvisset, aut ipse delirus tercentos eiusdem insaniae aut fatuitatis socios nactus fuisset? — Prodigialis ergo fuerit Hebraeorum fides, at exitus stratagematis omnino naturalis: ad rem igitur Horatianum illud:

« Parturiunt montes; nascetur ridiculus mus. » (*e*)

— Inepte iuxta atque scurriliter concludis: miraculum siquidem in ipsa hostium perturbatione intercessisse probabili coniectura quis ideo colligeret, quod ex orationis contextu, dormientibus ominosa

(*a*) Iud. VI, 15.
(*b*) Ib. 13.
(*c*) Ib. VII, 8.
(*d*) Ib. VI, 36-40.
(*e*) Art. Poët. v. 139.

somnia (*a*), evigilantibus pavorem ac metum (*b*) Deus ipse directe immisisse videatur. Ceterum, Deus qui miracula ad hominum utilitatem, non autem, ut falsa Ethnicorum numina, ad vanam sui ostentationem operatur, prodigiis Hebraeorum animos erigere, confirmare sibi proposuerat, quia alioquin generosos, gentisque nobilitate dignos spiritus nunquam resumsissent; at inani terriculamento voluit Madianitas disperdere, ut horum superbiam et arrogantiam (*c*) confringeret, interim vero *non gloriaretur Israël, et diceret: meis viribus liberatus sum* (*d*): quemadmodum igitur victoria de Sisarae copiis pridem reportata non Baraco, sed mulieri adiudicanda (*e*); ita nunc Madianitarum caedes non Gedeoni, sed Domino reputanda, qui illi animum indiderat, inventum suaserat, omnem tum a duce, tum a sociis metum ac cunctationem dispulerat, eosque de successu fecerat certiores (*f*); quapropter

(*a*) Iud. VII, 9-16.

(*b*) Ib. 22.

(*c*) Quam humiles, abiecti, contemtibiles Hebraei a Madianitis haberentur, quam apposite proinde Deus despicato hocce adminiculo uteretur, ut eorum cornua frangeret, ex militis somnio efficitur, quod sub imagine panis subcinericii (nempe tosti, tenuis propterea ac fragilioris), et hordeacei (hoc est vilissimi), Gedeonem Hebraeorum ducem adumbrabat (Iud. VII, 13-14).

(*d*) Iud. VII, 2.

(*e*) Ib. IV, 9.

(*f*) Hac occasione evidentissimam completionem accepit quod dudum per Mosem (Lev. XXVI, 8), et Iosuam (XXIII, 10) Deus spoponderat, fore ut ipso adiuvante Hebraeorum paucissimi hostium plurimos profligarent.

Deo gratissimus Gedeon ovantis populi votis modestus ac generosus obsistens, sponte oblatum imperium sapiens atque piissimus detrectavit (*a*). Eamdem porro non modo post cladem acceptam, sed et in antecessum Madianitarum persuasionem fuisse, ex illorum somnio atque interpretamento (*b*) apparet.

LXXIII. Samsonis astutiam atque solertiam demiramur, ipsi tamen nativam atque ingenitam ultro fatemur; quamobrem neque in vulpium captura, neque in segetum incensione quidpiam portentosi suspicamur; at enim eius vires humanae naturae conditionem excessisse, ex intima Samsonis, ex universali tum Hebraeorum, tum Philisthaeorum persuasione, atque ex fatali earumdem iactura, potiusquam ex eius gestis tutissime colligimus. Haec enim historicus obiter interdum atque praetervolans (quod indubium eiusdem sinceritatis, atque universalis hac super re fidei argumentum est) attingit (*c*), neque omnia fortassis memorat, aut cum singulis suis adiunctis fuse, distincteque semper exponit (*d*); iamvero Hebraeis perinde ac Philisthaeis, penes quos recens memoria robustissimorum gigantum, qui in Palaestina (*e*), eiusque viciniis (*f*) diu consederant, haud aliam in ipso,

(*a*) Iud. VIII, 22-23.
(*b*) Ib. 13-14.
(*c*) Ib. XIII, 25.
(*d*) Ib. XVI, 3.
(*e*) Ios. XI, 21-22.
(*f*) Deuter. II, 20-21. III, 11.

quam quae illorum fuerat, virtutem agnovissent, nisi eius facta longe praecellentissimam prodidissent; neque ullam eiusdem debilitandae spem concipere potuissent, nisi omnibus exploratum hanc illi non a natura congenitam, sed externe ac conditionaliter adiectam fuisse: quare Philisthaei, qui arcanum aliquid inibi latere praesenserant, Dalilae ipsum declaranti plenissimam fidem adhibuerunt, nec falsos fuisse probavit eventus; nam Nazaraeatus lege soluta hominum validissimus imbecillus evasit. – Quia talem se reputans, inquiunt, vires suas non exseruit. – Ast quomodo, reponimus, in absurdam hanc opinionem sponte concedere ipse potuisset? Hoc nimirum hominis ingenium est, ut plus saepe sibi assumat quam valeat, quaeque divinae liberalitatis munera sunt, naturae suae proprietates existimet. Praeterea nec quid tale unquam in superiori Hebraeorum memoria fuerat auditum, neque grandaevus, viriumque suarum conscius, parentibus rem adeo miram enarrantibus credidisset, nisi infans adhuc et puer (nondum propterea vires suas periclitatus), idipsum identidem auribus accepisset; nec demum ex Angeli verbis, qualia a scriptore referuntur, potuissent parentes id augurari, nisi uberiora ille addidisset, ab Hagiographo, ut saepe fit, propterea praetermissa, quod ex re ipsa et omnium persuasione clarissime colligantur. De reliquo, non ideo quia se detonsum persensit, infirmitatem suam praesumsit; sed cum nervos omnes contendens debilitatos, inertes expertus est, tunc

primum abscissam sibi comam intellexit (*a*). Haec autem mutua eventus cum persuasione consensio, utriusque veritatem confirmat, et omnem amovet suspicionem ne forte aut Samsonem illusum, aut superstitiosos eius parentes vana aliqua specie deceptos fuisse arbitremur.

LXXIV. Quamquam quaenam probabilis hac de re dubitatio oriri potuisset? Angelos, cum se hominibus videndos praeberent, non illico agnitos fuisse verissimum; ideo enim hominis speciem ac vultum assumebant, ut pacatiori animo ac securiori eorum nuntia illi reciperent, ad quos mittebantur; at enim eo ipso plurimam sibi merentur fidem qui Angelos se vidisse testantur, quos primo meros homines fuisse opinati sunt; neque enim priorem illam opinionem exuissent, nisi illi indubia caelestis suae conditionis argumenta praebuissent; neque historicus adeo accurate prophetam ab Angelo distinxisset (*b*), ubi eadem fuisset utriusque vocis significatio: quod vero propheta aut sacerdos interdum, raro tamen, Angelus Domini audiat, ad rem non facit; nam et ventus, et fulgura a Psalte eodem nomine donantur (*c*), quique in sacris litteris hospes ac peregrinus non sit, nullo negotio propriam locutionem a poëtica ac figurata secernit. – Certam porro stabilemque hic in terris, qui An-

(*a*) Iud. XVI, 20.
(*b*) Ib. II, 1. VII, 8, 11.
(*c*) Ps. CIII, 4.

geli feruntur, sedem habuisse perperam inde colligeres, quod Angelus Domini *de Galgalis ad locum flentium ascendisse* dicatur (*a*); hic enim tamdiu Galgalis moratus est, quamdiu Hebraeorum castra ibi fuerunt; scilicet eumdem, qui ut princeps exercitus Domini, nubis indicio Hebraeorum stativa in deserto fuerat moderatus, Iosuam Ierichuntis expugnandae rationem docuerat, eorum castris, invisibiliter licet, iugiter praefuisse Hebraeis probatissimum erat; at quemadmodum Deus quamquam in *templis manufactis non habitat* (*b*), illa tamen praesentia sua dicitur honestare, ita Angelus castris praefectus, quodammodo sedem ibi posuisse videbatur; unde ad Hebraeos nunc Silunte coactos adventans, dicitur ascendisse, utpotequi ex humiliori loco, editiorem petebat; eadem ratione, qua ex Ægypto in Iudaeam progressi ascendere (*c*), inde in Ægyptum profecti descendere (*d*) dicebantur (*e*). – Quod ad caelestem sui naturam, tum verbis expressis (*f*), tum oblique Dei nomen, ac personam abrupte assumentes (*g*), tum demum re Angeli prodiderunt, cum homines antea

(*a*) Iud. II, 1.

(*b*) Act. XVII, 24 coll. cum III. Reg. VIII, 26 seq.

(*c*) Gen. XIII, 1. XLIV, 24.

(*d*) Gen. XII, 10. XXVI, 2 seq. XLVI, 3.

(*e*) Nimirum Hebraeis עָלָה idem quod Graecis ἀναβαίνω, unde ἀνάβασις *adscensus*, iter scilicet ab ora maritima ad terras interiores atque altiores, uti ab Asia Minore ad Persidem; talis Xenophontea Anabasis, seu Cyri Expeditio.

(*f*) Iud. XIII, 18.

(*g*) Ib. II, 1.

habiti, flamma repente et prodigiose excitata, confestim evanuerunt (*a*); etenim tunc primum Gedeon et Samsonis parentes rem et personam una admirati humi procubuerunt. Postremo frequentes istae ἀγγελοφανίαι cum universa revelationis oeconomia, et cum peculiari Hebraicae reipublicae per ea tempora conditione apposite consentiunt; neque enim a divinis institutis deflexi et multiplici calamitate obruti, omnique ferme salutis spe destituti, ad meliorem mentem redire, animo reercari, rempublicam instaurare potuissent Hebraei, nisi dexter et praesens Deus adfuisset; at quaenam, quaeso, clariora rudi populo ac simpliciori magis accommodata praesentiae suae argumenta praebuisset visibili Angelorum legatione, qui medii Deum inter et homines immensum illud intervallum aliquatenus, horum scilicet mente, explentes, quo isti ab illo disterminantur, eos proinde tum acrius arguere, tum potentius solari, efficacius poterant movere, atque ad terrestria pronos, ad caelestia animo praesumenda avocare; verbo dicam: Hebraeorum per eam aetatem rationes, nisi speciali Dei nutu ac virtute identidem temperatas fuisse concedas, fiunt absurdae; si dignus Deo vindice nodus, Angelorum interventum cur improbares?

(*a*) Iud. vi, 21. xiii, 20.

§ III.

Divina narrationis auctoritas.

LXXV. Hanc omnimodis argumentis *Rationalistae* convellere adnituntur, et historicum absurditatis atque impietatis insimulant, propter eaquod Deum tot prodigia operantem inducat in gratiam gentis perditis moribus, et efferatis, idololatriae ac superstitioni deditae; eosque reipublicae restitutores adhibentem, qui eadem ipsi ac peiora peccaverint, imo (quae et scriptoris sententia est), Deum ipsum scelerum suasorem, impulsorem, auctorem habuerint, saltem in iis saepe conniventem, eaque nunquam reprobantem. Revera Hebraeorum barbariem ac feritatem produnt poena, quam de Adonibezeco sumserunt (*a*); crudelissimum supplicii genus, quo Gedeon seniores civitatis Succoth dilancinavit (*b*); fraterna Beniamitarum caedes, cui semel iterumque frustra tentatae ieiuniis ac lacrymis, precibus et hostiis Deum propitium exoraverunt (*c*); at sera poenitentia ducti Iabesitas obtruncant, ut virgines abducant, quas nuptum superstitibus Beniamitis collocent (*d*), cumque nec earum satis esset, reliquis auctores sunt, ut Siluntinis festos choros

(*a*) Iud. I, 6.
(*b*) Ib. VIII, 16.
(*c*) Ib. XX, 18, seqq.
(*d*) Ib. XXI, 1-15.

agentibus insidias struant, easque, ut Sabinas olim Romani (*a*), per dolum et vim abripiant (*b*). Num inhumanius quid unquam, aut superstitiosius exauditum? Quam pessime de Deo vulgus et proceres una sentirent, probat firma omnium persuasio, non potuisse Deum *delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant* (*c*); singularis Gedeonis audacia, qui Angelo viso, et Domini verbis incredulus ipse signa Deo praefinit, quibus demum fidem sit habiturus (*d*); solemnis Iephtae declaratio, quo iure ab Hebraeis Iehovam, eodem ab Ammonitis Chamos adorandum esse (*e*). Quantum a Mosaicis institutis aliena, quam inanis et falsa eorum religio, ostendunt altaria ubilibet excitata (*f*); sacra ab aliis quam Sacerdotibus peracta (*g*); Sacerdotalis amictus (*h*), imo Sacerdotes ipsi idololatrico cultui consecrati (*i*); quodque teterrimum, humanae hostiae Deo devotae, eoque annuente crematae (*k*), horrendum facinus, at non incredibile; etenim qui Ahodo auctor fuit, ut Eglonem mendacio circumventum fraudulenter occide-

(*a*) Liv. hist. lib. I. c. 9.
(*b*) Iud. XXI, 15-24.
(*c*) Ib. I, 19.
(*d*) Ib. VI, 36-40.
(*e*) Ib. XI, 24.
(*f*) Ib. VI, 25, 26. XXI, 4.
(*g*) Ib. VI, 18, 26. XIII, 15, 16
(*h*) Ib. VIII, 27.
(*i*) Ib. XVII, 12, 13. XVIII, 30.
(*k*) Ib. XI, 27, seqq.

ret (*a*); Iaheli, ut sexus humanitatem exuta, sanctiora hospitii iura perfringens, primo Sisarae securitatem, dein necem afferret (*b*); Samsoni mulieroso ac malefico Philisthaeae desponsandae consilium dedit (*c*); utque inexplebili eius vindictae atque voluptatis libidini indulgeret, toties prodigiosas vires suffecit, quoties aut iniuste nocendi (*d*), aut amatorie iocandi occasio se se tulit (*e*); neque postremo ad mortem sibi consciscendam illas adprecanti denegavit (*f*), Illi virginis holocaustum potuit esse acceptissimum. Haec sane Hebraeorum mens, qui talia impune fieri passi sunt; haec historici, haec prophetidis (*g*), haec Pauli (*h*) persuasio, qui haec turpissima facinora nunquam improbarunt, imo pluribus interdum laudibus extulerunt.

LXXVI. Antequam multiplicem atque atrocissimam calumniam obterimus, praemonemus, cum de gentis alicuius honestate atque humanitate sermo est, primum qua vixerit aetate, qua reipublicae conditione, qua fortuna usa sit, quonam fuerint ingenio quibuscum foedera sanxerit, aut praelia commiserit, accurate investigandum; proindeque non modo cum excultissimis nostrae, sed neque

(*a*) Iud. III, 15, seqq.
(*b*) Ib. IV, 17, seqq.
(*c*) Ib. XIV, 4.
(*d*) Ib. XIV, 19. XV, 1-5, 7-8, 14.
(*e*) Ib. XVI, 9, 12, 14.
(*f*) Ib. 28-30.
(*g*) Ib. V, 24, seqq.
(*h*) Hebr. XI, 32.

cum politiori illius aut superioris aetatis comparandam esse, nisi eadem utriusque fuerit ratio. Praeterea, divinorum munerum convenientiam aut necessitatem potius ex hominum infirmitate, quam ex eorum virtute esse aestimandam; neque quid illis acceptis adhuc peccaverint, sed a quibus abstinuerint, alioquin admissuri, inquirendum; iniuste denique culpam, quae perpaucorum fuerit, in universam nationem transferri, absonum vero opinari, sanctiores ipsos atque integriores nulla vitiorum labe pollui unquam posse, ac temerari. Haec prolocuti singula partitim et ordinatim depellimus.

LXXVII. Et ad morum feritatem quod attinet, sat erit consueta Hebraeorum belli iura eum mitioribus conferre, quae unquam apud antiquissimas atque recentiores gentes, praeter Christianas, obtinuerunt, ut liquido appareat omnibus hac in re illos praestitisse; consueta, inquam, nam si interdum ad maiorem saevitiam desciverunt, id vel expresso Dei mandatu, cuius ultionis probati erant ministri, vel graviori aliqua necessitate compulsi factitarunt: qualis profecto fuit, quae illos ad Adonibezecum torquendum adegit; nam truculentus hic regulus, qui tot regibus a se devictis manus pedesque praeciderat, ab Hebraeis talione multatus, hanc iustissimam fassus est (*a*); eosque ab omni inhumanitatis nota liberavit, quippequi eamdem ab ipso poenam, in aliorum exemplum atque terrorem repetentes, in-

(*a*) Iud. 1, 7.

terea eius barbarum fastum neutiquam sunt imitati. Seniores Succoth exquisitissimo supplicio a Gedeone affecti sunt; at quibusnam stimulis abiectissimos incites, quonam freno eorum immanitatem coërceas, qui patriae libertatis vindices, inedia et lassitudine confectos amaris dictis incessunt, iisque panis frustulum denegant? Nonne haec ignavia atque stupiditas, haec fatalis animorum dissociatio, qua quisque sibi, nemo rei publicae studebat, hanc iamdudum afflixerat, mox perditura? Merito igitur socordes ac viles poenarum acerbitate conterruit, quorum animi nullum iam ex patriae calamitate ac moerore sensum percipiebant. – Gabaonitae, qui nefando se crimine polluerant, anathematis legi subiecti penitus erant exterminandi, ne eorum culpa et ii tenerentur, qui illos impunitos dimisissent; quare Beniamitae reos in eorum ditione positos non modo tradere detrectantes, sed eorum partes amplexati in eiusdem criminis et poenae communionem devenerunt: at uno sceleris horrore compulsi, nullo irae aut simultatis studio intestinum illud ac domesticum bellum a reliquis tribubus susceptum fuisse, efficitur ex nuntiis antea ad Beniamin missis (*a*), ex eo quod nonnisi Dei iussis id fuerint ausi (*b*), et semel victi eius oraculis praelium instauraverint, aegro tamen animo, ut ex iterata eorum apud Deum quaestione evidens est:

(*a*) Iud. xx, 21.
(*b*) Ib. 18

« exire ultra debemus ad pugnam contra filios Be-
» niamin *fratres nostros*, an *quiescere* (*a*)? »
demum ex eo quod nil sibi reservaverint, sed iuxta anathematis legem (*b*) omnia ferro peremerint, aut igne vastaverint. Porro Deus qui semel et iterum pugnam praeceperat, at nonnisi tertio victoriam pollicitus est (*c*), eorum cladem ideo permisit, ut Beniamitarum audacia et malo rei exitu indignati, omnem intempestivae pietatis sensum abiicientes, eos ad internecionem delerent, et criminis immanitatem poenae gravitate pensarent; sane tantum quod hanc sumserant, cum eius ipsos poenituit, utque absque periurio tribus excidio, quoad fieri posset, mederentur, id consilii inierunt, quod utut virginibus illiberale, eorum tamen parentibus haudquaquam erat iniùriosum: cives enim Iabes belli societatem contra Beniamitas detrectantes, rempublicam scindebant; praeterea, tacite ab horum partibus stantes eadem infamia aspergebantur, proindeque ut patriae incolumitatis atque integritatis hostes habendi, exterminandi (*d*); Silun-

(*a*) Ib. 23, 28.

(*b*) Deuter. XIII, 12-18. Haec lex directe idololatriam, at oblique ea etiam crimina spectabat, quae aut ad illam adducerent, aut inde plerumque consequerentur, ut apostasia Core, Dathan et Abiron, Achanis sacrilegium, infandum Gabaonitarum flagitium; verbo, quidquid pessimi exempli contagione in praesens discrimen rem universam publicam coniiceret. Ex quo apparet Pauli effatum II. Cor. III, 6: *littera occidit*, *spiritus autem vivificat*, neque semper, neque in omnes Hebraeos cecidisse.

(*c*) Iud. XX, 28.

(*d*) Ib. XXI, 11, coll. cum Num. XXXI, 17.

tinis vero ab omni peierandi formidine liberatis debuit esse gratissimum quod ceteri, nisi obstitisset iurisiurandi religio, libentissime praestitissent; Iabesitae denique et Siluntinae ad id sortitae, ut tribum ferme exstinctam restituerent, elatiori ac laetiori prae sodalibus animo esse debebant, quippe ipsarum fecunditas (quod unum iis erat in votis), non modo familiae decus et incrementum, sed praesens et peropportunum beneficium patriae erat allatura; nec illarum maxime interfuisse putaverim (ut tunc erant tempora et mores, praesertim pro commoda superstitum Beniamitarum conditione), utrum, casu ne an parentum voluntate, nuptum collocarentur. De reliquo, dum Hebraeorum studium in crimine expiando et fide sacramenti servanda, fratrum peremtorum desiderium, optimam erga superstites voluntatem iustis laudibus cumulamus; si cui forte aut illud deiurium, quo se in Maspha obstrinxerunt, aut consilium postea Beniamitis datum minus probetur, meminerit illos non ex Dei mandato, sed proprio marte id praestitisse, et rerum, temporum, personarum rationibus pensatis, si aequus est iudex, potiora ab iis non postulabit.

LXXVIII. Hebraeorum vulgum de Deo ac religione rectius quam adversariorum plerique sensisse arbitramur; illis enim haud secus ac cordatissimo cuilibet persuasum erat, nihil mortales absque Dei auxilio proficere, propriae tamen ignaviae atque socordiae nullo modo Deum ipsum insimulandum;

quapropter quod *Iudas montana possederit*, id evenisse quia Deus eidem fuerat opitulatus; quod vero eadem tribus planitiem nequiverit occupare, id non ex Omnipotentis vitio contigisse (uti opponentes impie, stulteque blaterant), sed vel ideo quod in poenam superioris desidiae suppetias Ille denegaverat; seu verius, quod nimis perterriti, nimiumque diffisi, nil contra tremendos illos hostes moliri, nec praesens Dei auxilium adprecari fuerant ausi. – Gedeonem Angelo et Domino credidisse probant altare excitatum, confractum idolum, lucum succisum; probat ipsa signorum petitio, quae Deus ultro largitur, quoties credere occipientibus, ad eorum *incredulitatem iuvandam* (*a*), necessaria aut opportuna sunt: sic Mosi in divinae legationis (*b*), Ezechiae in valetudinis proxime restituendae (*c*) fidem concessa; imo Achazo superbe, quia incredulus, illa respuenti solemne illud Isaias (*d*) obtrusit, quod universae *domui David* rem fere incredibilem at omnium faustissimam portendebat. Cum igitur Gedeon pro certo haberet patriae salutem Numinis ope quamfacillime procurandam, at modestissimus subvereretur ut humillimus ipse tanto operi perficiendo delectus esset, ac subdubitaret, quin eius fides medio in discrimine constans et firma esset futura, ad hanc roborandam, et omnem a se

(*a*) Marc. IX, 23.
(*b*) Ex. IV, 1-9.
(*c*) IV. Reg. XX, 8-11.
(*d*) Is. VII, 11-16.

dubitationem expellendam, bona venia Deum oravit, ut suam voluntatem, dato aliquo et obvio indicio, clarissime manifestaret (*a*); qua in re cum Dei facilitatem, tum Gedeonis ingenuum, candidum, simplicissimum animum demiramur. – Iephthas cum Ammonitarum rege non de religionis veritate, sed de iure occupationis contendebat, nec de victoriae auctore res ipsi erat, sed de victoria ipsa, quae cuicumque demum numini, fato, aut fortunae adscriberetur, iure gentium eosdem effectus praestabat, dummodo iusta de causa bellum fuisset susceptum; verum cum felicem eius exitum Ammonitae haud secus ac Hebraei Deo attribuerent, hac persuasione Iephthas opportune usus est, nequaquam ut Chamoso Iehovam aequipararet, sed ut efficeret quam potestatem in Chamoso ipsi suspiciebant, eamdem et in Hebraeorum Iehova agnoscendam, quippequi huius virtute absolutam de Amorrhaeis victoriam reportaverant; quod autem inanis esset et falsa Ammonitarum persuasio, id Iephtam in praesentiarum nil attinebat; non enim sacro apostolatus, sed civili legationis munere fungebatur, neque ad propriam, sed ad aliorum mentem (*ad hominem* dialectici dicerent) argumentabatur (*b*).

(*a*) Iud. VI, 39.

(*b*) Pone ex. c. catholicum praesulem, Ecclesiae suae iura apud schismaticum principem tuiturum, hisce verbis illum compellantem: « nonne quae *orthodoxa* (nempe haeretici atque schismatici passim » *catholici* et *orthodoxi* amant audiri) tua synodus te moderante de- » creverit, ea contribulibus tuis sancte servanda sunt? Ita ne gra- » veris, quae Romanus Pontifex nobis indixerit, eadem nos religione

LXXIX. Altaria nullibi Deo vero excitata, et sacra a nemine tum peracta fuisse, nisi iis in locis, atque ab iis qui Angeli vel Dei praesentia fuissent honestati, ex libro Iudicum liquido apparet; at enim ideo iuxta Mosis praescriptum ad arcam tantummodo sacrificia erant offerenda, quia ibi consueta Dei sedes, et sacerdotes ordinarii eius ministri; quod si cuipiam se se videndum alibi praebuisset, eo ipso et locum et virum sanctificare videbatur, eique potestatem facere ut ibi sacrificium offerret (quod Gedeoni (*a*) et Manue (*b*) expresse praeceptum); nempe ubi Deus ibi sacrarium; eius visione dignatus, eiusdem ad tempus sacerdos habebatur (*c*): ad tempus, inquam, neque enim aut Levitas in *loco flentium* (*d*), aut Gedeonem (*e*) in Ephra plus vice simplici constat sacrificasse; quodque hic antea (*f*) obtulerat epulum erat, non sacrificium, et altare postea exstructum uti merum monumentum ad historici usque aetatem perdura-

» illa excipere ac venerari ». Numquid propterea aequalem atque legitimam in sacra iurisdictionem Christi Vicario et potentissimo utcumque principi attribuisset? Aut universalem Ecclesiam peculiari cuipiam sectae aequiparasset?

(*a*) Iud. VI, 26-27.

(*b*) Ib. XIII, 16.

(*c*) Hac ratione Deus sui immensitatem rudibus Hebraeis identidem declarabat, et ea tempora praesignificabat, quibus *omni loco eius nomini offerenda erat oblatio munda* (Malach. I, 11), et Christicolae futuri erant *sacerdotium sanctum*, *offerentes Deo spirituales hostias acceptabiles per Iesum Christum* (I. Petr. II, 5).

(*d*) Iud. II. 5.

(*e*) Ib. VI, 27.

(*f*) Ib. 18-20.

bat (*a*), quia saepe hac tantum de causa erigebantur (*b*). Quare tantum abest ut Hebraei omnes hac aetate a Mosaicis institutis desciverint, ut imo plerumque fideliter illa sint exsecuti; sane solemnitates Silunte agebantur ubi arca commorabatur (*c*); et quo tempore contra Beniamitas pugnatum est, victimas quidem Bethelis (*d*) mactarunt, at tunc arca Dei eo fuerat asportata (*e*), et quidem ad tempus (scilicet quamdiu duraturum esset bellum, ut possent commode Deum consulere, ac propitiare), nam immolaturis altare fuerat primo excitandum (*f*); ideo autem Bethelem avecta, quia locus Dei praesentia consecratus, qui semel et iterum Iacobo inibi se manifestaverat (*g*); eadem ratione qua Iosuas omnes Hebraeos prope Sichem, ad *quercum quae erat in sanctuario Domini*, coëgerat (*h*), idem nempe locus ubi Deus Abrahamo Palaestinam primum ingredienti fuerat visus (*i*), et Iacob ex Mesopotamia reversus idola defoderat (*k*), quaeque tum etiam abiicere Iosuas populum hortabatur; at quaecumque esset locorum istorum antiquitas et reverentia, et

(*a*) Iud. VI, 24.
(*b*) Ex. XVII, 15. Ios. XXII, 26.
(*c*) Iud. XX, 18.
(*d*) Ib. 26. בֵּית־אֵל Bethel, quod Vulgatus vertit *domum Dei*, hic nomen est loci, non vero tabernaculi.
(*e*) Ib. V, 27.
(*f*) Ib. XXI, 4.
(*g*) Gen. XXVIII, 11, seq. XXXV, 6-15.
(*h*) Ios. XXIV, 1-26.
(*i*) Gen. XII, 6-7.
(*k*) Ib. XXXV, 4.

coetus coacti solemnitas, nunquam Hebraei, nisi arca praesente, Deo victimas immolaverunt.

LXXX. Quod si Hebraeorum nonnulli, ad Dei cultum quod spectat, interdum a legis praescripto deflexerunt, re ipsa tamen illam aliquatenus confirmarunt: quid enim aliud Gedeonis ephod (*a*), quam solemne illud indumentum quo amictus Pontifex (*b*) Deum consulebat? (quod probat etiamtum hanc unam oracula sciscitandi rationem consuetam probatamque fuisse). Neque in eo parando quidquam ille peccavisset, nisi vano gloriolae incitamento illectus, vel quod verisimillimum, Deum per Sacerdotem consulendi commodiorem opportunitatem affectans, haud advertisset hanc pretiosissimam vestem auro contextam, gemmisque distinctam, a reliqua tabernaculi supellectile distractam, et in privato aliquo sacello sepositam, rudiori popello primum superstitionis, dein idololatriae occasionem praebituram; quamobrem, quod omnis superstitionis purum se atque insontem praestiterat, *mortuus est Gedeon in senectute bona* (*c*); quod imprudens in causa fuerit cur, vix ipso defuncto, a superstitiosa observantia ad idololatriam Hebraei, una cum eius sobole fortasse, praecipites prolaberentur, huius caede multatus est (*d*). — Itaque

(*a*) Iud. VIII, 27.
(*b*) Ex. XXVIII, 6, seq.
(*c*) Iud. VIII, 32.
(*d*) Ib. 27 coll. cum 33-35. Ex quo patet historicum v. 27 per prolepsim (quae, ut supra notavimus, apud hagiographos frequentissima),

Gedeonis exemplo apparet, qua sapientia Moses augustissimis et simplicissimis ritibus tum pietati fovendae, tum superstitioni propulsandae studuerit; quam anceps proinde ac periculosa res esset statutos a Mose fines vel minimum praetergredi, ita ut nemo id unquam tentaverit, quin aut ipse in idololatriam delapsus sit, aut aliis prolabendi occasionem dederit. – Id in Michae sacrilegio luculentius apparet: huius mater, simpulatrix muliercula, a tabernaculi sede paululum remota, quo commodius Iehovae inserviret quem sibi non modo proximum, sed in oculis positum exoptabat, sacellum sibi parare constituerat, quod sanctuarii vicem expleret; itaque statuam conflaverat quae invisibilem Deum humana forsitan specie exhiberet, hanc ephod induerat, et ne deesset oraculum, loco *Urim et Thummim*, *Theraphim* adiunxerat, domesticos nempe

ea praecipere quae inferius fusius exponit; quapropter verba illa: *fornicatusque est omnis Israël post eum* (ephod), non de cultu idololatrico, sed de superstitioso intelligenda sunt (quae vocis זָנָה significatio Lev. xx, 6), licet post Gedeonis obitum ipso ephodo ad Baalis cultum forsan abusi sint (v. 33), insequentia: *et factum est Gedeoni et omni domui eius in ruinam*, directo eius domum, oblique tantum Gedeonem ipsum respiciunt, quatenus nempe parentes in filiis reviviscunt; sic Deus Abrahamo eiusque semini Palaestinam pollicitus nonnisi post cccc annos possidendam, eiusdem progeniem directo spectasse evidens est; postrema demum verba: לְמוֹקֵשׁ *in ruinam*, non modo scandalum, inductionem ad peccandum, sed excidium, perniciem etiam significant (V. Exod. xxiii, 33. Iud. ii, 3), quo sensu in Gedeonem unice quadrant, quippe nullum scandalum passus est, sed generis tantum iacturam tulit; huic vero utraque vocis significatio forsitan haud inconveniens.

genios, homines vultum referentes (*a*), penates, a quibus superstitiosiores omni aetate oracula poscere consueverant; at haec superstitiosa, imo si mavis, idololatrica appendix non obstabat, quominus unum se Iehovam, et quoad eius fieri posset, rite venerari matercula opinaretur; quare cum primum Levitae copia data est, illico proprio filio in sacelli ministerium eum subrogavit; et Danitae qui, ceu coloniae suae palladium illud diripuerant, quo propius Mosis institutis inhaererent, Ionathan eiusdem pronepotem et Sacerdotem loco Levitae inaugurarunt. Sacrilegi itaque Michae domus, et Danitae, Levita et Sacerdotes, quia Dei legem praetergressi visibili specie illum expresserant, eius cultum multiplici superstitione foedaverant, eiusque unitatem disciderant, at non idololatrae, eo nempe sensu, quod a Iehova declinantes vanissima gentium idola coluerint; neque propterea eorum flagitium aut imminuimus, aut excusamus; hoc unum contendimus, peiora non peccavisse, quia neque omnis in Deum fides elanguerat, neque divinae legis oblivio omnium mentibus incesserat.

LXXXI. Id autem ex voto Iephtheo clarius adhuc conficitur; Hebraeorum enim dux non solum humanam hostiam Deo non devovit, quod ex orationis contextu nullatenus colligitur, et Iudicis ingenio eiusque rationibus adversatur, sed id voti nuncupavit et solvit, quod eius perinde atque gentis suae pieta-

(*a*) 1. Reg. xv, 23.

tem luculenter testatur. Et primo quidem non genericum, sed speciale votum suscepit, nam hebraica verba: « quicumque egressus fuerit e foribus » domus meae obviam mihi redeunti in pace a » filiis Ammon (*a*) », quod ad personam, indeterminate, sed speciatim de hominibus intelligenda sunt; praeterquamquod enim animantia victoribus sponte obviam non eunt, hebraicum vocabulum לִקְרַאת *in occursum*, nunquam nisi de hominibus occurrentibus, et singillatim de virginibus sumitur quae psallentes, ovantes victorem excipiunt (*b*), uti re ipsa de Iephthea puella cum tympanis et choreis patri occurrenti usurpatur (*c*); iamvero eum in voti concepti, eiusdemque soluti enarratione eadem locutio occurrit, iuxta exegeseos praecepta, eodem sensu accipienda est. Accedit quod neque probabiliter Iephthas (quae tunc domorum, nobiliorum praesertim, dispositio (*d*)), nedum certo scire poterat eorum aliquid offensurum; neque dignum principe votum concepisset, ubi unam tantum pecudem, neque omnium pretiosissimam vovisset, sed quam primum, forsan vilissimam et immundam, obviam habuisset; e contra hominem devovens, qui primus e domo ipsi occurrisset, ea-

(*a*) וְהָיָה הַיּוֹצֵא אֲשֶׁר יֵצֵא מִדַּלְתֵי בֵיתִי לִקְרָאתִי בְּשׁוּבִי בְשָׁלוֹם מִבְּנֵי עַמּוֹן. Iud. XI, 31.

(*b*) I. Reg. XVIII, 6 coll. cum Exod. XV, 20.

(*c*) Iud. XI, 34.

(*d*) Iahn Archaeologie 1.er B. 1 er Th. S. 195. ff.

rissimum caput votis obligabat, nam intimi et familiarissimi in occursum victoris certatim erant properaturi (*a*). At enim non modo oblatio determinata, sed et definitus oblationis modus, siquidem hebraica enunciatio « erit Domino, et offeram illum » holocaustum (*b*) », coniuncta est, non disiuncta, cum eius membra alia aliis non opponantur, sed posterius ad primum ut species ad genus se se habeat; nimirum omne holocaustum haud dubie Domino offertur; quare coniunctio ו *et* disiunctiva non est, sed copulativa, rectius, declarativa; optime igitur verteres: « erit Domino, *et quidem* in holo- » caustum (*c*) »; alioquin nisi votum simplex fuisset, et hoc absurdum consequeretur, quod Iudex illiberalis et sordidus oblationem excellentissimam

(*a*) Conf. Ioh. xx, 4.

(*b*) Iud. xi, 31. וְהָיָה לַיהוָה וְהַעֲלִיתִיהוּ עוֹלָה

(*c*) Conf. I. Reg. I, 11. Anna de puero nascituro spondet: « dabo » eum Domino omnibus diebus vitae eius, *et* (nempe *propterea*) novacula non ascendet super caput eius ». Pariter Iacob (Gen. xxviii, 20) Domino faustum reditum fortunanti pollicetur: « erit mihi Dominus » in Deum, *et* (*ideoque*) lapis iste . . . . vocabitur Domus Dei, cunctorum*que* (*insuper*), quae dederis mihi, decimas offeram tibi ». Haec *loca parallela* satis ostendunt nullomodo ferendam esse Dereserii * interpretationem utut ingeniosam, qua suffixum in voce הַעֲלִיתִיהוּ praecedentem לַיהוָה non autem paulo superiorem הַיּוֹצֵא spectaret, ita ut vertendum foret offeram *ei* scilicet *Domino*, non vero offeram *eum*, nempe *egredientem*; quamquam enim accusativus aliquando pro dativo ponitur (Ezech. xxi, 32. xxix, 3. Zach. vii, 5), longe tamen alia est ratio horum locorum ac eorum quae modo supra laudavimus.

* Die heilige Schrift übersetzt und erklaert. 2.en Th. 1.er B. S. 202.

secundo loco et conditionaliter tantum vovisset. – Ergo humanam hostiam devovit? – Praepropere concludis: ergo hominem Deo dicavit, ita nos iuxta sanioris hermeneutices leges efficere posse confidimus; hoc enim et ipsa voti solutione declaratur, hoc unum rerum ac personarum rationes suadere videntur. Revera votum, prout fuerat conceptum, religiose solutum expressa miserrimi parentis verba (*a*) declarant; quid igitur praestitit? « fecit ei, » sicut voverat, *et* (*ideoque*) ipsa ignoravit virum », nempe, quoad vixit, virgo Deo devota permansit. En voti concepti et persoluti expositionem.

LXXXII. Huic interpretationi duo tantummodo repugnare videntur; primum, hebraicum vocabulum עֹלָה holocaustum, victimae mactationem semper designare; alterum, sanctimonialium coenobia nullo non tempore Hebraeis ignota fuisse. Quod ad primum, animadvertimus, Veteris Foederis sacrificia mera fuisse symbola quae animantum caede tum poenam hominibus debitam, tum *Agnum immaculatum* omnium crimina expiaturum adumbrabant; hinc fiebat ut re quidem animantia mactarentur, mystice tamen, symbolice homo ipse, cuius in vicem illa sufficiebantur, qui proinde coram Deo vera et principalis erat victima; quamobrem quoties, deficiente fide et scelerum poenitentia, symbolum a re ipsa seiungebatur, toties holocausta et victi-

(*a*) Iud. XI, 35.

mas Deus fastidiebat (*a*); cum vero utraque coniungebantur accepta habebat. Hac ratione, cum aries prodigiose in Isaaci locum successit, non minus tamen vere, licet mystice (iuxta Dei verbum (*b*), qui *non est homo ut mentiatur* (*c*)), Isaac ipse in holocaustum oblatus est; cumque Samuelem Dei famulatui addicerent, « immolaverunt parentes eius » vitulum, et obtulerunt puerum Heli (*d*) »; indeque propterea factum, ut holocausta et sacrificia quaevis saepe mystica hac significatione tum in Veteri, tum in Novo Foedere acciperentur (*e*). Cum igitur haec figurata locutio haud infrequens sit, et in ipsa Iephthei voti solutione declaretur, et in puellam aptissime quadret quae integram atque illibatam toto vitae spatio se se Deo sacraverit, huiusce holocaustum hoc sensu accipiendum esse censemus. – At insolens, inaudita penes Hebraeos huiusmodi consecratio. – Numquid humana hostia frequentior, imo vel semel antea Deo mactata? Nonne abominandum hoc genus sacrificiorum, ut omnium flagitiorum maximum, saepius a Deo exsecratum, et causa praecipua cur Chananaeorum gens esset exterminanda (*f*)? Nonne Deus idem exi-

(*a*) Is. I, 11-13. Ierem. VI, 20. Ps. XLIX, 7-15.

(*b*) Gen. XXII, 2.

(*c*) Num. XXIII, 19.

(*d*) I. Reg. I, 25.

(*e*) Ex V. F. Os. XIV, 3. Ps. XXXIX, 7-9. L, 19. LXIX, 108. Eccli. XXXV, 1-2. Sap. III, 6. Is. XXXIV, 6. Ex. N. Rom. XII, 1. XV, 16. Philip. IV, 18. Heb. XIII, 15-16.

(*f*) Lev. XVIII, 21. XX, 2. Deuter. XII, 31. XVIII, 10.

tium Hebraeis tale quidpiam patraturis fuerat comminatus (*a*)? Liquet propterea quam frustra sint qui ex Lev. xxvii, 28-29 conficiunt, unicuique fas fuisse se suosque anathemati, morti proinde devovere (*b*); nam nullatenus hanc veniam cum mox laudatis Dei decretis conciliabis: mitto, et hoc alterum absurdum consequi, quod quisque ad libidinem aut mortem ultro petere, aut insonti necem inferre impune potuisset. At enim ea isti permiscent, quae apprime discriminantur, נֶדֶר scilicet et חֵרֶם votum et anathema (ἀνάθημα et ἀνάθεμα), consecrationem et exsecrationem; haec enim reos tantummodo spectabat, eosque qui scelestissimo facinore Dei ultionem provocassent; quamobrem non privatorum arbitrio permissa, sed a Deo ipso directe, vel oblique praecepta (*c*), neque unquam nisi contra hostes patriae, aut reipublicae pestes lata est; quod vero hac ratione exsecrabatur in nullius praeter Dei potestatem cedere poterat, proindeque nec amplius redimi, nec alienari (v. 28), imo si homines, morte plectendi (v. 29), non igitur immolandi, eorum siquidem mors supplicium erat, non sacrificium; alioquin Core, Dathan, Abiron, et Achan in holocaustum fuissent offerendi. Pone modo filiam a Iephtha anathemati devotam, pater illam enecasset, non autem in holocaustum vovis-

(*a*) Deuter. xxviii, 58, seq. Lev. xviii, 24-25.

(*b*) Rosenmüller Schol. in h. l. Haevernick Einleit. in das A. T. 1.er Th. 1.e Abth. S. 562.

(*c*) V. p. 156 n. b.

set; at vero holocaustum vovit, *et fecit ei sicut voverat*; ergo anathemati non devovit, sed Deo in perpetuum consecravit.

LXXXIII. Revera iam Mosis aetate obtinuisse, ut quis se aut suos Deo consecraret, tum ex Lev. xxvii, 1-8, tum ex Nazaraeatus lege Num. vi concludimus; quamvis autem et primum illud votum communiter redimi, et alterum ad tempus tantum suscipi consueverat, attamen nil obstabat quominus quis pietatis cultor studiosissimus hos etiam fines speciali voto praetergrederetur; id nimirum Samsonis et Samuelis exempla demonstrant, qui quoad vixerunt, imo nondum editi iamque fuerant a parentibus Deo dicati (*a*). Porro praeterquamquod hac Nazaraeatus lege et ipsae mulieres tenebantur, singulare quoddam ascetriarum sodalitium a Mosis ad Iudicum aetatem, imo et usque ad Christi tempora floruisse, quae peculiari voto pietatis operibus vacarent, et castum vitae institutum sequerentur, ex variis S. Scripturarum locis colligere est: sane ex cap. xxxviii, v. 8 Exodi collato cum 1. Reg. ii, 22 conficitur et numero plures, et conditione spectabiles, et modesto vitae genere fuisse, quippe ex earum speculis (pretiosiori mundi muliebris ornamento)

(*a*) Iud. xiii, 7. 1. Reg. i, 11. Quamdam veluti coenobii speciem nobis exhibent illae prophetarum *scholae*, seu discipulorum coetus, qui pueri prophetarum audiebant, eo quod istos parentum nomine salutarent; a communi hominum commercio secreti, eadem mensa, eodemque tecto fruentes a prophetis identidem invisebantur, et vel ab instituto recedentes, iunctique coniugio, ab illorum tamen tutela non excedebant, quam ipsa vidua Sareptana experta est, iv. Reg. iv, 1.

sponte oblatis *aeneum labrum* conflatum est, ipsaeque dicuntur *excubantes* ad ostium tabernaculi, hebraice הַצֹּבְאֹת *militantes*, quae translata significatio Angelorum agminibus (*a*), astrorum multitudini (*b*), speciatim vero Levitarum ordini (*c*) communis, societatem satis frequentem, et certa quadam lege constantem designat; hanc autem sanctimonialium militiam potius quam externo tabernaculi aut templi ministerio addictam, in piis exercitationibus fuisse occupatam ostendit versio LXX quae illas non iam *militantes* aut *excubantes*, sed *ieiunantes* (*d*), Onkelosi qui orantes, Abenesrae qui orantes et legis verba exaudientes facit; cui interpretationi consentiunt bina Novi Foederis loca, ex quibus illud (*e*) etiam efficere est, castitatis in primis quamstudiosissimas ex instituto fuisse, unde mirum non est si stuprum illis ab Heli filiis illatum (*f*) Hebraeis omnibus adeo exosum et abominabile visum sit. Verum quidem est, quod Lucas et Paulus, in locis modo laudatis, de viduis, non autem de virginibus loquuntur; quia scilicet viduae plerumque erant quae univirae (quippe ad fecunditatem, non ad libidinem nupserant), viro defuncto, se Deo dedere, casteque eidem dumtaxat inservire

(*a*) Ios. v, 14-15. III. Reg. XXII, 19. 2. Paral. XVIII, 18. Ps. CXVIII, 2. conf. Luc. II, 13.

(*b*) Is. XXXIV, 4. XL, 26. XLV, 12. Ierem. XXXIII, 22. Dan. VIII, 10.

(*c*) Num. IV, 23. VIII, 24. I. Reg. II, 22.

(*d*) τῶν νηστευσασῶν, αἳ ἐνήστευσαν.

(*e*) Luc. II, 11. I. Tim. V, 5.

(*f*) I. Reg. II, 22.

constituerant; at quemadmodum semel Deo dicatae non renubebant, ita quae adhuc virgo se devovisset, talis iugiter erat perseveratura; ceterum et iam inde a Mosis temporibus virgines Dei tabernaculo addictas fuisse legimus Lev. xxvii, 4 coll. cum Num. xxxi, 28-40.

LXXXIV. Disiectis igitur quae nostrae interpretationi officere videbantur, restat ut eamdem personarum rationibus apprime convenientem demonstremus: Iephtham, patriam traditionem, legem, disciplinam calluisse constat: etenim tum sermo quem ad regem Ammonitarum habuit, tum ipsius cum puella colloquium carptim ac pene ad verbum ex Pentateucho excerpta sunt (*a*); eius indolem neque rudem, nec truculentam, sed utut fidentem, suique securam, facilem tamen et humanam prodit eiusdem agendi ratio cum Galaaditis qui uti spurium e domo paterna illum expulerant (*b*), quorum tamen partes tutandas generosus ipse suscepit; nec minus religiosum se praestitit, quippe absque solemni Numinis invocatione neque imperium occipere, neque pugnam inire ausus est (*c*). Quis igitur sibi in animum inducat, pium adeo virum ac liberalem tali voto sese obstrinxisse, quod ipsi Ethnici exhorruerunt (*d*)? Cuique religio fuit a voto con-

(*a*) Conf. Iud. xi, 12-29 cum Num. xx-xxii; Iud. xi, 35-36 cum Num. xxx, 3. Deuter. xxiii, 24.

(*b*) Iud. xi, 2.

(*c*) Ib. 11.

(*d*) Cicero de Offic. iii, 25. Curtius lib. iv. c. iii. § 23.

cepto aliquantulum declinare (*a*), eius tamen solutionem ad bimensem distulisse, quod expressa lege vetitum fuerat (*b*)? At si virgo Deo sacrata, quod ad rei summam, votum extemplo solutum est, licet cum sodalibus non iam virginitatem, sed sterilitatem ad duos menses fuerit lamentata; haec enim adeo tunc temporis probrosa videbatur, ut puellae integritatis quamstudiosissimae huius potius iacturam facere, quam fecunditatis spem abiicere paterentur. Haud itaque nimius virginis dolor, imo capite damnata mortem, ut arbitror, incunctanter petiisset; verum in ipso iuventutis flore sterilium probro notata gravissimum duxit infecundam senescere (*c*): quamobrem prudenti consilio, commodum temporis spatium expetiit, ut animum inopino atque acerbissimo casu exagitatum intimiorum consuetudine leniret, reficeret, solaretur; eoque composito, libero, soluto, sese totam Deo addiceret, devoveret. Parentem vero, cum primum filiam unigenam (quam prae aetate forsan et conditione aut domi mansuram, aut saltem non omnium primam prodituram esse sperabat), sibi occurrentem

(*a*) Iud. xi, 35.
(*b*) Deuter. xxiii, 21.
(*c*) Electra apud Sophoclem hanc miseram sui sortem ita querebatur:

ἄτεκνος
τάλαιν' ἀνύμφευτος αἰὲν οἰχνῶ.

sine liberis
infelix, innupta, perpetim obambulo. Electr. v. 165-6.

aspexit, mox ex eius oculis submovendam, proleque frustrandam quam gestienti iam animo ipse praecipiebat, incredibili moerore affectum fuisse facile crediderim; eo vel maxime quod recens triumphus, et Iudicis dignitas graviorem efficiebat liberorum orbitatem. Quodsi patris nataeque dolor et moestissima verba huius consecrationi convenientissima, annuus et festus Israëlitarum virginum conventus, Paschali solemnitate Silunte habitus, ad illam laudibus concelebrandam, nullomodo teterrimo ac lamentabili eius funeri facit; iamvero hanc consuetudinem invaluisse legimus v. 39-40: hebraica enim verba מִיָּמִים יָמִימָה *a diebus ad dies* nunquam nisi de Paschatis festivitate adhibentur (*a*), quae utpote praecipua clarius non erat designanda, et κατ' ἐξοχήν *festum* audiebat (*b*); idipsum confirmant sequentia תֵּלַכְנָה בְּנוֹת יִשְׂרָאֵל *eunt filiae Israël*, quorsum? ubi Paschatis tempus sit, nulla ambiguitas, ad locum nempe in quo arca commorabatur; quare? לְתַנּוֹת ad laudandam (*c*), non ad deflendam puellam, quae postrema significatio nunquam occurrit; אַרְבַּעַת יָמִים בַּשָּׁנָה *per quatuor dies in anno;* at vero cum quot annis semel tantum singuli cuiusque familiae *ascenderent ad templum Domini* (*a*), haud verisimile est aut filias absque parentibus, aut omnes simul una solum ad exstinctae

(*a*) Conf. Ex. III, 10. Iud. XXI, 19. I. Reg. I, 3. II, 19.
(*b*) Iud. XXI. 19. Ioh. V, I.
(*c*) Conf. Iud. V, 11. Prov. XXXI, 31.

puellae laudes celebrandas aliquo convenisse; adde Paschalia festa quae septem diebus peragebantur (quorum primus duntaxat et postremus solemniores erant), sat commodam feriato huic quatriduo opportunitatem praebuisse; quod igitur, hoc tempore et loco, festiva Iephtheae virginis recordatio haberetur, non aliam probabiliorem inveneris causam, nisi quod, vix tabernaculo addicta, hic confestim obtinuit mos ut virgines, quae in singulos annos ad *domum Dei ascendebant*, iustis eam laudibus atque honoribus prosequerentur, ipsa vero defuncta, egregia eius memoria nullatenus obsoleverit. Quae cum ita sint, ex iis quae hactenus disputavimus, iure concludere posse arbitramur, orationis contextum, rerum ac personarum adiuncta virginis consecrationi favere, eiusdem mactationi adversari (*b*).

LXXXV. De cetero, si daremus Hebraeorum ducem Dei mentem pessime interpretatum, Abrahamicum sacrificium instaurare sibi proposuisse, hac spe fretum, fore ut Deus unam offerentis voluntatem acceptam habens victimae mactationem prodigiose, ubi opus, esset prohibiturus; Deum vero inhumanam eius temeritatem puniturum, infelicem voti exitum permisisse; propterea que Hebraeos religioni habuisse irati numinis vindictae obsistere atque adversari; quid, quaeso, esset quod aut

(*a*) 1. Reg. 1, 7.

(*b*) Multa in hanc rem et egregie, pro more suo, disserit Hengstenberg, Beitraege zur Einleitung ins A. Test. 3. B. S. 80-82. 126-148.

Dei sanctitatem dedeceret, aut gentem Hebraicam impietatis argueret? Iephthas quidem ignorantia recti, temeritatis, feritatis etiam condemnandus; at vero cum Deus Iudices suscitabat, divinum iis consilium aut robur haud semper induebat, sed nativam eorum ingenii dexteritatem ad reipublicae commodum, quemadmodum hostium vi atque barbarie ad illius perniciem vicibus utebatur; proindeque verba illa: « factus est ergo super Iephthe » Spiritus Domini (*a*) », quorum similia et de aliis saepe Iudicibus usurpantur (*b*), handquaquam necessario significant superna illos virtute tunc primum indita roboratos fuisse, sed latentem illam expromsisse, quae sive naturalem hominis conditionem excedat, sive eamdem consequatur, non minus propterea a Deo est. Cave insuper ne facultatem ipsam cum eius exercitio confundas, quod, cum illa optima est, pessimum esse poterit; sane quod acerrimo quis et eleganti polleat ingenio, hoc liberale Dei donum est; verum quod ad errores disseminandos, moresque perdendos ingenii aciem scriptor convertat, hic maximus humanae libertatis abusus; eadem igitur ratione, quod Iephthas magnis spiritibus sumtis Galaaditidem peragrans omnes ad arma conclamaverit, quod pio animo ac religioso Deum sibi propitium precibus et votis studuerit promereri, hoc numine dirigente ac moderante factum est;

(*a*) Iud. xi, 29.
(*b*) Ib. iii, 10. vi, 34. xiv, 6, 19. xv, 14. i. Reg. xi, 6.

quod vero nescius aut praeceps votum inprudenter conceptum, barbare exsolvisset, id humanae infirmitatis vitio vertendum foret.

LXXXVI. Haec in Ahodi, Iahelis et Samsonis gesta conveniunt: patriae amorem sincerum, efficacem, generosum huiusce vindicandae propositum, a naturae conditore fuerat ille sortitus; sed ex universali tunc iure gentium, et communi omnium opinione, neque inhonestum, nec turpe reputans mendacium quod alteri damnum, at non iniuste, inferret,

« Dolus an virtus quis in hoste requirat? »

nulla cum praedonibus (qualis turba indigesta cui Eglon imperitabat) iura servanda, quia vana et irrita sunt; interdum expedire ut muneribus deliniantur, at enitendum ut, data opportunitate, vi aut dolo, aperto marte vel insidiis propulsentur, quae undique sibi structae grassatoribus pertimescendae sunt; latronum ducem mendacio circumventum clanculum sica confodit. Nos meliora per Christum edocti factum damnamus; sed aetatis et morum potiusquam Iudicis vitium fuisse, multoque minus in Deum transferendum, aequo cuique ac prudenti rerum aestimatori manifestissimum.

LXXXVII. Quod potiori iure de Iahelis facinore dicendum est: haec enim nec magistratu spectabilis, nec ullo divino munere insignis, perfidae caedis arguta infamiam et probrum una ipsa procul dubio susti-

neret; at enim animo fallendi fidem dedisse quis probet? E regione narrationis textum perlegenti verisimillimum erit, Iahelem extra tentorium ex condicto speculata, cum victorum manipulum celeri gressu adventantem audivit, desperata iam prae nimio sopore Sisarae fuga atque salute, id, e re nata, consilii cepisse, ut fidem duci iam iam morituro incassum servandam abiieeret, et imminentem eius necem propria manu praeeipiens, omnem a se infidelitatis in Hebraeos suspicionem amoveret. Id probabili tantum coniectura nos esse assecutos fatemur; at qui Iahelem criminantur, certiora proferant, alioquin iuxta adagium, *nemo reus nisi probetur*, animum fallendi et nocendi voluntatem ipsi abfuisse merito praesumendum.

LXXXVIII. Samsonis consilium Philisthaeam desponsandi divinitus inditum, perperam adversarii augurantur ex illis verbis: « parentes autem eius ne» sciebant quod res a Domino fieret, et quaereret » occasionem contra Philisthiim (*a*) »; quandoquidem et ea a Domino fieri dicuntur quae non ad eius nutum, sed ipso dumtaxat permittente contingunt, quia eadem Ipso moderante, Eius proposito pariter conducunt; scriptoris itaque mens fuisse videtur significandi Samsonis consilium duplex fuisse, et Philisthaeam in uxorem ducendi, et occasionem captandi, qua, Deo opitulante, patriae hostes exerceret; parentes autem hoc postremum latuisse, quod ubi novissent, rem

(*a*) Iud. XIV, 4.

minus aegre forsan tulissent, at non omnino probassent, quia, ut fert vulgatum effatum Hebraeis perinde atque Christianis probatissimum, « non sunt » facienda mala ut inde proveniant bona »; sane peregrini amores quibus toto vitae suae spatio Samson implicitus est, ut frequentem et commodam Philisthaeis nocendi opportunitatem ipsi praebuerunt, et plurimam eidem molestiam, et ultimum denique exitium intulerunt: quod argumento est, prodigiosam eius virtutem divinum fuisse donum non tam in Samsonis commodum, quam in patriae utilitatem collatum; proindeque externo magis ac visibili consecrationis signo, quam propriae eiusdem honestati alligatum, ut Hebraeis apertissimum foret, eorum salutem a nemine praeterquam ab ipso Deo praestolandam. Cui quidem documento Samsonis ingenium, vires prodigiosae, fides moribus discors, vitae ratio et exitus apprime respondebant; quippe vivam atque spirantem Israëlitarum imaginem ipse referebat, et futura eorum fata praemonstrabat, qui a ceteris gentibus quadam veluti Nazaraeatus lege secreti, prodigiosi legum custodes, quarum nunquam fuerunt observantissimi, ut ille pro patriae salute occubuit, ita ipsi perpetua ac merita obruti calamitate humani generis felicitati, potiusquam propriae incolumitati prospexerunt. Verum, quamquam Samson de pluribus arguendus, quaedam tamen per calumniam ipsi affinguntur: Philisthaeos enim acerrimos hostes divexandi Hebraeorum nemini ius, omnibus deerat animus; Samson igitur unus

ipse dimicaturus, ut belli causam iniurias sibi illatas opportune praetendebat; cum enim singularibus eius ausis, utut stupendis ac prodigiosis, Philisthaeorum audacia esset hebetanda, at eorum dominatus nondum omnino excutiendus, neque patria in libertatem vindicanda, sed in spem eiusdem divina virtute recuperandae adducenda, nisi proprio nomine rem peregisset, in summum periculum atque discrimen Hebraeos vocavisset; quod ut averteret, se ab iisdem vinciri et hostibus tradi sponte et lubens permisit (*a*): quae generositas ac magnanimitas luculenter ostendit, verbo, privatam, sed re ipsa, publicam ultionem in Philisthaeorum suique caede spectasse. Nimirum, qui ipsius vitae institutum, necnon peculiarem eiusdem factorum naturam consideraverit, illi Samsonis mens et Numinis consilium erunt manifestissima: quid enim aptius atque opportunius ad insolentem Philisthaeorum fastum compescendum, ad abiectos Hebraeorum animos erigendos homine non propria, sed divina virtute praestantissimo, qui unus universam hostium multitudinem non solum incredibili pavore concuteret, sed modo ingenii dexteritate ludibrio haberet (*b*); modo vilissimo instrumento integram eorum aciem profligaret (*c*); munimenta quibus fidebant, humeris sublata, eorum pudori, Hebraeorum solatio, in

(*a*) Iud. xv, 10-13.
(*b*) Ib. xiv, 12-15.
(*c*) Ib. xv, 15.

montis cacumine ceu tropaeum in omnium oculis proponeret (*a*); qui denique nullo adversariorum conamine (*b*), sed merita culpa debilitatus, vixdum renascente consecrationis tessera (poenitentia ductus quod hostium insolentiae, patriae abiectae, spretae violataeque numinis maiestatis, impotenti libidine auctor fuisset), quod turpi flagitio perdiderat, hoc expiato in integrum restituturus, pristinum a Deo robur exorat, vel medio ipso Philisthaeorum triumpho, qui oculis capto in Iehovae contemtum et Dagonis honorem certant illudere, exsultantes blasphemos subita templi ruina obruens, hostes proterit, Iehovae decus, patriae salutem instaurat, ac templi ruderibus dignum Nazaraeo tumulum exstruit (*c*), inclytum Iudici mausoleum extollit.

(*a*) Iud. XXI, 1-3.

(*b*) Inepte proinde haud secus ac impie Deus improbatur, quod Samsoni apud Dalilam iocanti prodigiosas vires sufficerit: neque enim adulto identidem illas indebat, sed adhuc puero insevit; quare tunc tantum *Spiritus Domini in eum insiluisse* dicitur, cum vehementiori aliquo affectu concitatus (hoc enim saepe *Spiritus Dei* significat, V. p. 176 n. *b*) illas expromebat, Iud. XIII, 25. XIV. 6. XV, 14; sed divino hoc munere ad arbitrium usus, divinae voluntati quae cuncta moderatur, vel nescius quandoque obsecundabat: sic Dalilam multiplici irritoque experimento decipiens, divinam sui roboris naturam et causam omnibus certam, exploratissimam faciebat.

(*c*) Quantum sibi metueret, ne sacra Nazaraei conditio et publica Iudicis dignitas *incircumcisorum* contumeliis polluta eorum triumpho inservirent, pridem declaraverat (Iud. XV, 18), cum eius rogatu tantum iam imminens malum prodigio Deus averruncavit; neque in praesentiarum Hebraeorum heroi defuit Deus pristinas illi vires restituens, quod satis esset ad illum ab omni inlatae sibi necis crimine absolvendum, siquidem esset purgandus; at quis Graecum ex. c. aut Pede-

LXXXIX. Cum itaque perempta Gedeonis soboles, Samsonis captivitas, excaecatio, interitus, Michae sacelli direptio, Danitarum sacrilegium arcae ablatione pensatum, Beniamitarum strages, lamentata Iephtheae puellae virginitas luculenter ostenderent poenam longius aut propius culpam manere; cum hoc ipsum fuerit in hisce factis describendis historici (de hagiographorum more) consilium, Hebraeos iustitiam et sanctitatem, historia ipsa proposita, edocere; cum ipsi Hebraei suis sceleribus nunquam ignorantiam sed infirmitatem praetenderent, absurde historicus arguitur eo quod verbis non improbaverit, quae re ipsa et omnium opinione damnabantur. Cetero, graviora paucis at significantissimis verbis sub libri finem insectatus est. – Debbora Iahelem inter omnes ae-

montanum * Leonidam patriae caritate mortem fortiter oppetentes non admirabitur? Nunquid si vita certo sponteque periclitari piaculum est, eamdem ultro in probabile discrimen adducere, ut generosioribus quotidie obvenit, ab omni culpa vacabit? At directo mortem appetiit, imo sibi conscivit. – Quid in iis rerum adiunctis tali morte exoptabilius? Verum strenue, non ignaviter expetiit: « equidem moriar, exclamavit, » at cum Philisthiim »; ut hos perimeret, libentissime occubuit, neque tamen violentas sibi intulit manus; quodsi aliorum caedem molitus et propriae auctor fuit, id non quidem praeter opinionem, attamen praeter voluntatem evenit; nec puto multum, imo quidquam interesse inter eum qui ictum lethalem, proprio corpore obiecto, a Principis persona in se derivaret, eumque qui ut sibi carissimum, alioquin moriturum, servaret incolumem, mortiferum venenum ex eius ulcere exsugeret.

* Pietro Micca. V. Storia di Torino del Cav. Luigi Cibrario, Torino 1846, vol. I. p. 478.

quales (*Scenitas* nempe) depraedicandam praenuntiat, nec fallitur, quia audax imbellis feminae facinus omnium in se admirationem rapiebat; hoc poëtria egregie, graphice describit, quia Sisara, ut ipsa pridem (*a*) praedixerat, non ense aut lancea, sed clavo et tudite, non virili atque praevalida, sed infirma muliebri manu erat transfodiendus. Mulierem celebrat, at enim et *stellas de caelo pugnantes* laudaverat (*b*), et maledixerat Meroz (*c*); factum igitur laudat, non autem consilium, minus de Iahelis honestate, quam de patriae salute sollicita. Praeterea, et feritatis esset incusanda, propterea quod Sisarae necem eiusque exercitus cladem vividioribus adeo coloribus depingat (*d*), ut haud secus ac Psaltes, aliique prophetae hostium exterminium aut enarrantes, aut praedicentes, et caede et sanguine delectari et perfrui videatur, cum interim omnes iustissimae divinae ultionis tantum interpretes sint, erga improbos misericordis, sed contra crimina inexorabilis. — Quid vero Paulus? Affirmat Gedeonem, Samsonem et Iephtham *fortes in bello per fidem factos, castra vertisse exterorum* (*e*); nunquid haec non verissima? — At et alia plura subdit, permiscet. — Maxime; verum et plures alios commemorat, neque omnia

(*a*) Iud. IV, 9.
(*b*) Ib. V, 20.
(*c*) Ib. 22.
(*d*) Ib. 25-31.
(*e*) Hebr. XI, 32-39.

singulis, sed alia aliis attribuit, prout scilicet cuique convenientissima sunt. – Ex hisce omnibus, quae fusius forsitan sumus persecuti, patet apertissime, utcumque anceps et varia per id temporis fuerit Hebraeorum conditio, tametsi plures interdum a recto Legis tramite declinaverint; tot nihilominus, tamque praeclara apud optimates et vulgum honestatis et fidei, domesticae et publicae, civilis et bellicae virtutis exempla passim emicuisse, ut mirandum non fuerit si, post breve temporis intervallum, magna incrementa res publica ceperit, et sub Davide ac Salomone florentissima, non modo rerum gestarum gloria, sed artium, quodque potissimum, religionis studio inclaruerit.

CAPUT III.

DE LIBRO RUTH.

ARTICULUS UNICUS

Libri aetas et auctor, fides historica atque divina.

XC. Quemadmodum post saevum et diutinum bellum beatiora sunt otia pacis, et post inertem ac nebulosam hyemem maiori cum voluptate tepido ac sereno vere perfruimur, ita Iudicum librum atrocem praeliis, gravibus et turpibus opimum casibus, ingenuus et simplex excipit libellus, qui domesticis et praeclarissimis omnigenae virtutis exemplis dum legentium animos recreat, iisdem aequiorem de illa aetate sententiam induit, atque ad laetiorem mox sub Saule et Davide Hebraeorum sortem praesentiendam inducit. Apposite igitur inter Iudicum et Regum libros, ceu illorum complementum, et horum prooemium, hic Ruthae libellus, iuxta primaevum Hebraeorum, et constantem Christianorum canonem, interiicitur; dixi iuxta

primaevum Hebraeorum canonem, nam etiamsi seriores, amplitudinis potius aut ritus (*a*), quam temporis ac dignitatis rationem habentes, non amplius הַנְּבִיאִים Prophetis, sed הַכְּתוּבִים Hagiographis illum accenseant, antiquiores tamen Hieronymi (*b*), Origenis (*c*), sed etiam LXX interpretum aetate Iudicum libro attexebant, imo in unum eumdemque compingebant (*d*). Nomen autem sortitus est non ab auctore, sed a nuru moabitide, quae patrios lares ac gentis suae numina deserens, tenerrimo in hebraeam socrum amore, Iehovae patrocinio se se committens, praesens adeo experta est, ut a pientissimo viro liberaliter primum excepta, dein in tori societatem adscita, digna habita sit quae ab Hebraeis Davidis proava, a Christianis Messiae progenitrix salutaretur.

XCI. Quae libri aetas, qui fuerit auctor (*e*),

(*a*) Hebraei Canticum Canticorum, Ruth, Threnos, Ecclesiastem, et Esther vocant חָמֵשׁ מְגִלּוֹת quinque volumina, et modo post Iobum inter hagiographos collocant, modo, prophetis omnibus praemissa, Pentateucho subnectunt, quia solemnioribus festis certae ac definitae Legis pericopae (פָּרָשָׁה) horum librorum lectionem per vices adiungunt.

(*b*) In Prologo galeato.

(*c*) Apud Euseb. Hist. Eccl. lib. VI, cap. 25.

(*d*) Hac ratione et Threnos cum Ieremiae libro componentes, iuxta hebraicarum literarum numerum, viginti duo volumina tantum supputabant. V. Hieron. l. cit. Ioseph. Flav. contra Apion. l. I, § 8.

(*e*) Alii scilicet Heli, alii Nathano, Ezechiae, aut Esdrae attribuunt; nonnulli ex annalibus Regum Iuda et Israëlis desumtum arbitrantur, nullo, nedum probabili, argumento subnixi. V. Gottlobi Carpzovii, Introductio ad libros historicos Bibl. V. T. p. 198.

quodque eius in illo describendo consilium, varia ac diversa est Interpretum sententia; at qui hanc narratiunculam animo attento, atque ab omni partium studio vacuo perlegerit, illi scriptoris mens erit apertissima, neque de eius aetate aut persona subdubitabit. Re enim vera, cum multiplex huiusce scriptionis finis esse potuerit, nimirum ut haberent hic coniuges, socrus, nurus, viduae, patresfamilias, servi et mercenarii illustria quae imitarentur exempla; et discerent omnes qua humanitate pauperes, peregrini, recens ad veram religionem conversi excipiendi sint; insuper omnibus palam esset, honestatis sectatores calamitatibus exerceri ad virtutis experimentum, at serius ocius et hic in terris sua illos praemia manere; Iehovam autem non Hebraeorum modo, sed et omnium gentium curam habere, easque, ubi opus, in illorum vicem suffecturum; tum hoc praecipuum hagiographo propositum fuisse videtur, nimirum efficere, ut omnes altissima Dei consilia, et incredibilem eius potentiam atque liberalitatem demirarentur, qui res desperatas, non modo in integrum restituere, sed easdem potis est, praeter spem atque opinionem, mirum in modum augere, amplificare: scilicet, *qui potens est de lapidibus suscitare filios Abrahae* (*a*), *et infirma mundi eligit ut confundat fortia* (*b*), ille exstinctam Elimelechi sobolem, et Davidici generis stirpem exarescentem

(*a*) Matth. III, 9.
(*b*) I. Cor. I, 27.

alienigenae pietate et fide resuscitavit, gentium electioni praeludens iampridem Abrahamo promissae (*a*), *naturalem oleastrum in bonam olivam insevit* (*b*), Iacobeum vaticinium adimplens (*c*), supremam regiamque auctoritatem in tribum Iuda derivavit. Iamvero nemo non videt, quam apte haec omnia in Samuelis aetatem ac personam conveniant; nempe qui Iudicum gesta persecutus, luculento at tristi maiorum experimento, a morum pravitate et superstitione aequales deterruerat, eius erat praeclaris exemplis, praemiisve propositis, ad pietatem atque virtutem eosdem allicere atque adhortari; qui Saulem, Deo iubente, regno mulctaverat, et in antecessum *minimum filiorum Isai* in regem inunxerat (*d*), ipsius erat ostendere, qua singulari providentia Davidico generi longe ante Deus prospexisset, quamque fallacia sint hominum consilia, qui, cuiusdam illius Noëmi cognati (*e*) imprudentiam imitati, ea parvifaciunt ac respuunt, quae specie tenus exigua et humillima sunt, at Domino moderante maxima fiunt atque clarissima; quod quidem documentum sub Davidici regni exordio peropportunum, seriori aetate aut praeposterum, aut saltem non adeo fuisset tempestivum. Praeterea, nulla sunt interna aut externa indicia, quae sententiae huic nostrae adver-

(*a*) Gen. XVIII, 18.
(*b*) Rom. I, 24.
(*c*) Gen. XLIX, 10.
(*d*) I. Reg. XVI, 13. XVII, 14.
(*e*) Ruth IV, 6.

sentur, multa quae eamdem confirment; et primo quidem ante Esdram ac Nehemiam fuisse Ruthae librum conscriptum vel inde liquet, quod illis coniugia cum Moabitis fuerint exosa (*a*), quae noster haud omnimodo improbavit; minimum vero a Samuelis aetate abludere probant, cum ipsa verba quibus exorditur: *in diebus unius iudicis, quando iudices praeerant* (*b*), iis haud absimillima quae sub finem libri Iudicum passim (*c*) occurrunt: *in diebus illis non erat rex in Israël*; tum sermonis antiquitas atque proprietas, eiusdemque cum Iudicum et Samuelis libris convenientia (*d*); accuratissima denique rerum atque eventuum descriptio, quae cum ex traditione potiusquam ex scriptis monumentis (horum enim nullum in tota narratione vestigium apparet) desumta videatur, aut supparem postulat scriptorem, aut non multum aetate inferiorem. Samueli verisimiliter autem adscribimus, quia ex rerum et ver-

(*a*) Esdr. IX, 1. Nehem. XIII, 1-3. 23. 27.

(*b*) Ruth I, 1.

(*c*) Iud. XVII, 6. XVIII, 1, 31. XXII, 24.

(*d*) Sic ex. g. eadem iurisiurandi formula: *haec faciat mihi Deus, et haec addat*, habetur Ruth I, 17, et I. Reg. III, 9, 17. XIV, 44. XX, 13. XXV, 22. II. Reg. III, 9, 35; locutioni quae Ruth IV, 15 legitur: *multo tibi melior est, quam si septem haberes filios*, gemina occurrit I. Reg. I, 8; פְּלֹנִי אַלְמֹנִי de certo quodam viro (ὁ δεῖνα, *un tale*, voc. ὦ οὗτος, o bone, *o messer tale*, conf. arab. فُلَانٌ, unde hisp. *fulano*) aut loco usurpatur tantum Ruth IV, 1, et I. Reg. XXI, 3. II. Reg. VI, 8; neque alibi quam in hisce libris adeo frequenter offendimus hunc alterum dicendi modum: גָּלָה אֶת־אֹזֶן *revelare aurem*, conf. Ruth IV, 4 cum I. Reg. IX, 15. XX, 2, 12, 13. XXII, 8, 17. II. Reg. VII, 27.

borum nexu haec narratio germana videtur libri Iudicum appendix, quem Samueli auctori sat probabiliter assignavimus; tum etiam propterea quod ante Davidis regnum edita videatur, alioquin recentior scriptor de Davide locutus et regis nomine illum honestasset, neque ab eius laudibus persequendis abstinuisset.

XCII. Quicumque demum fuerit auctor, scribendi modus atque consilium plenam atque integram fidem ipsi conciliant: omnia namque locis, personis, temporibus congrua; huiusmodi sunt prisca morum simplicitas, quum insolens fastus, et superbus pauperum contemtus adhuc erant inauditi, et fraterno ac religioso amore herus et servi, familiares et externi una devinciebantur; iudicia in portis urbium, et coram testibus, uti Patriarcharum temporibus (*a*) habita; conventa calcei traditione firmata, quae consuetudo scriptoris aetate iamdiu obsoleverat; praeterea Noëmi constans et patiens, Ruthae tenerrimus ac generosus, pius Boozi et liberalis animus, mutua horum colloquia tali candore, ingenuitate ac fide a scriptore exhibentur, ut cuivis sincero atque prudenti lectori nullomodo pro ingenio conficta, sed ad veritatem expressa videantur; nimirum nil tale unquam apud Homerum, Herodotum, aliosque vel antiquissimos scriptores reperire (*b*) est, qui priscorum temporum mores, qua maiori potuerunt fide, red-

(*a*) Gen. XXIII, 10.

(*b*) Voltaire, Bible enfin expliquée. Chateaubriand, Génie du Christianisme, 2.e p. liv. 5. § 4.

dere conati sunt; at nimium aetate distantes veritatem perfecte effingere nequiverunt. Sed et scriptoris veritas tum inde apparet, quod alterius Noëmi cognati nomen se nescire aperte fateatur (*a*), hoc enim impostor ad libidinem finxisset, quo narrationem suam faceret credibiliorem; tum ex eo quod Davidis genus illustraturus alienigenae casus describat, quae utut magnanimitate ac fide spectabilis, nihilominus propter incestam Moabitarum originem (*b*), eorumque perpetuas in Hebraeos simultates, iuxta iniquam at vulgarem horum opinionem, egregio nepoti potius dedecori quam gloriae fuisset (*c*); quam perversam suorum sententiam se emendaturum, atque aequales ac posteros narrationi suae assensuros perperam auctor sperasset, nisi omnibus comperta ac testatissima retulisset. – Divinam porro atque canonicam libri auctoritatem, tum admirabilis eiusdem ad ceteros sacros libros convenientia atque responsus, tum sublime ac plane divinum sincerae in Deum pietatis, Christianae dixerim sapientiae ac futurae gentium conversionis documentum, cumprimis autem declarat, praeter hagiographorum (*d*) suffragium qui, Davidis genealogiam contexentes,

(*a*) Ruth IV, 1.

(*b*) Gen. XIX, 31-38.

(*c*) Quambelle historicus talia narrando Hebraeorum auribus serviret, probant Rabbinorum commenta, qui Rutham Eglonis Moabitarum regis filiam, et Balachi proneptim faciunt, ut saltem natalium splendore subturpem eius originis maculam extenuent! V. Sanctius, Proleg. I. in h. l. p. 1.

(*d*) I. Paralip. II, 4 seq. Matth. I, 3-6. Luc. III, 32.

hanc a nostro videntur mutuati, constans Iudaicae atque Christianae Ecclesiae fides, quae illum in sacrorum librorum canonem insertum perpetuo uti divinum habuit ac reverita est.

XCIII. Multiplicem hanc propositionem multimodis adversarii impugnant ac reprehendunt; et, quod ad auctoris aetatem ac personam, varios producunt eius loquendi modos (*a*), quos *chaldaismos* vocant, seriorem propterea aetatem redolentes, aliosque nonnullos huiusce tantum libri proprios (*b*), qui ipsum proinde tum Iudicum, tum librorum Samuelis aut Regum auctoribus abiudicant (*c*); sane serioris aevi scriptorem produnt nominis oblivio proximioris Ruthae cognati (*d*), et obsoleta iamdiu consuetudo calceum exuendi atque tradendi in cessionis firmitatem (*e*). Historicam dein libri fidem elevantes, scriptorem ideo pugnantiae ar-

(*a*) Ruth III, 3, 4. שַׁמְתִּי II, 8. תַּעֲבוּרִי ib. תִּדְבָּקִין II, 9. יִקְצְרוּן I, 20. מָרָא pro מָרָה I, 13. לָהֵן loco לָכֵן I, 4. נָשָׂא אִשָּׁה pro לָקַח אִשָּׁה IV, 7. קַיֵּם דָּבָר pro הֵקִים דָּבָר III, 18. אֵיךְ יִפֹּל דָּבָר coll. cum Esdrae דִּי יִפֶּל־לָךְ

(*b*) I, 13. עָגַן II, 14. צָבַט II, 16. צָבַת ib. שָׁלַל III, 14. בִּטְרוֹם ib. 8. כִּלְפַּת II, 20: מְגֹאֵל notanda vero praesertim frequentatio vocis דָּבַק sequente בְּ vel עִם I, 14. II, 8, 21, 23.

(*c*) Eichhorn, Einleitung in das A. Test. 3. Band. S. 457. De Wette Lehrbuch der hist. kritisch. Einleit. in das A. T. § 194. Benary de Hebraeorum Leviratu p. 29.

(*d*) Ruth IV, 1.

(*e*) Ib. 7.

guunt, quia Elimelechum e tribu Iuda facit Ephrathaeum, seu Ephraimitam (*a*), et modo divitem (*b*), modo pauperem (*c*) Noëmi e patria excedentem inducit; nulla temporum ratione habita CD annorum circiter spatium quatuor tantum generationibus includit (*d*); superioris memoriae aut nescius, aut obliviosus, aliam redemtionis et *leviratus* rationem describit (*e*), quam quae Lev. XXV, 25, et Deuter. XXV, 5, seq. praecepta est; contra luculentum libri Iudicum testimonium, hominibus illius aetatis suavem adeo indolem, mite ingenium, purissimos mores affingit, ut evidens sit haec ad pulcherrimam virtutis imaginem mente conceptam, non autem ad rei veritatem expressa fuisse; sed et ipsa personarum nomina, eventui apprime congruentia, satis ostendunt, ad ipsum declarandum fuisse conficta, idyllium igitur pro historia nobis proponi. Quid, quod sermonem Milesium rectius diceres, amatorium nempe atque lascivum? Noëmi siquidem consilium, et Ruthae agendi ratio lenonia illicia fuere; nec mirum propterea, si illa filiarum cum Moabitis coniugium haud aegro animo tulerit, et utriusque nurus pietatis incuriosa, ipsas avitae superstitioni permissura fuisset, nisi altera Iehovae cultum ideo esset amplexata, ut eamdem ac socrus

(*a*) Ruth I, 1-2.
(*b*) Ib. 21.
(*c*) Ib. IV, 3-6.
(*d*) Ib. 20-22.
(*e*) Ib. 3-6. Ita Bohlen, die Genesis S. 148.

fortunam subiret; concidit itaque divina auctoritas ac dignitas, quae huic libro false adstruitur.

XCIV. Singulis partitim obviam imus. Quos adversarii *chaldaismos* vocant, verius archaismos dicerent, scriptoris aetate adhuc vulgares, qui rusticorum colloquiis scite illos admiscens (*a*), narrando tamen prudens ab iis abstinuit; insuper, vel antiquioribus etiam scriptis communes (*b*), vel recentioribus locutionibus plus distant quam affines sint (*c*); ceterum, et numero pauci, et in aliorum ore positi, atque a purissimo atque integerrimo narrationis colore absimillimi, huius sanitatem et antiquitatem testantur, nedum infirment. Quod vero quaedam voces, aut ulli dicendi modi reperiantur huic libello peculiares ac proprii, nihil quidquam efficit; quot enim vocabula *ἅπαξ λεγόμενα*, quae semel tantum in Bibliis adhibentur? quot esse potuerunt, quae, utut omnium trita sermone, a nemine tamen litteris fuerint consignata? numquid propterea minus usitata atque recepta fuisse apte colligeres? quod igitur unum aut alterum verbum in hoc libro occurrat, in aliis eiusdem etiam auctoris deside-

(*a*) Talis י et ך paragoge Ruth II, 8, 9. III, 3-4. I, 13.

(*b*) Huiusmodi est ה cum א commutatio; quare sicuti Ruth I, 20 מָרָא pro מָרָה; ita Num. XI, 20 legitur זָרָא pro זָרָה; similiter נָשָׂא אִשָּׁה pro לָקַח אִשָּׁה occurrit etiam Iud. XXI, 23.

(*c*) Confer Ruth III, 18 cum I. Esdr. VII, 20, et Ruth IV, 7 cum Esther IX, 21, 27. V. Haevernick, Handbuch der hist. kritisch. Einleit. in das A. Test. 2. Th. 1. Abth. S. 118.

retur, haec dictio prae illa frequentius pro re nata, aut scribentis ingenio iteretur, hoc alterius aetatis aut auctoris palmare argumentum non est, imo si cetera desint, inane atque levissimum.

XCV. Ducentorum ferme annorum spatio et propinquioris Noëmi affinis nomen deletum, et peculiarem cessionis ritum in desuetudinem abiisse haud incredibile est; illius namque agendi ratio illiberalis ac sordida posterorum memoriae ipsum neutiquam commendabat; potius aequissimam numinis providentiam veneramur, ab homine nimium pro sua posteritate sollicito, in alios inofficioso, per quem non steterat, quominus *defuncti vocabulum de familia sua, fratribus ac populo, deleretur* (*a*), hanc iustissimam poenam repetentis, ut mox eius nomen oblivio contereret, interim dum Booz generosus, pauperis *propinqui nomen*, senex licet et dives, libentissime *suscitaturus* (*b*) hoc sibi promeruit, ut proprium traderet immortalitati. Eadem ratione, postquam respublica a populari forma ad regium dominatum deflexit, quamdam morum atque consuetudinum immutationem sensim inolevisse, nisi auctor innueret, iure coniiceremus: neque tamen ex auctoris verbis consequitur, antiquum illum ritum iamdiu obsolevisse (quandoquidem hagiographi, non aequalibus modo, sed etiam posteris consulentes, saepe illa memorant

(*a*) Ruth IV, 10.
(*b*) Ib.

atque declarant, quae coaevis notissima sunt); hoc unum inde conficitur, scriptoris aetate haud amplius usu receptum.

XCVI. Bellissimum est criticorum inventum, quae non intelligunt, haec criminantium! Ephrathaeus igitur, interdum quidem Ephraimitam (*a*), at proprie atque plerumque Bethlehemi incolam significat; etenim Ephrata antiquum erat ac primitivum Bethlehem urbis (*b*), et viciniarum eius (*c*) nomen, quae cum in tribu Iuda sita esset, ut facilius ab eius cognomine in tribu Zabulon posita (*d*) internosceretur, quandoque Bethlehem Iuda, aut Bethlehem Ephrata appellabatur (*e*). – Noëmi *plena* (מְלֵאָה) *egressa est;* verum non opibus affluens, sed coniuncta marito, et laeta sobole aucta, quibus fato peremptis *vacua* (*f*), hoc est viro liberisque orbata reversa est. – Quatuor dumtaxat generationes quadringentorum annorum intervallo explendo satis fuisse, multis argumentis plures Interpretes demonstrare aggressi sunt, contendentes Salmoni et Rahabae, Boozo, Obedo et Isai, quippe piissimis, singulari Dei beneficio vitam et fecunditatem ad centum prope annos fuisse productam (*g*); haec non improbamus,

(*a*) Nempe ex tribu Ephraim, Iud. XII, 5. I. Reg. I, 1. III. Reg. XI, 26.

(*b*) Gen. XXXV, 19. XLVIII, 7.

(*c*) Ruth I, 2. IV, 11. Mich. V, 2. Ps. CXXXI, 6.

(*d*) Ios. XIX, 15.

(*e*) Ruth I, 1. Mich. V, 2.

(*f*) Ruth I, 21.

(*g*) Silentio praeterimus tum antiquam nonnullorum hypothesim, qui tres cognomines Booz commenti sunt, tum recentiorem Houbigantii, qui Nahassoni quemdam Salmam alium a Salmone subiungit,

verum utpote incertis simul et insuetis minime subscribimus; et potior nobis eorum sententia est, qui arbitrantur unum et alterum ex Davidis progenitoribus fuisse ab historico praetermissos: revera qui in Orientalium historia vel leviter versatus sit, novit generationum seriem nequaquam ordine perpetuo semper deduci, sed, memoriae iuvandae, aut insigniorum delectus faciendi causa, saepenumero intercipi, ita ut proavum illico pronepos excipiat (*a*); hoc in genealogia Servatoris per Matthaeum descripta evidens est, hic enim Ioram cum Ozia (*b*) connectit, quamquam inter utrumque Ochozias, Ioas et Amasias interponendi sunt (*c*); eamdem compendiariam stemmatis deducendi multo ante inierat Esdras in maiorum suorum ordine digerendo (*d*); hanc ipsam iam olim nostrum ingressum fuisse, inde etiam probabiliter efficimus, quod a Phineeso Iosuae aequali ad Sadoc usque Davidis coaevum, septem generationes numerantur; e diverso, a Salmone Rahabae viro (*e*) et Phineeso contemporali ad Davidem, tres tantummodo recensentur (*f*);

et Obedum a nescio quo Iachino progenitum, Boozi nepotem facit; haec enim mera sunt ingenii figmenta, omni solido fundamento prorsus destituta. Interim, si vacat, et lubet, haec pluribus refutata reperies apud De Vence, Sainte Bible, 5.e édit. tom. v. p. 152-171.

(*a*) V. Eichhornii Monumenta antiquissima historiae Arabum p. 17. § 18. seq.

(*b*) Matth. I, 8.

(*c*) V. IV. Reg. VIII, 24. XI, 2-21. XII, 21.

(*d*) Confer I. Esdr. VII, 2-3 cum I. Paralip. VI, 7-11.

(*e*) Matth. I, 5.

(*f*) Confer I. Paralip. VI, 4-8 cum Ruth IV, 21-22.

at vero, cum Salmon, Booz et Obed individui sint, Salmon enim Boozum ex Rahaba, iste Obedum ex Rutha suscepit, restat ut inter Obedum et Isai unus et alter ignobilis atque obscurus ex Davidis maioribus interponatur; idque divinae voluntati consentaneum erat, quae altissimo et sapienti consilio decreverat, ut Messias figurate (τυπικῶς), et re ipsa *ascenderet sicut radix de terra sitienti* (*a*). Hac igitur computandi ratione patet, cui demum certo ac definito tempori eventus assignandi sint, quos auctor noster describit; nam, calculo ad consuetam tunc aevi diuturnitatem exacto, Boozi Rahabae filii grandior aetas cum Ahodi propemodum aetate competere videtur.

XCVII. Ut aequitati consuleret, et familiarum decori atque incolumitati provideret, edixerat Moses ut, siquis egestate compulsus patrium agellum alienavisset (*b*) (ne, quoad eius fieri posset, extra cognationem ac tribum avita bona distraherentur), eius redimendi potestas proximiori, quo renuente, ceteris deinceps venditoris propinquis, vicibus, daretur (*c*). Sed enim, cum potior sobolis quam bonorum ratio esset habenda, parumque fuisset ut haec integra servarentur, ubi illa defecisset, altera lege cautum fuerat ut, viro absque liberis defuncto, eius uxor leviro nuberet, qui

(*a*) Is. LIII, 2.

(*b*) Nimirum eius usum et fructum, accepto pretio, alteri ad iubilaeum usque concessisset. V. Levit. XXV, 23-28.

(*c*) Lev. XXV, 25. coll. cum 49.

fratris demortui *semen suscitaret, ne deleretur nomen eius ex Israël* (*a*); verum, ut redemptor, ita et levir nulla vi ad huiusmodi officia praestanda adigebantur, proindeque si detrectassent, impunes abibant; at si de leviro sermo sit, non absque ulla turpitudinis nota (*b*). Haec porro leviratus lex, verbo tenus, defuncti fratrem, at iuxta legislatoris mentem alios quoque affines, obliquo saltem spectabat; quippequibus id per se licitum erat atque honestum, quod illi nonnisi per alterius legis (*c*) derogationem integrum erat: hoc ipsum confirmat hebraicum vocabulum אָח quod non modo fratrem, sed cognatum, consanguineum quemque, imo latiori significatione contribulem, popularem, socium, et alium quemvis, sola generis humani societate coniunctum designat. Quae cum ita sint, ad utramque hanc Mosis legem si exigantur, quae in Ruthae libello, ex communi tunc iuris praescripto gesta referuntur, manifesta erit utrorumque consensio. Noëmi cum nuru pauperrima in patriam remeans, ad incitas redacta Elimelechi viri sui, et Ruthae soceri fundum vendiderat, verum cum afflicta eius conditio opportunum haberet in Mosaicis institutis praesidium, quibus non modo praediorum conservationi per redemptionis legem, sed et generis immortalitati per alteram *leviratus* fuerat consul-

(*a*) Deuter. xxv, 5-6.
(*b*) Ib. 7-10.
(*c*) Lev. xx, 21.

tum, Ruthae suasit ut a piissimo Boozo, quem liberalem ac generosum modo fuerat experta, utrumque beneficium expeteret, quod utpote individuum (*a*), a proximiore altero, quippe pauperrima, incassum speravisset; revera, quaestione de agro primum a Boozo proposita, eum se redempturum annuit ille libentissime; at superaddita conditione Rutham sibi in matrimonium assumendi, utrumque recusavit, caussatus nolle se novae prolis augmento ullam rei familiaris iacturam pati (*b*); quibus verbis palam fecit, non ideo agrum se redempturum fuisse, ut exstincti memoriae consuleret (quod legislatori propositum), sed quia pretio soluto, et culturae expensis subductis, satis adhuc fructi inde erat percepturus (*c*). Iam porro absonum fuisset, ut agro posteritatis causa redimendo ille frueretur, qui eam-

(*a*) Æquum profecto erat ut *defuncti semen suscitaturo*, illius hereditas, pro filio progignendo excolenda atque tutanda, contingeret.

(*b*) Ex quo patet, erroneam esse Hengstenbergii * sententiam contendentis, viduam caelibi dumtaxat leviro nubere debuisse, alioquin neque piissimus Booz tale quidpiam viro iam matrimonio iuncto proposuisset, neque iste, cum optima in promtu esset, infirmam adeo causam recusationi suae praetendisset.

(*c*) Fallitur proinde idem auctor ** asseverans, nefas fuisse propinquo ullum ex agro a se redempto fructum capere atque utilitatem, neque enim alia legislatoris mens fuerat, quam efficere ut bona cognationis, ne ad tempus quidem, alienis divenderentur, utpotequae familiae vicem quodammodo repraesentabant; quare qui illa ab exteris redimebat, studiosius profecto ab ipso excolenda, ille familiae decori ac pauperis commodo prospiciebat, et merito huius גֹּאֵל redemptor salutabatur, quia licet ipsum necessitatibus non eximeret, gravissima

* Beiträge zur Einleit. ins A. Test. 3. B. S. 101. ** Ib.

dem, quantum in se erat, quadantenus praefocabat; verumtamen quia Mahalonis affinis, non autem frater, idcirco neque Ruthae fas fuit in eius faciem conspuere, illumve exuere calceo (*a*), quem ipse sibi detraxit et Boozo porrexit, idque non ad legis amussim, sed ex more recepto, ut cessio firma ac rata haberetur (*b*); nec mirum proinde, si nunquam in toto hoc capite occurrat vocabulum יָבָם *levir*, vel יִבֵּם *levirum egit*, fratris videlicet demortui uxorem duxit; haec enim leviri quidem, at non affinis propria sunt, licet eodem ac ille officio defungatur; neque pariter obstat, quod Booz primogenitum quem ex Rutha sustulit, non defuncti Mahalonis nomine, sed Obedum vocaverit; apud Hebraeos enim, quemadmodum et apud Graecos (*c*),

tamen calamitate liberabat. Eadem ratione, si quis inopiae causa se se advenae vendidisset, cum turpe videretur Hebraeum exteris famulari, unaque esset pertimescendum, ne durius ab iis haberetur, cuilibet ex eius affinibus integrum erat eumdem in libertatem asserere (Lev. xxv, 47-49); at neque vetitum cognato, qui pecuniam propterea exsolvisset, redempti opera atque industria tamdiu humanissime (ib. v. 39-40) uti, quamdiu eamdem externo fuisset ille locaturus.

(*a*) Deuter. xxv, 9.

(*b*) Ruth iv, 7. Hanc consuetudinem illustrat locus ps. lix, 10: *in Idumaeam extendam calceamentum meum*; nam quemadmodum quae manu prehendimus, ita quae pedibus terimus atque calcamus, ea in nostra potestate esse videntur; quare etiam nunc Abyssiniae rex aliquid occupaturus, super id calceum proiicere consuevit (V. Castellii Lexicon Heptaglotton col. 2342); itaque calcei olim, uti media quam vocant aetate, *chirothecae* traditio translati dominii symbolum erat haud ineptum.

(*c*) V. Perizonii Dissertatio: *Illustratur constitutio divina de ducenda defuncti fratris uxore*, quae prima est vii eiusdem dissertationum quae anno 1740 Lugduni Batavorum prodierunt.

filii adoptivi etiam patris naturalis filii censebantur, neque *nominis suscitatio* (*a*) in eo sita erat, ut adoptivus idem quod defunctus nomen inveniret, sed (quod iam olim ab Augustino (*b*) animadversum), ut eius filius haberetur.

XCVIII. Quibus haec castissima domesticae virtutis exempla incredibilia sunt, edisserant nobis quî factum sit, ut rudes Hebraei egregiam adeo virtutis imaginem et mente conciperent, et ad vivum exprimerent, quam excultissimi tum cuiusque gentis scriptores vix adumbrarunt? Quare ipsa virtutis descriptio adeo modesta sit, simplex, candidissima, ut primo lectores in admirationem rapiat, dein rei veritatis persuasionem vel renitentibus induat? Haec profecto veritatis indicia sunt, quam praesentem ingenuus quisque, invisam aut inauditam neque ingeniosissimus repraesentabit; quapropter elegantissimi antiquitatis scriptores pulcherrimae virtutis formam ne ruditer quidem delineassent, nisi primigeniae integritatis memoria, temporum licet, hominumque iniuria deturpata ad eos usque pervenisset. Videant igitur Rationalistae quam inepte faciant, dum narrationi denegant fidem, idyllii tamen pulcritudinem admirantur; nam *nisi Deus intersit*, non modo re ipsa virtus exsulabit, sed et nativa eius species evanescet: atque hoc ipsum decretorium argumentum est, quo omnes id genus hypotheses falsitatis

(*a*) Deuter. xxv, 7.
(*b*) Quaest. ad Deuter. in c. xxv.

redarguantur; cum enim sublimia atque purissima scita, sanctissima morum exempla in sacris Hebraeorum voluminibus passim occurrant, ceteris illius aetatis hominibus aut incomperta, aut insueta, nunquam talia rudiores illi excogitare, multoque minus exsequi potuissent, nisi caelesti lumine fuissent edocti, aut superna virtute roborati; quamobrem scelera quibus saepe nimium se obstrinxerunt, nativam eorum indolem produnt, rectissima quibus interdum inclaruerunt facinora numinis virtutem atque efficaciam testantur, hebraicae reipublicae nullo non tempore praesentissimam. Etenim, si frequentiores vitiorum quam virtutis sectatores offendimus, praeterquamquod haec naturalis humanae infirmitatis conditio est, illud etiam animadvertendum hagiographos (neque modo sacri oratores aliter faciunt), potius habuisse in scelestos invehere atque insectari, quam piorum laudes concelebrare; neque iisdem propositum fuisse integram atque absolutam suorum temporum historiam describere, sed, luctuosis flagitiorum eventibus enarratis, ab iis admittendis aequales ac posteros deterrere; at enim operam lusissent, ubi nullus fuisset flos populi delibatus qui praeclara honestatis atque iustitiae exempla poneret, quae ceteri imitarentur, quaeque vel iniquissimis temporibus praefulserunt; sane ipsa, qua de agimus, Iudicum aetate, praeter exempla superius producta, quis praeclarissimum ac singulare religionis, fidei, sanctitatis documentum in Elcana et Anna, et portentoso eo-

rumdem puerulo Samuele (*a*) non admirabitur? Quis nescit, miserrima atque calamitosa tempestate, cum sub nefaria Iezabele sacra et profana omnia essent perturbata, Israëlitarum plerisque in idololatriam prolapsis, nihilominus *septem millia virorum* inventa fuisse, *quorum genua non sunt incurvata ante Baal* (*b*)? Sed ne plura, nonne frequenti ad mentis sanitatem reditu, alterna morum in melius commutatione, perpetua erroris ac resipiscentiae vice, tota ferme Hebraeorum historia continetur? Nisi mavis hanc ipsam ad Christum usque, poëmatis loco habere, propterea quod Simeonis et Annae, Elisabeth atque Iohannis indoles, mores, vitae ratio nimium quantum abludant a corruptissima illa aetate, qualem atris coloribus verissime tamen describit Iosephus (*c*); imo et omnem prorsus fidem mediae quam vocant aetatis chronographis denegare, quippequi mediis eorum annalibus iurgiis et caedibus, stupris atque flagitiis refertis suavissima feminei pudoris, virilis integritatis, sacerdotalis continentiae ac pietatis exempla identidem interponant, a barbaris atque efferatis, perditis ac dissolutis ferreae illius aetatis moribus quam absimillima (*d*)!

(*a*) I. Reg. I.

(*b*) III. Reg. XIX, 18.

(*c*) De Bello Iudaico lib. VI. cc. 11. 16. ed. Havercamp. tom. II. p. 389.

(*d*) Nimirum quemadmodum saepe fit, ut montium cacumina nive obsita rigeant, intereaque eorum radices laetis undique floribus circumvestiantur, quibus glacies solis calore liquata, ac per tepidiores

XCIX. Neque dicas hagiographum haud dedecere fabula perinde atque historia ad mores informandos abuti; dedecet enim scriptorem gravem atque sincerum ficta pro veris legentibus obtrudere, absonum dein omnibus fucum fieri; sed enim auctor temporis notatione (*a*) narrationem exorsus, eamdemque proxima genealogia (*b*) concludens, aperte se historicum profitetur; narratio autem talis est, ut non solum verisimilis sit, sed et morosioribus (*c*) vera videatur; licet enim eius argumentum materiam felicem in carmina praebuisset, nihil in ea tamen artificiosi aut quod poësim sapiat, reperimus. De reliquo, si omnis narratio, in qua res turbulentae in laetum exitum convertantur, comoedia, si contrario laetae tristem sortiantur exitum tragoedia dicenda est, iam de qualibet, praesertim vero Hebraeorum, historia actum erit; quandoquidem si cetera generali, eorum res speciali Numinis providentia regebantur.

C. Mirum profecto quam frivolum sit argumentum ex nominum significatione desumptum; certe

terrae meatus transmissa opportunum praebet humorem; ita, foedissima vitiorum lue longe lateque grassante, non modo ulli valentes et integri, nullo non tempore, Numine opitulante, supersunt, sed pessimis aequalium exemplis interdum adeo inhorrescunt, ut maiores inde spiritus capiant ad summum virtutis apicem assequendum.

(*a*) Ruth I, 1.

(*b*) Ib. IV, 17-22.

(*c*) De Wette, Einleit. § 193.

Noëmi (*a*), Ruth (*b*), Booz (*c*), Elimelech (*d*), Orpha (*e*) personae primarum partium iis nominibus donantur, quae pluribus communia esse potuerunt; si Mahalonis igitur (*f*), et Chelionis (*g*) propria in immaturum eorum exitum convenientiora, id vel fortuito evenit, vel quia infirma, adhuc pueri, valetudine conflictati appositum nomen invenerunt. Verum convenientissima fuerint, qualia profecto Saulis (*h*), Davidis (*i*), Salomonis (*k*), numquid eventus propterea ad nominum significationem conficti aut accommodati? Minime gentium; rectius conficeres vel numine afflante nomina imposita, vel scriptorem per prolepsin ea usurpasse antequam illos eventus describeret, quorum occasione excogitata sunt; frequens siquidem apud Hebraeos pro variis vitae rationibus aut vicissitudinibus nominis permutatio, sic Abram Abraham (*l*), Iacob Israël (*m*),

(*a*) נָעֳמִי (suavitas mea).

(*b*) רוּת contr. ex רְאוּת species (speciosa), vel pro רְעוּת (amica).

(*c*) בֹּעַז (alacritas).

(*d*) אֱלִימֶלֶךְ (cui Deus est rex).

(*e*) עָרְפָּה (iuba, antiae), vel per metathesim idem ac עָפְרָה (cerva).

(*f*) מַחְלוֹן (aegrotus).

(*g*) כִּלְיוֹן (confectio).

(*h*) שָׁאוּל (postulatus).

(*i*) דָּוִיד (dilectus).

(*k*) שְׁלֹמֹה (pacificus).

(*l*) Gen. XVII, 6.

(*m*) Ib. XXXII, 28.

Gedeon Ierobaal (*a*) dictus est, ipsaque Noëmi Mara (*b*) iam erat salutanda, nisi Deus meliora dedisset.

CI. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* (*c*), haec Christi verba aptissime in eos cadunt, quibus prudens socrus propositum ab ingenua nuru fideliter exsecutum, nescio quid turpiculi subolet. Enimvero, nulla ne pudica lenocinia sunt? numquid vetitum puellae, aut viduae nuptiarum cupidae, munditiae illecebris, eleganti at modesto corporis cultu nativae pulcritudini ac venustati gratiam et decorem adiicere? licuit profecto Ruthae pauperrimae, cui praeter virtutem et formam nihil reliquum fuerat, honestis hisce blandimentis severum senis animum ad pietatis officium allicere, excitare; pietatis, inquam, officium, tale siquidem agri redemptio atque connubium, quod a propinquo non libidinis ergo, sed ad legis amussim erat exoratura; pium idcirco et castum Ruthae consilium externum et senem, sed affinem, iuvenibus conterraneis anteponendi meritis Boozus laudibus extulit: neque vir continentissimus eam audaciae aut procacitatis incusavit, utpotequae honesta honeste petierat, nullis delenimentis cognatum pellexerat, sed ex more in hac specie recepto, tacita ad eius pedes modeste procubuerat,

(*a*) Iud. VI, 32.

(*b*) מָרָא amara Ruth I, 20.

(*c*) Matth. VI, 22.

ab expergefacto edocenda quid adhuc sibi foret praestandum, ut agri venditio, et matrimonium rite contraherentur; hanc sane Noëmi et Ruthae mentem fuisse, tum ex illius (*a*) verbis, tum ex Boozi responso (*b*) manifeste colligitur. Cetero si Ruthae agendi modus in pristina illa temporum simplicitate, speciatim vero ea personarum indole atque conditione, nec anceps erat, nec lubricus; moribus in praesentiarum adeo immutatis, nullatenus esset ferendus, nedum probandus: at quot sunt quae infantibus aut pueris secure indulgemus, adolescentibus aut iuvenibus caute interdicimus?

CII. Ex Mosaicae legis praescripto non modo Hebraeorum cum Chananaeis connubia, sed et universim cum aliis quibuslibet alienigenis obliquo saltem fuisse improbata, falli propterea qui Philisthaeas, Moabitides, ceterasque aliarum gentium excipiunt, cum ex libro Iudicum apparet, ubi Samsonis Philisthaeam desponsandi consilium piis illius parentibus minime arrisit (*c*), et Hebraeis animi pendentibus unde reliquis Beniamitarum uxores deducerent (*d*), ne quidem in mentem venit finitimas arcessere; tum confirmatur ex libro III. Regum (*e*), ubi Salomon arguitur quod alienigenas, contra Domini praeceptum, matrimonio sibi copulaverit, licet

(*a*) Ruth III, 4.
(*b*) Ib. 10-14 coll. cum IV, 4-10.
(*c*) Iud. XIV, 4.
(*d*) Ib. XXI, 6-8. 16-18.
(*e*) XI, 1-2.

aliunde quam ex Chananaea regione pleraeque inibi memoratae essent oriundae; ex quo conficitur, Mosem (*a*) speciatim huiusce incolas exclusisse, quippe Hebraei cum iis praesertim erant congressuri; at generatim prohibuisse, ne Israëlitae cum exteris sanguinem et genus miscerent. Verum non omnia cum alienis coniugia vetita erant, sed ea tantummodo, quae parem uxorem cum marito facerent, eiusdemque iuris participem, quaeque mutuum utriusque populi foedus consequerentur, aut ad illud feriendum adducerent (*b*); hanc nempe Mosaici interdicti rationem fuisse, patet ex inferius afferendis Exodi et Deuteronomii locis, ubi primum foedera (*c*), dein matrimonia (*d*) interdicuntur; haec enim illa, mox utraque, ceu naturalis exitus, idololatria consecuta fuisset; omni igitur foederis aut apostasiae periculo semoto, haudquaquam nefas erat alienigenam ducere uxorem: hanc sane potestatem Hebraeis fecerat Moses (*e*), ut si forte captivam, undelibet oriundam, quis adamasset, dato eidem mensis spatio patriae domui, diisque (*f*) propterea renuntiandi, eo transacto, matrimonio sibi iungeret, quippe uxor potius quam materfa-

(*a*) Ex. XXXIV, 11-16. Deuter. VII, 1-4.

(*b*) Qualia se contracturos Iacobi filii Sichemitis simulate spoponderant, Gen. XXXIV, 13-16.

(*c*) Ex. XXXIV, 15. Deuter. VII, 2.

(*d*) Ex. XXXIV, 16. Deuter. VII, 3.

(*e*) Ib. XXI, 10-14.

(*f*) Nam vel ipsis advenis ac peregrinis, quoad penes Hebraeos commorabantur, nefas erat falsa deorum numina colere.

milias, ancillae loco habita ad heri nutum absque libello repudii dimittenda (*a*), nullum soboli aut marito ab antiqua religione et fide desciscendi periculum creabat (*b*). Atqui ad rem nostram haec faciunt apprime: etenim Noëmi ad plures annos in Moabitarum regione, maiori vi, deversata, filiorumque natu grandiorum integritati, tempestivo coniugio consultura neutiquam vetitum duxit alienigenarum virginum delectum facere, quae, versa in melius Hebraeorum fortuna, prono ac libentissimo animo in patriam virorum sedem ac religionem forent concessurae; et tales revera selegit, quae ipsi Palaestinam repetenti ultro se se comites adiunxerunt; quodsi nuruum altera diuturniorem viduitatem verita remeavit, viro adhuc superstite, certe eius conditionem alacri animo fuisset sortita. – Praeterea, numquid exploratum, mortuo parente,

(*a*) Deuter. XXI, 14.

(*b*) Expressa quidem lege Moabitae ab *Ecclesia Dei* prohibebantur (Deuter. XXIII, 3.); at vero vox hebraica קָהָל, quemadmodum et graeca ἐκκλησία, qua utitur Vulgatus, concionem, coetum, conventum generatim significat, et de ipsa gentium congregatione usurpatur (Gen. XXVIII, 3. XXXV, 11. XLVIII, 4.); cautum igitur ne Hebraei in politicam societatem Moabitas cooptarent; at neutiquam vetitum horum ullos hospitio sibi ac religione coniungere; sane advenae et peregrini indiscriminatim tecto ac mensa excepti non solum a sacris non arcebantur, sed initiari volentes iisdem atque Hebraei tenebantur legibus (Ex. XII, 48. Lev. XXII, 18. Num. IX, 14.). Quamobrem cum coniugiale ac politicum foedus plurimum distent, longeque aliud sit externum civitate donare, atque alienam facere contubernalem, potuisset Hebraeorum quis Moabitidem in fidei atque coniugii societatem adsciscere, quin Mosis instituta perfringeret.

Mahalon et Chelion matris hortatu, non suamet sponte Moabitas in matrimonium sibi petiisse? numquid incredibile, ubi uno improvido fervidae aetatis impetu id fecerint, ideo immaturo fato fuisse praereptos?

CIII. Sed et inique socrui vitio vertitur, quod patriae superstitioni, quantum quidem in se fuit, nurum utramque permiserit; videtur enim potius laudanda, quod mature utriusque animum pertentaverit, si forte gravissima, quibus obviam ibant, incommoda forti ac generoso animo essent toleraturae, alioquin satius fuisset illas domi manere securas, quam demigrantes, aerumnis tentatas recentem fidem, aut, malesuada fame, pudorem exuere. Illud etiam animadvertas velim, cum primum Noëmi nurus suas missas fecit, nullatenus ad patrios deos, sed ad maternam eorum domum illas ablegasse (*a*); insistentibus inopiae dumtaxat, et orbitatis metum obiecisse (*b*); Orpha tum discedente, Ruthae animum suprema hac quaestione exploravisse, num scilicet firmo atque constanti proposito parata non modo caros invisendi, et probabilem spem nuptiarum abiicere, sed avitae superstitioni in perpetuum valedicere. Quapropter Noëmi verba: *en reversa est cognata tua ad populum suum, et ad deos suos, vade cum ea*, non adhortantis aut permittentis, sed inquirentis sunt; eadem nempe ratione Christus,

(*a*) Ruth I, 8-9.
(*b*) Ib. 13-14.

multis ex eius discipulis ab ipso deficientibus, et Apostolis abeundi facultatem facere visus est, inquiens: *numquid et vos vultis abire* (*a*)? Elias Hebraeis optionem dare, utrum Deo an idolis vellent inservire (*b*). Utramque porro, nurum et socrum (*c*) recte de Deo sensisse, ex ipsa Ruthae responsione apertissimum est: *populus tuus populus meus, et Deus tuus Deus meus* (*d*); ratum igitur habebat, non plures Deos, sed unum dumtaxat sibi fore colendum, idque sponte se atque studiose praestituram pollicebatur; neque profecto absque ulla in Deum fide libens et ultro gravi adeo se discrimini commisisset; merito igitur Booz hac eam laude honestavit, quod fidenter atque secure *sub Domini Dei Israël alas confugisset* (*e*), atque pia patris vestigia ingressus, qui Rahabam Hierichuntinam duxerat uxorem, hanc alteram ipse neophytam de propria cognatione (ut olim illa de Hebraeorum republica), optime meritam, sibique affinem in matrimonium assumsit.

CIV. Quod reliquum est, pone Rutham maiori in socrum quam in Deum pietate id consilii iniisse,

(*a*) Ioh. VI, 68.

(*b*) III. Reg. XVIII, 21.

(*c*) Haec nimirum Dei unitatem et animarum immortalitatem semel et iterum (I, 8. II, 20.) palam et aperte professa est.

(*d*) Ruth I, 16. Hebraice quidem est וֵאלֹהַיִךְ אֱלֹהָי et Dii tui, Dii mei, sed pluralem hic haberi *maiestatis*, uti vocant grammatici, patet ex verbis insequentibus, quibus Rutha nomen Iehovae usurpat: *haec faciat mihi Dominus* (יְהֹוָה) *et haec addat.*

(*e*) II, 12.

ut Hebraeorum religionem amplexaretur, fac utramque nonnihil rudem atque futuri improvidam fuisse, « ubi plura nitent, non ego paucis offendar ma» culis », neque illas historicus inculpatas et irreprehensibiles facit, imo, rem simpliciter exponens, ne suum quidem iudicium interponit: nec demum repugnat quod clementissimus Deus, liberalem atque magnanimam nurus voluntatem remuneraturus, pio eiusdem in socrum affectu usus sit, ut illam ad apertam atque solemnem verae fidei professionem adduceret; utriusque autem candorem atque ingenuitatem aequi bonique faciens, ita rerum eventus moderatus sit, ut quod minus caute fortassis prudenterque consultum, bene tamen feliciterque verteret. Stat igitur historiae fides, nec divina corruit narrantis auctoritas.

CAPUT IV.

DE DUOBUS PRIORIBUS REGUM LIBRIS

ARTICULUS I.

Nomen, aetas et auctor.

CV. Quos LXX *πρώτην, δευτέραν Βασιλειῶν*, unum et alterum *Regnorum*, Vulgatus *Regum* libros dixerunt, antiquiores Hebraei (*a*) unum Samuelis שְׁמוּאֵל librum vocabant (*b*), et quidem apposite; quamquam enim neque a Samuele ex toto con-

(*a*) Recentiores post Bombergium, pristino libri nomine retento, invectam ab Alexandrinis divisionem secuti, bifariam illum partiuntur.

(*b*) Talmudistae, Baba Bathra fol. 14. b. שְׁמוּאֵל כָּתַב סִפְרוֹ *Samuel scripsit librum suum.* Origenes apud Euseb. Hist. Eccl. lib. VI. c. 25. Βασιλειῶν πρώτη, δευτέρα, παρ' αὐτοῖς ἓν Σαμουήλ. Montfaucon. Hexapl. ad 1. Reg c. XXXI, 13. Τέλος σὺν Θεῷ τῆς πρώτης τῶν Βασιλειῶν. Ὁ δὲ Ἀκύλας Ἑβραίοις ἑπόμενος, οὐ διεῖλε, ἀλλὰ μίαν τὰς δύο πεποίηκε. Conf. Hieronym. Prolog. galeat. Cyrill. Hierosol. Catech. lib. IV. p. 69. ed. Toultei. Athanas opp. ed. Bened. tom. I. p. 961. Auctor Synops. ib. tom. II. p. 126. Eadem ratione veteribus Hebraeis unus מְלָכִים Regum liber audiebat, quem postea LXX et Vulgatus tertium et quartum Regnorum aut Regum librum nominarunt.

scriptus, neque eius dumtaxat historiam persequatur; attamen cum id moris in Scriptura non sit librum a gemina persona denominare, convenientius illius quam alterius nomine donatus fuisse videtur, tum quia magnam partem ab eodem exaratus, aut ex eiusdem commentariis excerptus, tum quia ea complectitur quae ad illum aut directo respiciunt, aut obliquo saltem referuntur; quandoquidem sub eius iudicatu atque ab iis gesta sunt, quos ipse vicaria Dei potestate, eiusque mandatu reges consecraverat (*a*). Nimirum, cum Θεοκρατία (Dei imperium), quae a Mose ad Samuelem perduraverat non illico et abrupte, Saule rege salutato, sed sensim ac pedetentim, neque ante Salomonis aetatem omnino defecerit, a quo prima hereditariae monarchiae exordia penes Hebraeos repetenda sunt, Saulis et Davidis principatus aptius cum Samuelis praefectura, quam cum insequentium regum serie aut regnorum vicissitudinibus coniungitur (*b*). Quamobrem nequeo Iahnio (*c*), atque Herbstio (*d*) assentiri contendentibus quatuor, quos modo iuxta LXX partimur Regum libros, unum primitus volumen hoc ipso titulo inscriptum composuisse, idque ex eo

(*a*) V. Abarbanel Comment. in lib. Samuelis f. 74. col. 1 et 2.

(*b*) En commodam atque obviam integri iam libri nunc bipartiti divisionem: Samuelis natales, pueritia, imperatoria potestas I. Reg. I-XII; eiusdem perpetuum prophetae et iudicis munus, necnon gesta Saulis regnum adepti, et praeclara Davidis regis designati facinora, ib. XIII-XXXI; rerum a rege Davide gestarum memoria II. Reg. I-XXIV.

(*c*) Einleit. § 46.

(*d*) Einleit. § 37.

colligentibus, quod Alexandrini nimis fuerint superstitiosi quam ut libros re et nomine distinctos, eodem, praetereaque novo, vocabulo designarent; at enim cum librum quem, ut ponitur, singularem a maioribus acceperant, omnibus fatentibus, ad arbitrium quadripartito diviserint, quare et novum procudere nomen religio ipsis fuisset? Ceterum nil vetat, quominus qui proprio Samuelis et Regum nomine distinguebantur, communi Regum aut Regnorum insuper appellarentur; necdum fortassis illa tempestate obtinuerat mos, ut Hebraeorum voluminibus propria singulorum nomina praescriberentur. E contrario haud ita facile crediderim Palaestinenses, eo ipso temporis intervallo, quo sacris eorum libris conservandis religiosissime studuerunt (quale profecto illud fuit quod ab Alexandrinorum versione ad Iosephi aetatem elapsum est), aliquid contra avitam traditionem innovare ausos fuisse; hanc autem tutius est ex Iosephi (*a*) Talmudistarum, Origenis, Hieronymi testimoniis (*b*) haurire, quam ex mero titulo a Iudaeis *Hellenistis* adhibito augurari. Iamvero haec Hebraeorum traditio, uti ex locis modo laudatis aperte conficitur, quemadmodum unum olim Samuelis, et unum Regum librum agnovit, ita, singularem aut duplicem, alterum tamen ab altero nullo non tempore discrevit.

(*a*) Hic contr. Apion. lib. 1, § 8 a Mosis obitu ad Artaxersem tredecim historicos prophetarum memorat libros, falso tamen supputasset, nisi Samuelis a Regum libris distinxisset.

(*b*) V. p. 214. not. (*b*).

CVI. Huic Hebraeorum persuasioni, cetero credibili, fidem faciunt interna librorum indicia, quae sat probabiliter ostendunt, aliam Samuelis, aliam Regum libris aetatem, aliumque auctorem esse assignandum. Sane Samuelis librum (ita nempe compendii, veritatis et perspicuitatis causa duos Regum priores nominamus) ea mente ab auctore fuisse compositum, ut unum inde atque absolutum opus existeret, ex eo manifestum est, quod narrationem suam ad suprema Davidis deducens, *novissima* eius *verba* describat (*a*), a qua profecto dictione abstinuisset, qui mox, uno aut altero capite interiecto, postremum illius cum Salomone colloquium (*b*) foret enarraturus; praeterea ipse chronologiae incuriosum, librorum Regum auctor eiusdem admodum studiosum se praebet; iste quae longiori temporis intervallo contigerunt carptim breviterque perstringens, lectores ad uberiores delegat fontes; ille brevioribus temporis finibus narrationem circumscribens, latius tamen eamdem explicat, et si quando nonnulla praetermittit, utpote proxima atque notissima, nunquam legentibus alia historicae eruditionis promtuaria indicat aut pandit. Nec refert quod ille iis interdum alludens, quae in libro Samuelis descripta sunt, praeter sibi consuetum citandi morem tacitus id faciat, perinde ac si non aliena proferret, sed sua; eo ipso enim quod librum suum cum prae-

(*a*) II. Reg. XXIII, 1, seqq.
(*b*) III. Reg. II.

cedenti historia velut eiusdem complementum contexuit, postremum lecturos prior ille non potuisset latere; curiosiores idcirco ad eos dumtaxat fontes remisit, quos sciebat non omnibus obvios atque vulgatos. Quemadmodum igitur, propterea quod uterque certum quemdam eventuum delectum habeat, eorum nempe quae religionis vices aut singularem Dei in Hebraeos providentiam attingunt, eumdem ac ceteri hagiographi scopum habuisse merito praesumimus; ita ex eo quod ad hunc assequendum alter alteram ingrediatur viam, utriusque scriptoris diversitatem iure colligimus. Accedit demum sermonis color atque proprietas: non modo enim peculiares dicendi modi, et dictiones *aramaicis* affines, apud ipsum frequentiores (*a*) in libro Samuelis desiderantur; sed contrario aliae plures inibi occurrunt ferme poëticae (*b*), antiquioris aetatis tantum propriae, quae Pentateuchi, Iosue, Iudicum et Ruthae libris communes sunt (*c*); quodsi nonnulla proverbia (*d*) atque vocabula (*e*) hîc

(*a*) De quibus inferius agemus.

(*b*) V. Haevernick Einleit. 1. Th. 1. Abth. S. 213-14.

(*c*) V. sup. p. 84 et 189. (*d*).

(*d*) מַשְׁתִּין בְּקִיר *mingens ad parietem* I. Reg. XXV, 22. coll. cum III. Reg. XIV, 10. XVI, 11. XXI, 21. IV. Reg. IX, 8. כָּל־שֹׁמְעוֹ תְּצִלֶּינָה שְׁתֵּי אָזְנָיו *quod quicumque audierit, tinnient ambae aures eius.* I. Reg. III, 11. coll. cum IV. Reg. XXI, 12.

(*e*) אֶחָד *unus* pro articulo indefinito *quidam* I. Reg. I, 1. XXV, 14. coll. cum III. Reg. XX, 13. אִישׁ אֱלֹהִים *vir Dei* de propheta I. Reg. II, 27. IX, 16 coll. cum III. Reg. XII, 22. XIII, 1-31. XX, 28 etc. בִּעֵר *sustulit, removit* II. Reg. IV, 11. coll. cum IV. Reg. XXIII, 24.

invenire est, quae passim in Regum libris offendimus, perperam haec a Iahnio (*a*) ceu unius eiusdemque auctoris indicia habentur; nam cum postrema iampridem (*b*) usitata fuisse certissimum sit, idem de prioribus iure coniicimus.

CVII. At enim, si liber Samuelis ante librum Regum editum fuisse verisimillimum, non ita planum est definire, qua certa demum aetate, quove auctore prodierit; nihilominus tamen, allata hactenus argumenta haud parum habent praesidii ad hanc ipsam controversiam dirimendam; sane cur integra narratio Davidis extremis concludatur, non aliam probabiliorem causam reperies, nisi quia brevi post huius fatum fuerit vulgata; ceteroquin scriptor multo recentior splendidum Salomonis regnum neutiquam praeteriisset: e diverso, coaevus aut suppar pluribus rationibus potuit moveri, ne nimis proxima omnibusque notissima, quorum tamen anceps adhuc atque incertus erat exitus, praemature concelebraret, ideoque Davidis obitum quippe cum regni Salomonis exordio arctissime connexum innuit quidem, non enarravit. Scriptorem insuper Davidis aequalem, aut huius aetate paulo fuisse inferiorem colligimus ex I. Reg. V, 5 et II. Reg. IV, 3; primo scilicet in loco legimus, ad ea usque tempora cultores Dagon religioni habuisse eius templi limina pedibus terere, ex altero apparet, fugisse Berothitas in Ge-

(*a*) Iahn. Einleit. 2. Th. 1. Abschn. § 46.

(*b*) Conf. I. Reg. XXV, 14 cum Iud. XIII, 2; I. Reg. II, 27 cum Deut. XXXIII, 1, Ios. XIV, 6; II. Reg. IV, 11 cum Deut. XIII, 6, XVII, 7.

thaim, ibique advenas in eam diem permansisse; iamvero neque ad plura secula id genus templi (*a*) videtur fuisse perduraturum, neque credibile, Berothitas patria profugos, ipsos cum posteris, quamdiutissime in Gethaim, externorum instar, fuisse commoratos. Haec porro eo nos ducunt, ut qui fuerit auctor probabiliter etiam assequamur: cum enim narrationis contextio coaevum postulet auctorem, aut saltem coaevorum scripta componentem; insuper et illud exploratum sit, Davidis gesta a Samuele, Nathano et Gado literis fuisse consignata (*b*); Hebraeorum denique traditio Samuelem tum librorum Iudicum et Ruth, tum libri qui eius nomine inscribitur ex parte faciat auctorem (*c*), arbitramur nihil a coniectura aberrare contendentes, hunc ipsum ex trium modo laudatorum prophetarum operibus coaluisse, quae a Nathano, Gado, vel alio quovis, aequali tamen atque hagiographo in unum volumen compacta sint, aut saltem ad libri compositionem magnam partem descripta.

CVIII. Hisce externis atque internis argumentis aliud accedit quod, licet infitiale, propemodum affirmativis aequivalet, nam vix fieri potest ut antiquiorem aetatem atque personam, nescius aut prudens, indeprehensibili errore quis ementiatur. Iam enim nulla in hoc libro alterius aetatis aut

(*a*) Conf. Iud. XVI, 29-30.
(*b*) I. Paralip. XXIX, 29.
(*c*) Loc. sup. cit. p. 214. not. (*b*).

scriptoris vestigia sunt; recentiora quidem deprehendere nonnullis visi sunt loci, in quibus Iuda ab Israële (*a*) distinguitur, nec solum utriusque regni divisio, sed et quaedam Iudae regum series (*b*) significatur; praeterea Bethel dicitur Bethaven (*c*), quod nomen primum post Ieroboamum invenit; denique iamdiu deserta ponitur regio quam Davidis adhuc temporibus Gessuritae, Gerzitae et Amalecitae incolebant (*d*). At inscite atque inepte haec proponuntur; etenim Iudae et Israëlis distinctionem Saulis et Davidis temporibus dudum obtinuisse, probatur ex duplici militum recensu a Saule instituto (*e*), ex Israële Davidis principatum primum detrectante (*f*), dein cum Iuda de obsequio in regem ac servitute contendente (*g*); imo nec Iudicum aetate incompertam superius (*h*) ostendimus; quod vero Siceleg, ex quo Davidi ab Achis donata est, ad reges Iudae *in hanc usque diem* pertinuisse dicatur, perperam inde colligeres, horum plures iam regnavisse, quandoquidem vox *Iuda* directe tribum, obliquo regem ex ipsa oriundum designat; non alia scilicet scriptoris mens fuit quam declarare quomodo civitas, quae primum

(*a*) I. Reg. XVIII, 16. II. Reg. XXIV, 1.
(*b*) I. Reg. XXVII, 6.
(*c*) I. Reg. XIII, 5.
(*d*) Ib. XXVII, 8.
(*e*) I. Reg. XI, 8. XV, 4.
(*f*) II. Reg. V, 1-5.
(*g*) Ib. XIX, 41.
(*h*) V. pag. 18-19.

Iudae (*a*), dein Simeoni iure (*b*), et re ipsa (*c*) obtigerat, posteaque in Philisthaeorum manus devenerat, non amplius Simeoni sed Iudae per Davidem restituta sit; huius vero propria atque privata, hereditario iure ad eius posteros transiverit, quos auctor, utpote Iuda oriundos, aptius Iudae quam Israëlis reges denominavit (*d*), secus huius fiscalis videri potuisset proprietas, quae illius patria res erat; cum autem dictio *in hanc usque diem*, de hagiographorum more, recentioribus saepe eventis aptetur (*e*), Davidis suppar et Salomonis aequalis eadem convenienter potuit uti: itidem, tametsi Bethel (בֵּית אֵל *domus Dei*) nonnisi post Israëlis a Iuda defectionem Bethaven (בֵּית אָוֶן *domus vanitatis*) a prophetis (*f*) per ironiam dicta sit, propterea quod quae olim Dei sedes, vana tunc idolorum simulacra complecteretur; attamen et alia ad eius orientem sita civitas fuit, quae multo ante neque ironice, sed proprie Bethaven fuerat nuncupata (*g*): tandem nullatenus tradit scriptor, Gessu-

(*a*) Ios. xv, 31.

(*b*) Ib. xix, 5.

(*c*) I. Paralip. iv, 30.

(*d*) Accedit quod tribus Iuda unum solidissimum fuerit Davidici regni fundamentum, cuius quidem firmitatem, nullatenus vero eamdem perpetuo amplitudinem Davidi (II. Reg. vii, 12, 16.) et Salomoni (III. Reg. ix, 5.) promiserat Deus; quare absonum ut Israël Iudae imperitaret, neutiquam ut regni exitus exordio respondens (II. Reg. v, 1-5.), eius ambitus una Iudae tribu concluderetur.

(*e*) V. pag. 19 sub fin.

(*f*) Amos v, 5. Os. iv, 15; v, 8; x, 5. 8.

(*g*) Ios. vii, 2. conf. et xviii, 12.

ritas aliosque laudatam illam regionem *olim, quondam*, sed iuxta hebraicae vocis מֵעוֹלָם significationem, *inde a remotissimis temporibus* inhabitasse, quod verissime dictum, sive nonnullae adhuc illarum gentium reliquiae superessent, sive omnes penitus fuissent deletae. Nec firmioribus conclusionibus innituntur qui primam libri partem Samueli abiudicant, propterea quod huius temporibus *videntes* nuncuparentur, qui scriptoris aetate *prophetae* salutabantur (*a*); praeterea *omnibus diebus vitae suae iudicavisse* (*b*) dicatur, quod ipse vivus de se scribere nequiverit; praesertim vero quod absurdum sit, pium atque gravissimum virum adeo frequenter et immodeste proprias laudes praedicavisse (*c*). Samuelis siquidem aetate prophetae nomen usitatum ex hoc ipso libro manifestissimum (*d*); verum cum huius nominis significatio latius pateret, atque tum divinitatis legatos atque interpretes, tum eos designaret qui numine afflati eius laudes psallerent atque cantarent (*e*); quorum hoc erat munus, ut non tam Dei decreta panderent, quam arcana seu futura, seu praesentia aut praeterita declararent, speciali *videntium* nomine donabantur, quae consuetudo virili Samuelis aetate adhuc vigens, ipso senescente iam obsoleverat,

(*a*) I. Reg. IX, 9
(*b*) Ib. VII, 15.
(*c*) Ib. I, 26 III, 19. XII, 4.
(*d*) I. Reg. X, 5-13.
(*e*) Ib.

quippe idem ipse *videns* fuerat simul et *propheta* (*a*). — Item si illa verba *omnibus diebus vitae suae* ad vivum resecueris, etiam a recentiori prolata falsa erunt, quia puer adhuc Samuel non iudicavit; si latius acceperis, qui propter summam honestatis atque iustitiae opinionem privatis civium dissidiis componendis aptissimus, hoc iudicis officio ad extremam senectutem fuerat defunctus, eodemque, quoad viveret, se defuncturum pro certo habere poterat, toto vitae suae spatio se iudicavisse haud improprie testatus est. — Quod ad laudes, vir sapiens modestusque illas refugit, quae in nudum eius honorem, neutiquam quae in Dei gloriam cedunt, quasque silere iniquum sit, celebrare vero opportunum; sic Moses se mitissimum (*b*), Iohannes se Christo carissimum (*c*), Paulus inenarrabili visione, prophetali se ac prodigiosa virtute a Deo donatum (*d*), imo Christus ipse verae humilitatis exemplum et se inculpabilem dixit (*e*), atque omnigenae virtutis documentum se praebuit (*f*). At enim quibus se demum laudibus Samuel affecit? Se puerulum adhuc Deo perinde atque hominibus acceptissimum fuisse pronuntiavit; at vero, quod Dei beneficio conceptus optimam fuisset indolem sortitus, divino

(*a*) V. pag. 95.
(*b*) Num. XII, 3.
(*c*) Ioh. XIII, 23. XIX, 26. XXI, 20.
(*d*) II. Cor. XII, 1-12.
(*e*) Ioh. VIII, 46.
(*f*) Matth. XI, 29.

autem cultui mature addictus, singulari eius providentia egregie fuisset institutus, nulla puero laus inde obveniebat. Addidit, numine afflante, vera se iugiter praedixisse, et supremo functum magistratu nullius iura violasse: verum haec ne nimia sunt? numquid non necessarium ut haec sibi assumeret, et spontaneo atque solemni populi testimonio comprobarentur, ne propriae hic defectioni falsa iudicis a Deo suscitati crimina praetenderet?

Leves similiter atque omnino futiles rationes sunt, quibus nonnulli ex narrationis materia, ex contextus serie atque dispositione, praeter laudatorum prophetarum scripta et carminum *syllogen*, et regni annales, operis compositori praesto fuisse coniiciunt (*a*); aut hoc ipsum, ex variis modo longioribus, modo brevioribus memoriis traditionis ope auctis, interpolatis, collectaneorum instar in indigestum quoddam corpus, recentioris collectoris industria, coaluisse augurantur (*b*). Ut enim a priori illa hypothesi exordiamur, praecipuum eius fundamentum Haevernick in eo ponit, quod *liber* (hebraice דִּבְרֵי *verba*) *Samuelis, Nathanis et Gad* (*c*) nil aliud esse potuerit quam collectio oraculorum ab iisdem editorum, quippe vaticinia passim Iehovae, aut prophetarum *verba* dicuntur, proindeque, utut historica quaedam propter intimum nexum iisdem fuerint admixta, quae mere poëtica aut politica sunt, aliunde necessario fuerint deprompta. Verum, quod pace tanti viri fiat, consuetam hîc eius prudentiam desideramus; quis enim ignorat, vocabulum hebraicum דָּבָר *davar* non modo ver-

(*a*) Haevernick, Einleit. in das A. Test. § 164.
(*b*) Eichhorn, Einleit. B. 3. S. 476. ff. Bertholdt, Einleit. S. 894. ff. 920. ff.
(*c*) I. Paralip. XXIX, 29.

bum, sed et res gestas, historiam saepe significare? quodsi *verba dierum* (*a*) sunt acta diurna, *verba Nehemiae* (*b*) eius historia, quid, quaeso, caussae est cur *verba* Samuelis, Nathanis et Gadi de rebus ab iisdem descriptis intelligenda non sint, maxime quod hoc prophetarum esset munus, historicis documentis propositis, religionis integritati ac reipublicae incolumitati prospicere? Praeterea, cum tres illi viri non tam futurorum fuerint praescii, quam praesentiarum moderatores, neque remotissima, ut plurimum, sed proxima praenuntiarent, et ullis quidem vaticiniis, sed pluribus in rem publicam meritis inclaruerint, auctor vero Paralipomenôn, narrationis historicae compendio, lectores ad eorum volumina deleget, haec historica potius quam prophetica fuisse haud temere argumentamur. Hisce propositis, cetera concidunt quae ille subdit: multa scilicet in hunc librum carmina relata fuisse, uti Annae canticum (*c*), populi paean (*d*), Davidis elegia super Saulem et Ionatham (*e*), eiusdem super Abneris funere lamentabile carmen (*f*), necnon hymnus (*g*) et psalmus (*h*), eaque omnia ex *libro Iustorum* excerpta. At ex eo quod Davidis elegia inibi inserta (*i*), non sequitur et cetera pariter immixta, multoque minus ab auctore huiusce narrationis exinde fuisse desumpta (*k*); fac tamen, cum neque Mosem quae in *libro*

(*a*) דִּבְרֵי הַיָּמִים I. Paralip. XXVII, 24. Esth. VI, 1

(*b*) Neh. I, 1.

(*c*) I. Reg. II, 1-10.

(*d*) Ib. VIII, 7.

(*e*) II. Reg. I, 17-27.

(*f*) II. Reg. III, 33-34.

(*g*) Ib. XXII.

(*h*) Ib. XXIII, 1-7.

(*i*) II. Reg. I, 17.

(*k*) Profecto neque Annae canticum, neque Davidis hymnus et psalmus convenienter adnexa fuissent poëticae collectioni, quae, ut videtur, bellicam tantum virtutem praedicabat.

bellorum Domini (*a*), neque Iosuam quae in eodem ipso *libro Iustorum* (*b*), neque Samuelem integrum Debborae canticum, Ioathami apologum, Samsonis disticha, suae quemque narrationi contexere dedecuerit, potuisset postremus aut quivis alius propheta varia illa carmina undecumque mutuare; sane arcte adeo cum iis cohaerent, quae ab hoc aut ab illo auctore propheta scripta ponuntur, ut alia ab aliis nequeant divelli, quin filus orationis disrumpatur; itaque vel nihil omnino, vel haec etiam ab iis descripta sunt. Eadem ratione, non inficiamur inter Davidis ministros scribas (סוֹפְרִים) recenseri (*c*), qui ei ab actis aut ab epistolis essent, alium qui a commentariis (*d*), magister scilicet memoriae (מַזְכִּיר), cancellarius, historiographus, regis annalibus praefectus, quibus id esset demandatum, ut acta diurna conficerent; verum, quid vetat quominus eadem quae isti ex officio civili, Samuel ex. c. aut Gad prophetali munere praestaret? Adde, nec defuisse qui utrumque simul adimpleverint, Gadum (*e*) autem atque Nathanem (*f*) Davidis familiares ac necessarios fuisse. Quodsi mavis scribarum opera huiusce libri auctorem consuluisse, non repugnabo, neque tamen alteri quam prophetae adscribam; numinis enim afflatus humanam non tollit industriam, quare cum Moses vetustissimis quibusque Hebraeorum monumentis usus sit, quilibet alius propheta historiam conscripturus coaevorum documenta, ubi opus, non modo potuit, sed et debuit usurpare. Denique, non diffitemur scriptorem, qui I. Reg. I a Samuelis natalibus exorsus ad caput usque XVII, primas eidem dederat partes, neque alios rerum eventus

(*a*) Num. XXI, 14.
(*b*) Ios. X, 13.
(*c*) II. Reg. VIII, 17. I. Paralip. XXIV, 6.
(*d*) II. Reg. VIII, 16
(*e*) I. Reg. XXII, 5.
(*f*) II. Reg. VII, 2.

descripserat, quam quos ille praedixerat, aut quorum pars magna fuerat, deinceps verso stylo, quae ad Davidem, sive privatum, sive publicum hominem respiciunt, accuratissime persequi; interim dum res a Saule tunc temporis gestas, eiusque fatum, quippe nimis cum Davidis actis conserta, haud silet omnino, at quampaucissimis absolvit: item, quod ad materiam, capp. I-VII, XI, XII, XXIV lib. II. auctorem prophetam manifesto deprehendere, cetera, praesertim vero VIII, XXI-XXIII, ea complecti quibus germana ex regni tabulariis aut annalibus potuerint depromi. At enim haec rerum diversitas, haec ordinis et contextionis distinctio non ex multiplici historiae fonte, sed partim ex vario narrationis argumento, partim ex auctoris scopo repetenda est; hic enim ideo de Samuelis incunabulis principio dicit, eique primas concedit, quia unus per ea tempora afflictae reipublicae restitutor ac magistratus; cum autem rerum summa, cui diu unus ipse praefuerat, Deo iubente, alteri commissa est, huius etiam acta describuntur, pauca quidem, omnia tamen (hagiographorum more) quae iuxta vel praeter Dei mandatum ab eodem gesta sunt; hoc propter inobsequentiam reprobato, alter producitur qui, rex ex Dei voluntate designatus, hanc dignitatem piis, fortibusque factis omnimode promeritus est, imo puer adhuc prae Saule patriae sospitator audivit, eamque ab hostium incursionibus prae omnibus iugiter tutatus est: plura de eo narrantur, quia pluribus inclaruit; privata et minutissima auctor persequitur, quia haec singulari Dei providentia fuerant temperata; quandoquidem Saul rex *postulatus* Hebraeorum votis, David a Deo sponte delectus sapienti eius consilio apprime responderat, mitissima ingenii indole, pietatis atque iustitiae studio praeclarissimum regibus exemplum proposuerat, et quantum humanae infirmitati datum est, exoptati Servatoris imaginem adumbraverat. Nil igitur mirum, si scriptor libentius atque studiosius in iis immoretur, quae splendidum hoc hebraicae

gentis sidus attingunt; si non adeo frequens prophetarum mentio fiat, quorum ministerium sub rege pientissimo, et *iuxta cor Domini* (*a*) minus quam antea opus erat (*b*), at tantum quod a virtute David deflexerat, cum a Nathano adulterii et homicidii, a Gado superbiae coarguitur, Deoque vindice iusta poena multatur. Vides quam aptissima sit libri dispositio, quomodo rerum delectus et copia non ex fontium varietate, sed ex narrationis argumento et scriptoris consilio aestimanda sint, qui non mere propheticam, aut pure civilem historiam condere, sed divini per prophetas et reges imperii vices enarrare suscepit; quodsi interdum et illa describit quae propius politicen attingunt, hoc ideo fit quia, propter peculiarem illius regiminis conditionem, cum ceteris arcte connexa hisce vel perspicuitatem afferunt, vel pondus adiiciunt; quare neque in aliis prophetarum scriptis, Pentateuchi puta, Iosue, Iudicum libris simillima desiderantur. Quae cum ita sint, nunc expeditior nobis patet via, ut audaciores aliorum hypotheses refellamus, qui ex variis variorum fragmentis mutilis, aut rumoribus fando receptis adauctis, interpolatis, hunc librum miscellaneorum instar coagmentatum fuisse opinati sunt; cum enim argumentis innitantur partim ex dissoluto rerum atque orationis nexu, partim ex miraculorum aut vaticiniorum incredibilitate depromta; priora illa ex iis quae hactenus disseruimus abunde refutata sunt, sed et iam a Rationalistis liberioris ingenii (*c*)

(*a*) I. Reg. XIII, 14.

(*b*) Sane plerique deinceps prophetarum apud impios Israëlis reges floruerunt.

(*c*) De Wette, Einleit. § 79. n. (*f*) utramque Eichhornii et Bertholdtii hypothesim confutat, et pleraque invicem respectum habere, imo perpetuo veluti filo contexta demonstrat; falso propterea Bertholdtium I. Regum librum trifariam dispertiri, nempe a cap. I ad VII, ab VIII ad XVI, a XVII ad XXX, cum sequens XXXI a prioribus XXVIII-XXX individuum sit, et XXXI, 11 seq. cum XI; XXVIII, 16-18 cum

repudiantur; quod ad reliqua, tum ad ea quae alibi (*a*) a nobis dicta sunt, huc enim faciunt, tum ad illa quae de huiusce libri auctoritate mox erunt dicenda, lectores delegamus; siquidem quae contraria sunt aut absurda, potius libri fidem perimunt, quam *authenticitatem* infirment.

ARTICULUS II.

Fides historica atque divina.

CIX. Quae de libri huius origine hucusque disputavimus, eiusdem auctoritatem cumprimis confirmant; cum enim ab illo editus aut ex eorum operibus compactus sit, qui eventuum aequales aut suppares, et prophetali dignitate insignes ad fidem faciendam omnium erant aptissimi, iam tuto possemus ab aliis argumentis afferendis supersedere; verumtamen, ut vel morosioribus quidquam opponendi aditus praecludatur, iuvabit superius allata impraesentiarum missa facere, et novam veluti ab integro quaestionem instituere, siquidem interna veritatis indicia et externa hagiographorum testimonia satis sunt ad historicam atque divinam libri

XV, 10 seqq.; XIX, 24 cum X, 12 cohaereant. Confer similiter II. Reg. I cum I. Reg. XXX; II. Reg. III, 14 cum I. Reg. XXV, 44; II. Reg. IV, 4 cum IX, 1 seq.; VI, 3-11 cum 12-20, et I. Reg. VII, 1; II. Reg. XI, 1, XII, 30 cum XI, 2, XII, 27-29; XII, 11 seqq. cum XVI, 22; XXI, 12 cum I. Reg. XXXI, 12 seqq.

(*a*) V. p. 85-92. 108-113.

fidem invictissime demonstrandam. Re enim vera, pleraque quae in eo narrantur non incertae ac labili traditioni commissa sunt, sed eorum memoria nominum, monumentorum, consuetudinum, proverbiorum ope intemerata ac vivida ad posteros transmissa est; sic *Samuelis* nomen (*a*) mirandam eiusdem nativitatem, *Ichabodi* (*b*) arcam a Philisthaeis direptam, *lapidis adiutorii* (*c*), et *Baal Pharasim* (*d*), Philisthaeorum cladem, *petrae dividentis* (*e*) Davidis securitatem, *agri robustorum* (*f*), Abneri fugam, *percussionis Ozae* (*g*), subitum huius fatum commemorabant; ani et mures aurei (*h*) arcam prodigialiter restitutam, religio qua Dagonis sacerdotes tenebantur, ne eius templi limina pedibus calcarent (*i*), idolum prolapsum ac detruncatum, proverbium: *num et Saul inter prophetas* (*k*) improvisam eius inspirationem, alterum: *coecus et claudus non intrabunt in templum* (*l*), arcem Sion muni-

(*a*) שְׁמוּאֵל pro שְׁמוּעַאֵל *exauditus a Deo*, parentis scilicet precibus impetratus I. Reg. I, 20.

(*b*) אִי כָבוֹד *inglorius* ib. IV, 21.

(*c*) I. Reg. VII, 12.

(*d*) II. Reg. V, 20.

(*e*) I. Reg. XXIII, 28.

(*f*) II. Reg. I, 16.

(*g*) Ib. VI, 8.

(*h*) Mariscae, aut varices, haemorrhoidales, et mures agrestes, quibus Philisthaeorum gens et regio fuerat divexata, I. Reg. VI, 17-18.

(*i*) I. Reg. V, 5.

(*k*) Ib. X, 12.

(*l*) II. Reg. V, 8. Nimirum Iebusaei validissimo propugnaculo confisi iactanter ad Davidem mandaverant, non ante arcem fore occupaturum, quam coecos et claudos inde abstulisset, sive horum nonnulli

tissimam vi tamen captam a Davide atque oppugnatam fuisse in mentem revocabant. Accedit res grandiores carminibus vulgo decantatis, atque ex more descriptis fuisse celebratas, quae in hunc librum ab auctore inserta sunt; diaria porro atque annales publica auctoritate iam tunc condi cepisse, in quibus non modo insigniores, sed et leviores ac pene quotidiani rerum eventus perscribebantur, quos ille, ubi opus, potuisset adire; verbo, nihil in universa narratione reperiri, quod non antea aut monumentis concreditum, aut literis non fuerit consignatum, quodque propterea scriptor tuto atque secure exinde nequiverit haurire ac mutuare.

CX. Quodsi a scribentis praesidiis, ad narrationis colorem atque argumentum expendenda accedamus, nullum de utriusque veritate dubium supererit; scriptoris enim fides atque sinceritas in hoc elucet, quod dum rerum prudens ac peritissimus, gentis aut ducum indolem, mores, vitae institutum, praeliorum exitus ac varios rerum eventus ita ad veritatem exprimit, ut et coaevum se prodat, et cum melioris notae historicis, De Wettio (*a*) fatente, aequiparandus sit, nullo interim partium studio

in Hebraeorum contemptum super muros locati fuissent, sive hoc unum vellent significare, tantam esse illius loci firmitatem, ut vel coeci et claudi hostibus propulsandis sufficerent; attamen inde deturbati atque ab aditu sanctuarii prohibiti, in proverbium cessit coecos et claudos templum (*Domum Dei*) non ingressuros; arce enim capta, mox David arcam Ierusalem solemniter transvehendam curaverat, ib. c. VI.

(*a*) Einleit. § 178.

abreptus, neque gentis gloriam amplificare, neque istius aut alterius ducis laudes dicendo studuerit exornare, sed uno ductus veritatis amore, honesta ac turpia, probrosa atque decora eadem ingenuitate describat, eadem styli modestia persequatur; quapropter filiorum Samuelis avaritiam, Saulis superbiam et pertinaciam, Davidis libidinem, iniquitatem, populi inconstantiam, levitatem, perfidiam haud secus insectatur, ac Samuelis iudicatum, Saulis, Davidis, Hebraeorum victorias praedicet, et egregia eorum facta meritis honoribus prosequatur. Facta porro quae narrantur Hebraeorum ingenio et reipublicae, per ea tempora, conditioni convenientissima, cum superiori atque insequenti historia apte adeo connectuntur, ut iis demtis aut immutatis haud alia probabiliora sufficeres, interim dum reliqua fierent incredibilia. Nimirum, in quaestionem veniat quomodo respublica perpetuis externorum vastationibus, ac civium dissidiis diu multumque exagitata, ab externis internisque secura diuturniori nunc pace fruatur: quî factum sit, ut qui propter domesticas simultates raro uni eidemque Iudici ad unum omnes obtemperaverant, modo certatim hereditario regi parerent, neque rursus, prospera fortuna abutentes, vana Deorum numina colerent, et nefandis eorum ritibus initiarentur; tantam profecto, tamque mirabilem atque constantem rerum conversionem planiori ratione haud explicaveris, quam si cum laudato scriptore posueris, hereditariae monarchiae conditorem bellica virtute insignem, finitimorum

undique ausus atque potentiam confregisse, bonitate, iustitia, aequanimitate spectabilem, omnium in se amorem conciliasse, praeclaro atque constanti sincerae pietatis exemplo venerandum, omnium animos ad Dei cultum ac religionis studium incendisse; sane vixdum a parentis vestigiis filii discesserunt, exstincta idololatriae pestis iterum grassata est, odia iamdiu sopita e cineribus excitata repente conflagrarunt, atque irreparabili fato rempublicam disciderunt. Verum, qui singularis ac proprius est veritatis secumipsa consensus, huiusmodi infelices regni casus atque vicissitudines eiusdem exordia nobis etiam aperiunt; inde namque verisimillimum fit, regem a populo adeo exoptatum, vix sortitum a pluribus fuisse despectum, nec meliora Davidi deinceps obtigisse; interea tamen, cum humanae infirmitatis conditio sit, ut inter ardua ac difficilia perficiatur, Saulis regnum opportunam Hebraeis et Davidi occasionem praebuisse, ut hic altiorem virtutis apicem teneret, illi egregia eius merita iuste aestimarent, utrique autem luculento experimento comperirent principi atque concivibus nullam praeterquam a Deo sperandam esse salutem. Demum non solum omnia inter se consentiunt, et locis, temporibus, personarum adiunctis convenientissima sunt, sed crebri, quos hic offendimus, variorum sermones adeo illorum, quos auctor loquentes inducit, proprii sunt, ut fideliter ad verbum descripti, neutiquam ad libidinem conficti videantur;

huiusmodi videlicet Saulis cum servis (*a*) et Samuele (*b*) colloquium, puellarum aquam haurentium garrulitas (*c*), verba Samuelis ad populum (*d*), Abigailis ad Davidem (*e*), huius precatio (*f*) quae Psalmistae stylum reddit, Thecuitae cum eodem collocutio (*g*), consilium a Chusai Absalomi datum (*h*), iisque verbis expressum, quae ministro principem ambitiosum scienter decepturo convenientissima sunt, sermo denique Berzellai cum Davide (*i*) seni grandaevo maxime consonus.

CXI. Restat igitur, ut narrationi tot tamque evidentibus veritatis indiciis comprobatae indubiam, sed et divinam fidem adiungendam esse ex unanimi Hebraeorum et Christianorum consensu conficiamus; sane non modo plura quae in hoc libro exponuntur, ab aliis dein hagiographis identidem commemorantur, sicut a Ieremia (*k*) arcae captivitas, ab Asapho (*l*) lues quae propterea Philisthaeos incessit, ab Osea (*m*) clamores populi regem expo-

(*a*) I. Reg. IX, 5-8.
(*b*) Ib. 18-27.
(*c*) Ib. 11-14.
(*d*) Ib. XII.
(*e*) Ib. XXV, 25-31.
(*f*) II. Reg. VII, 18-29.
(*g*) Ib. XIV, 4-20.
(*h*) Ib. XVII, 7-13.
(*i*) Ib. XIX, 35-38.
(*k*) Ierem. XXVI, 6 coll. cum I. Reg. IV, 4-11.
(*l*) Ps. LXXXIII, 66 coll. cum I. Reg. V, 6.
(*m*) Os. XIII, 10 coll. cum I. Reg. VIII, 22, conf. et Act. XIII, 21.

stulantis, ab Ecclesiastico (*a*) praeclara Samuelis in rempublicam merita, carptimque potiora Davidis gesta (*b*), a Matthaeo (*c*) panes sancti a Davidis satellitio comesi; pariter quae *vir propheta* fuerat Heli comminatus (*d*), quaeque Davidi Nathan promiserat (*e*), ut adimpleta ab auctore III. Regum referuntur (*f*); scriptor autem Paralipomenôn (*g*) multa hinc, aut saltem ex eodem ac noster fonte depromsit: sed quaecumque ad privatam aut publicam Davidis conditionem, variasque nunc prosperae, nunc adversae eius fortunae vices respiciunt, tum in omnium semper ore fuerunt, quippe in plurimis psalmis descripta, qui ceteroquin obscuri ex hac narratione explicantur (*h*); tum

(*a*) Eccli. XLVI, 16-22 coll. cum I. Reg. VII, 10; XII, 1, seq. et alibi passim.

(*b*) Ib. XLVII, 3-13 coll. cum I. Reg. XVII, 34, 49; XVIII, 7; II. Reg. XII, 13, alibi passim; confer et Is. XXVIII, 21 cum II. Reg. V, 20; I. Mach. IV, 30 cum I. Reg. XVII, 50, XIV, 13; insuper Act. VII, 46, XIII, 22, Heb. I, 5.

(*c*) Matth. XII, 3-4 Luc. VI, 4 coll. cum I. Reg. XXI, 6.

(*d*) I. Reg. II, 31.

(*e*) II. Reg. VII, 8 seqq.

(*f*) II, 27; III, 6-7; VIII, 17-21; XI, 12-13; confer et ps. LXXVII, 70; LXXXVIII, 4, 37-38.

(*g*) I. Paralip. XXIX, 29.

(*h*) Confer ps. III cum II. Reg. XV, 14, seqq.; ps. IV cum I. Reg. XXII, XXIII, XXVI; ps. VII cum II. Reg. 5-14; ps. XVII cum II. Reg. XXII, 2, seqq.; ps. XXIII cum II. Reg. VI, 12, seqq.; ps. XXIX cum II. Reg. V, 11; ps. XXXI et L cum II. Reg. XII, ps. XXXIII cum I. Reg. XXI, 10-15; ps. XXXIV cum II. Reg. XV, XVII; ps. XLI, XLII, LIV cum II. Reg. XVII, 21-24; ps. LI cum I. Reg. XXII, 9; ps. LIII cum I. Reg. XXIII, 19 et XXVI, 1; ps. LV. cum II. Reg. XXI, 12; ps. LVI cum I. Reg. XXII 1 et XXIV, 4; ps. LVIII cum I. Reg. XIX, 11; ps. LIX cum II. Reg. VIII, 3-13 et X, 15-19; ps. LXII

luculentissimo Evangelii testimonio fulciuntur; cum enim David Messiam praefiguraret, qui propterea saepe a prophetis (*a*) illius nomine salutabatur, Christus qui Davidis filius audivit, typicos eius casus vitae genere, instituto, ceterisque adiunctis ad veritatem expressit, et impeccabilis ipse, ne qua ex parte similitudo deficeret, peccatoris personam suscipiens, aliorum in se culpam et poenam derivavit; qui mirus rei ad figuram responsus, alterutram declarat atque confirmat. Hanc porro hagiographorum testificationem non solum narrationis argumentum, sed et libri auctoritatem comprobare ideo efficimus, quod ea quae ab iisdem memorantur, ceu omnibus nota, proindeque utpote remotissima literis iam consignata ponuntur; neque tamen alii historiae fontes indicantur, imo interdum ipsa auctoris nostri verba describuntur (*b*), qui profecto, cum eo quod librum suum mature, uti probavimus, condidit atque vulgavit, tum viros antiquissimos, recentiorum scriptorum verba loquentes ceterum nunquam induxisset. Quamobrem nullo critico viro de historica ac divina libri fide

cum I. Reg. XXII, 5, et XXIII, 14-16; ps. LXVII cum II. Reg. VI, 3-12; ps. LXXXVIII cum II. Reg. VII, 12, seqq.; ps. CXLI cum I. Reg. XXII, 1, et XXIV, 1, seqq.; ps. CXLII cum II. Reg. XVII.

(*a*) Ps. LXXXVIII, 4; Ierem. XXX, 9; Ezech. XXXIV, 23-24; XXXVII, 24-25; Os. III, 5, confer et Is. XI; Ier. XXIII, 17, 21, 26; Amos IX, 11; Mich. V, 1-3, quae loca Messiam ex Davide oriundum praesignificant.

(*b*) Conf. Tob. XIII, 2; Sap. XVI, 13 cum I. Reg. II, 6; ps. CXII, 7 cum I. Reg. II, 8; Eccl. IV, 17; Os. VI, 6; Matth. IX, 13, XII, 7 cum I. Reg. XV, 22; Ezech. XVIII, 23, 32, XXXIII, 11 cum II. Reg. XIV, 14.

prudens relinquitur dubitatio, quod si tenuissimus adhuc intemperanti scrupulus resideret, hunc illi eximeret communis Synagogae Ecclesiaeque persuasio, quae nedum Christiano, sed et cordato cuilibet irrefutabilis est; neutra enim, nisi probatissima fuisset libri origo, eumdem sacris atque divinis accensuisset.

ARTICULUS III.

Opponentium difficultates dissolvuntur.

CXII. Plurima in hoc libro pugnantia, absurda, quaeque hagiographum dedeceant, *Increduli* et *Rationalistae*, quippe talia quam sagacissime odorati, gloriantur se deprehendisse, et primo haec singillatim proferunt, quae eorum sententia narrationis simplicitatem et fidem funditus tollunt. – Nondum, aiunt, Davidis aetate *in domo* Deus habitaverat (*a*), attamen inde ab Heli temporibus *postes templi* (*b*), et *ostia domus Domini* (*c*) commemorantur; Samuel modo cunctis diebus vitae suae Israëlem iudicavisse dicitur (*d*), modo grandaevus magistratu se

(*a*) II. Reg. VII, 6.
(*b*) I. Reg. I, 9.
(*c*) Ib. III, 15.
(*d*) Ib. VII, 15-17.

abdicasse, filiosque in sui vicem suffecisse (*a*); nunc horum avaritia (*b*), nunc bellum ab Ammonitis Hebraeis inlatum in causa est, cur isti regem a Samuele exposcant (*c*); Saul ad taedium abigendum mittit ad Isai, qui Davidem citharistam expostulent (*d*), at paucis abhinc diebus neutrum amplius novit; quique nuper regis armiger (*e*), et militaris tribunus creatus, multis praeclare gestis inclaruerat (*f*), mox puer (*g*) imbellis, nec armis ferendis idoneus (*h*) castra petit, Sauli atque Abnero militiae principi perinde ignotus (*i*); Philisthaeum funda prosternit, multo post ab Adeodato interfectum (*k*), eiusque desectam cervicem in Ierusalem transfert adhuc Iebusaeorum propriam, *arma vero eius posuit in tabernaculo suo* (*l*), quae constat Nobe in sanctuario reposita fuisse (*m*); demum, tum Davidis in Saulem insidias ipsi struentem magnanimitas, eiusdemque ad Achis

(*a*) I. Reg. VIII, 1-2.
(*b*) Ib. 5.
(*c*) Ib. XII, 12.
(*d*) Ib. XVI, 16-19.
(*e*) Ib. 21.
(*f*) Ib. XVIII, 5-6.
(*g*) Ib. XVII, 33.
(*h*) Ib. 39.
(*i*) Ib. 55-58.
(*k*) II. Reg. XXI, 19.
(*l*) I. Reg. XVII, 54.
(*m*) Ib. XXI, 1-9.

perfugium (*a*), tum Saulis interitus (*b*), bifariam, diverseque exponitur, quod varium deprehendit auctorem, neque plenissimam fidem merentem.

CXIII. Haec tamen nullo negotio componuntur. Nomina הֵיכַל יְהוָֹה *templum*, et בֵּית־יְהוָֹה *domus Dei* tabernaculum foederis invenisse praescripsimus (*c*), proindeque et privatae domui accommodata, ubi arca et tabernaculum ad tempus hospitarentur; iam enim inde a Iosuae temporibus, Chananaeis debellatis, haud amplius in castris sub dio arca commorabatur, sed primum Silo (*d*), dein Cariathiarim (*e*), postremum a Davide Ierusalem translata (*f*), nunquam tamen firmam, stabilemque sedem habuerat, neque in domum ad id exstructam fuerat recepta: qualis scilicet reipublicae eadem propemodum et arcae conditio fuerat, nunc vero rebus domi bellique compositis, iactis perpetuae monarchiae fundamentis aedes Deo condigna erat excitanda. – Samuel, quoad vixit, iudicis partes explevit in Ramatha quam incolebat, praeterea in Bethel, Galgala et Masphath, quae loca per singulos annos iudicaturus circuibat (*g*); at cum annis

(*a*) Conf. I. Reg. xxiii, 19 - xxiv, 23 cum xxvi et xxi, 10 seqq. cum xxvii, 2 seqq.

(*b*) Conf. I. Reg. xxxi, 4-5 cum II. Reg. I, 6-10.

(*c*) V. pag. 19, conf. ps. v, 8.

(*d*) Ios. xviii, 1, xix, 51.

(*e*) I. Reg. vii, 1 seqq.

(*f*) II. Reg. vi, 2 seqq.

(*g*) I. Reg. vii, 15-17 conf. xii, 2. praecipue attendenda sunt verba: *usque in diem hanc.*

iam gravis longissime progredi non valeret, Bersabee, oppido in australibus Palaestinae finibus sito, vicaria filiorum opera utebatur (*a*), quos profecto in muneris communionem, nequaquam in officii successionem fuisse adoptatos vel ex eo liquet, quod sive de rege eligendo, sive de praelio cum hostibus ineundo deinceps ageretur, populus et princeps unum illum adibant (*b*), aut praestolabantur (*c*), eius mandata atque consilia veneraturi. – Filiorum Samuelis iniquitas non causa sed occasio fuit, cur Hebraei regem expeterent, nimirum, cum Naas Ammonites bellum compararet, quod, ne mense quidem a Saulis electione interiecto, cum Hebraeis gessit, isti humano potiusquam divino praesidio confisi, iudicis senectute, eiusque filiorum perversitate divinae opis diffidentiam colorarunt; revera Samuel Saulem electurus Hebraeis exprobrat, quod Deum principem detrectaverint, qui iudicum ministerio rempublicam omni exemerat necessitate (*d*), neque Hebraei divinam Saulis electionem ad unum omnes ratam habuerunt, nisi postquam, Ammonitis debellatis, hanc ille insigni victoria confirmavit, tunc solemni ritu a Samuele consecratus, et populo acclamante rex denuo salutatus est (*e*). – Cum senex Isai (*f*), filiis natu

(*a*) I. Reg. VIII, 2.
(*b*) Ib. VIII, 4.
(*c*) Ib. XIII, 8.
(*d*) Ib. XII, 10-11.
(*e*) Ib. XI, 12-15.
(*f*) Ib. XVII, 12 seqq.

maioribus ad signa vocatis, minimi opera ad gregis custodiam indigeret; contrario rex, qui ad vesaniam temperandam aulicorum hortatu eumdem accersiverat, nunc, bello ingruente, armorum strepitum atque tumultum musicis concentibus praeponeret, satiusque haberet caede èt sanguine furentem animum explere, quam fidium blandimentis delenire; Davidem psallendi potiusquam bellandi peritum, regiis armis ferendis, ut puer aulicus, at nondum, ut miles, iisdem tractandis atque induendis assuetum, domum ad tempus ablegaverat; hic vero ad fratres cum commeatu a parente remissus, Philisthaei thrasonis iactatione indignatus, qui maledictis Hebraeos lacessens, horum strenuissimos ad pugnam provocabat, singulare certamen cum eo inire constituit: veritus tamen ne, prae militiae ruditate et humili conditione (*a*), tam immani periculo subeundo impar, amplissimoque proposito praemio indignus haberetur, Saulem non audet adire; ad ipsum adductus, puer audit, rudis nempe et inexercitatus, neque enim aetate puer gravi proceri Saulis armatura, nisi per ludibrium fuisset indutus, quam ipse exuit, non quod sibi incongrua esset aut onerosa, sed quia, insueta, gradienti erat impedimento; quamquam autem firma iam esset aetate et plurimum robore, viribusque praestaret, imo et Saulis armiger fuisset, novus tamen miles et tiro praepotenti atque exercitatissimo haud aequi-

(*a*) I. Reg. XVIII, 18.

parandus videbatur. Ceterum, Davidem Sauli iampridem cognitum, sed et familiarem fuisse inde efficitur, quod iste hominem ignotum, necdum ulla virtute insignem propria galea atque lorica haud honestasset; quapropter si modo curiosius in Davidis originem inquisivit, non id propterea factum, quod tunc primum illum nosset, aut nil unquam de eiusdem parente audiisset, sed quia de utriusque conditione parum antea sollicitus, nunc impraesentiarum, cum victor a certamine excedens, et regis gener crat futurus, et patria eius domus ab omni tributorum praestatione liberanda (*a*), opportunum duxit eiusdem natales accuratius perscrutari (*b*), quos, praeter opinionem, neque humillimos, neque ignobiles iam fortassis praesumebat incredulus rex, ratus enim humana potius quam divina virtute victoriam de Philisthaeo esse reportandam, sicuti optimis pridem armis iuvenem instruxerat, ita nunc ex eius magnanimitate stirpis generositatem augurabatur, secus aegro animo, quippe ambitiosus, filiam nuptum eidem licet victori collocavisset. Id sane David, etiam post Philisthaeum devictum, subverebatur, quare proposito praemio frustratus, inlatam sibi iniuriam, quippe modestissi-

(*a*) I. Reg. XVII, 25.

(*b*) Idcirco non quaesivit *quisnam puer iste*, מִי־זֶה הַנַּעַר sed *cuiusnam filius esset*, בֶּן־מִי־זֶה הַנַּעַר (vv. 55-56); verum est, quod ex praeciso Davidis responso (v. 58) parum profecisset, at plura illum fuisse locutum ex v. 1. cap. seq. argumentamur.

mus, nec minimum conquestus est, atque tum Sauli, tum aulicis, eius nomine, ad regiarum nuptiarum spem ipsum excitantibus, ut oblatam quamlibet opportunitatem fortibus et egregiis factis illas demerendi alacriter arripiens, vitam invido principi exosam periclitaretur, ingenuus ipse respondebat, ne flagrantissimi voti compos fieret, generis obscuritate, infimaque fortuna prohiberi; nam, ex more antiquitus universim recepto (*a*), virginem desponsurus dotem et munera honestae illius conditioni accommodata eiusdem parentibus exsolvebat; a qua tamen conditione perfidus rex Davidem liberavit, cum altera ancipiti atque subturpi commutans centum Philisthaeorum praeputia numerandi, quam ille pro ingenti quo Michol deperibat amore, et singulari virtute confestim, et praeter Saulis spem incolumis praestans, contumacem et vilem eius animum metu et necessitate ad promissi exsolutionem adegit (*b*). Porro errant qui con-

(*a*) V. Gen. XXIX, 18. XXXIV, 12. Hom. Odyss. VIII. v. 318. Aristoteles, Politic. lib. II. cap. 8. Ælianus, Var. Hist. lib. IV. cap. 1. Tacitus, de moribus Germanorum c. 18. Idipsum nostris adhuc temporibus apud Turcas et Persas obtinere tradunt Thévenot, Voyage au Levant lib. I. cap. 46. Niebuhr, Reisebeschreib. II. Band, S. 420.

(*b*) Ineptiunt idcirco qui rursus hanc alteram pericopam (XVIII, 17-19 et partim 21) vellent expunctam, tum propterea quod in Codice Vaticano LXX versionis desideretur, tum etiam eo quod David regis puellae nuptias respuere (v. 18) videatur, nec nisi exoratus iisdem assentiri (21, 22), cum interim perdite Michol adamaret; praeterea, quod Merob nimis provecta esset aetate (XIV, 49) quam ut Davidi iuniori pater illam desponderet; postremum quod modo isthaec, modo Michol (II. Reg. XXI, 8) Hadrieli nupsisse dicantur. Ex dictis namque

tendunt, Davidem, antequam cum Goliatho congrederetur, iam tum militiae praefectum egregia bellicae virtutis specimina edidisse, haec enim non ante Goliathum interemptum contigerunt; quod vero nonnulla hic hysteron proteron dicantur, haec neque varium, neque falsum deprehendunt auctorem, quandoquidem hysterologia hagiographorum scopo haud adversatur; ideo autem scriptor mulieres Davidem victorem acclamantes inducit, eumdemque una propter praeclaras res gestas populo gratissimum facit, licet haec tempore discreta sint, quia rerum potiusquam temporis rationes secutus omnia simul connectit, unde Saulis in Davidem irae, simultates, originem et incrementa sumserunt (*a*). – David caput giganti praecisum non in

patet, Davidem ob incredibilem modestiam, rem optatissimam, sibique debitam ferme desperasse; insuper Merob, non quidem filiorum, sed puellarum Saulis natu maior, Davidis aequalis esse potuit; ultimum locum II. Regum corruptum esse fatemur, et legendum Merab pro Michol, ita nempe in binis hebraicis codicibus legitur (V. Derossi Var. lect. in h. l.); consentiunt Syrus et Arabs qui legunt Nedab, quod procul dubio ex vitiosa scriptione pro Merab ortum est. Postrema verba v. 21 si recte interpreteris, nullam faciunt difficultatem, vel enim hebraicum vocabulum בִּשְׁתַּיִם reddis *rursus*, *denuo*, subaudito פְּעָמִים ut Iob. XXXIII, 14. Neh. XIII, 20, vel pro שֵׁנִית *secunda* filia nempe, aut conditione, ita ut sensus sit: *quod tibi iam semel fueram pollicitus, hac altera vice vere persolvam*; vel: *secundam filiarum mearum tibi despondebo*; vel demum: *si hoc alterum praestiteris, centum scilicet Philisthaeorum interimas, gener meus eris.*

(*a*) Perperam proinde pericopa XVII, 12-31 a nonnullis * uti insititia vel alterius narrationis segmentum habetur; nam cum eo

* De Wette, Einleit. §. 179. Eichhorn, Einl. 3. B. S. 516. ff.

arcem Iebusaeorum, sed in Ierusalem Beniamitarum et Iudaeorum suorum contribulium propriam transportavit, arma vero quae primum domum detulerat, deinceps Nobe sacerdotibus commendavit, sive quod apud ipsos propter Saulis invidentiam magis in tuto essent, sive propter grati animi significationem victoriam Deo acceptam referentis. – Adeodatus Goliathi cognominem (*a*), eiusque (אָח) fratrem (*b*) affinem, ex eadem stirpe Arapha (*c*) prognatum interfecit: en quomodo omnia apte simul componantur, quaeque ab uno scriptore interdum omissa sunt, ab eodem vel ab altero perscribantur; quam temere propterea manifestae repugnantiae, aut alterius auctoris indicia Gesenius (*d*) et De Wettius (*e*) hîc deprehendant! – Quod spectat ad Davidem semel et iterum a Saule ad necem quaesitum, sibique a vindicta temperantem, aut ad Achis divertentem, haec gemina quidem, at neque contraria, nec eadem sunt, sed in paucis conveniunt, in pluribus distant, nullaque ex parte repugnant; sane quod invidus Saul plus vice sim-

quod nullibi praeterquam in Codice Vaticano LXX versionis desideratur, tum apprime contextui cohaeret. Accedit quod, illa sublata, nequaquam v. 11 cum 32 connecteretur, dein vv. 12, 15 et 23 ad praecedentem narrationem respiciunt, postremo, v. 2. c. XVIII, ostendit obliquo, Davidem Saulis aulam primum adiisse, postmodum inde discessum (XVII, 15), eo denuo remeasse, haud amplius dimittendum.

(*a*) II. Reg. XXI, 19.

(*b*) I. Paralip. XX, 5.

(*c*) II. Reg. XXI, 16-18.

(*d*) In Thesauro, sub voc. גָּלְיָת et אֶלְחָנָן.

(*e*) Einleit. § 179.

plici Davidem aemulum sit insecutus, hic vero generosus inimico capitali pepercerit, utriusque ingenio apprime respondet; at enim uterque eventus dissimilis est, nam cum eo quod prima vice Philisthaeorum incursus Saulem, quominus Davidem insectaretur, interpellavit (*a*), neque locorum, neque adiunctorum conditio consentit; siquidem modo David in ea collis Hachilae parte quae deserti meridiem (*b*), modo in altera quae eius orientem spectat (*c*), latitavit; nunc Sauli in antro, uni, dieque commoranti clamydis oram abscindens, ab ipso exoratus nullam se de eius posteris ultionem sumturum spopondit, neque ex viciniis discedit (*d*); nunc regi in tentorio cum suis recubanti hastam et scyphum surripiens, exinde confestim aufugit (*e*); praeterea duplicem eventum fuisse et inde coniiceres, quod David Abneri et sociorum ignaviam et securitatem acriter reprehendit (*f*), nempe, ut videtur, quia bis eadem peccaverant. – Tandem Saulis interitus paullo quidem aliter, at non diverse in utroque libro exponitur; scio equidem, Interpretes pene omnes Amalecitae narrationem discrepantiae et mendacii coarguere, et historicum laudare quod ad verbum illius falsiloquium retulerit; verumtamen

(*a*) I. Reg. XXIII, 27-28.
(*b*) Ib. 24.
(*c*) Ib. XXVI, 1.
(*d*) Ib. XXIV, 4-23.
(*e*) Ib. XXVI, 5. – XXVII, 1.
(*f*) Ib. 15-16.

nescio cuinam fundamento innitantur, neque enim quae alia, ideo et pugnantia necessario dicenda sunt. Atqui, aiunt, Amalecites Saulem hastae incumbentem et etiam nunc vivum (*a*) se vidisse testatus est, quem novimus proprio gladio transfossum confestim obiisse (*b*). Nempe, repono, Saul sagittis, iaculisve transverberatus (*c*), armigero impium officium recusante, suo se ense traiecit, quod cum ille vidisset, arbitratus regem illico mortuum, aut iamiam certissime moriturum, semetipsum interemit; tum Amalecites superveniens Saulem in extremis, nondum tamen exhalantem, ab eodem rogatus confecit; cum autem et hostile forsan missile telum corpori infixum vidisset, putavit propriae hastae (breviori scilicet) ipsum incubuisse. Haec adeo obvia, ut mirandum sit nemini adhuc, quod sciam, in mentem venisse.

CXIV. Nunc et alia ab adversariis subduntur, tamquam pugnantia simul et absurda; in primis falsae aut exaggeratae temporum, numerorum, et ponderum rationes: nimirum quinquaginta et amplius Bethsamitarum millia, propter arcam inspectam, interemta dicuntur (*d*); quot nempe non solum in illo oppidulo, sed ne in agro quidem circumiecto esse potuerunt, nedum ulli exstinctis de-

(*a*) II. Reg. I, 6-9.
(*b*) I. Reg. XXXI, 4-5.
(*c*) Ib. v. 3.
(*d*) I. Reg. VI, 19.

flendis superesse (*a*). *Filius unius anni*, dicitur, *Saul cum regnare coepisset*, et biennio regnavisse (*b*); at absonum, anniculum regni habenas capessere, Paulo autem teste (*c*), quadraginta annorum spatio Hebraeis Saul imperitavit. Philisthaeis triginta curruum millia assignantur (*d*), quot scilicet ne latissima quidem et florentissima regna unquam habuerunt, nedum angusta et montuosa regio complecti potuisset; Saul vero trecenta (*e*), imo David plusquam quindecies centena militum millia recensuit (*f*), unde, calculo subducto, incredibilis summa conflatur circiter sexagies centena hominum millia, quibus universa Hebraeorum gens Davidis aetate constitisset. Interim Saul, qui dudum ingenti exercitu Ammonitas fugaverat, nunc vix sexcentos milites reliquos habet, eosque inermes, quibus Philisthaeos adoriatur (*g*); qui iamdiu a Samuele devicti, et ab Hebraeorum finibus transgrediendis metu prohibiti (*h*), mox tamen, et passim praesidia in Palaestina collocare (*i*), Hebraeosque armis interdicere (*k*), praeterea tantum in ipsos terrorem

(*a*) I. Reg. VI, 19.
(*b*) Ib. XIII, I.
(*c*) Act. XIII, 21.
(*d*) I. Reg. XIII, 5.
(*e*) Ib. XI, 8.
(*f*) II. Reg. XXIV, 9 coll. cum I. Paralip. XXI, 5.
(*g*) I. Reg. XIII, 15.
(*h*) Ib. VII, 13.
(*i*) Ib. XIII, 3.
(*k*) Ib. 19-23.

incutere potuerunt, ut isti hac illac diffugientes in *antris*, et *cisternis* (*a*) se abderent; verum, cum primum Ionathan eiusque armigerum, quos ad pugnam lacessiverant, adventantes conspexerunt, terga vertunt praecipites, et secum invicem digladiantur (*b*). Goliath tantae proceritatis fuit, ut duplo iustam staturam excederet (*c*), talis eiusdem armatura, ut, rationibus computatis, trecentas libras pependisse videatur; nihilominus gigantis gladius semel et iterum Davidi tractabilis (*d*). Diadema, quod David regi Ammonitarum direptum capite gestavit, centumquinquaginta ponderis (*e*) fuit, mirum quam immane! Absalomis capillamentum quotannis detonsum octo cum triente pondo erat (*f*), quod aeque incredibile ac illum, crine ramis quercus implicito, diu suspensum permansisse (*g*).

CXV. Haec numero plurima, pondere minima haud multo negotio disiicimus; et primum, quod ad absurdas temporis, numerorum, ponderum rationes animadvertimus, si tales re ipsa essent, criticam potius textus integritatem quam historicam aut divinam libri auctoritatem labefactare; cum enim amanuenses et librarii, vel religiosissimi, in

(*a*) I. Reg. XIII, 6.
(*b*) Ib. XIV, 12-15.
(*c*) Ib. XVII, 4-7.
(*d*) Ib. 51. XXI, 9.
(*e*) II. Reg. XII, 30.
(*f*) Ib. XIV, 26.
(*g*) Ib. XVIII, 9.

multis tamen, quippe homines, praesertim vero in numeris describendis identidem labantur, praestaret horum errorem causari, quam apertae falsitatis probatissimum historicum insimulare. Hisce praescriptis, libenter damus tot Bethsamitarum millia non occubuisse, nam septuaginta, et quinquaginta millia haud una simul connectuntur; alioquin auctor minorem numerum maiori, adhibita coniunctione ו *et*, subiecisset, et semel tantum vocabulum אִישׁ *vir* usurpasset (*a*); cum igitur duo discreti numeri sint, ratio alterius ad alterum quaerenda est, et multiplex suppetit: sunt enim (*b*), qui voci חֲמִשִּׁים *quinquaginta* praemittendam subaudiant particulam כְּ *sicut*, cuius ellipsis multa ex sacris literis exempla producunt (*c*), atque hanc inde sententiam eliciant: peremtos fuisse septuaginta viros, qui civili aut bellica virtute quinquaginta millia aequipararent, puta civitatis seniores, supremum eiusdem magistratum; alii particulam מִ *ex*, *de* subaudiunt, vocibus חֲמִשִּׁים *quinquaginta* (*d*), vel *millia* אֶלֶף (*e*) praelocandam (quam ellipsin S. Scripturarum usu (*f*) et ipsi confirmant), ita ut sensus sit: ex quinquaginta

(*a*) Nempe scribendum foret: חֲמִשִּׁים אֶלֶף וְשִׁבְעִים אִישׁ quinquaginta millia et septuaginta viros.

(*b*) Derossi, Var. lect. in h. l.

(*c*) I. Reg. XVIII, 7; Eccli. XLVII, 7; Ps. X, I.

(*d*) Clericus, in h. l.

(*e*) Bochartus, Hierozoicon, p. I, p. 370.

(*f*) Ex. XIX, 12; XXXVII, 8, 19, 34, 35; Ios. X, 13; I. Reg. XXVI, 13, II. Reg. XXIII, 24; IV. Reg. XVII, 24.

millibus septuaginta viros, vel quinquaginta ex singulis millibus periisse, ex quo consequeretur, Bethsamitarum numerum ex mille et quadringentis hominibus constitisse. Cui postremae sententiae et illorum (*a*) quamsimillima est, qui vocabulo אֶלֶף, quod *mille* et *familiam* (*b*) designat, hac altera significatione accepto, nihil addentes neque subaudientes, unius tantum literae alia collocatione (*c*), ita locum interpretantur, ut quintus ex uniuscuiusque familia occubuerit; qui numerus quamdam haberet proportionem cum quinis illis Philistaeorum donariis, quae curiosius fortassis atque superstitiosius ab Hebraeorum plurimis inspecta fuissent. Quamcumque profecto ex hisce interpretationibus sequaris, nec incredibilis interemptorum numerus exsistit, nec comparate ad personarum aut loci conditionem ita exiguus, ut magnopere concivibus non fuerit lugendus. Nos tamen dum illorum Interpretum solertiam et sagacitatem demiramur, hisce nimis exquisitis planiora, et ni maxime fallimur, probabiliora praeponimus, septuaginta scilicet viros, et quinquaginta millia obiisse fatemur, et ne verbum quidem in orationis contextu immutandum esse arbitramur, verum cum in prima laudati commatis (*d*) parte *Bethsamitae* a *populo* accurate secernantur, « percussit autem de viris Bethsamitis . . .

(*a*) Bohn, Dereser in h. l.
(*b*) Iud. VI, 15; I. Reg. X, 19, XXIII, 23.
(*c*) Nempe loco חֲמִשִּׁים אֶלֶף אִישׁ legunt חֲמִשִּׁי מֵאֶלֶף אִישׁ
(*d*) I. Reg. VI, 19.

» et percussit de populo, » alteram ita distinguimus, ut *septuaginta viros* Bethsamitis, *quinquaginta millia* populo (*a*), hoc est Hebraeis in universum assignemus, qui ingentem hanc ruinam defleverint; haec itaque erit vexatissimi huiusce loci simplicissima expositio: propter arcam temere inspectam, septuaginta Bethsamitas, aliorum autem Hebraeorum, magno numero illam invisentium, quinquaginta millia cecidisse. Atqui, repones, cum septuaginta illi Bethsamitae excisi sunt, viri Cariathiarim loco proximi arcae reditum adhuc ignorabant, nedum remotiores undique illam invisuri confluerent. Hoc assentimus; at ex eo quod auctor Bethsamitarum et reliquorum cladem una describat, sequiturne haec neutiquam tempore fuisse discreta? Minime; potuit enim scriptor (quod hagiographis usitatum iterum iterumque monemus) per prolepsim ea praecipere, quae nonnisi post adventum virorum Cariathiarim contigerunt; nuntiis videlicet ad eos missis, et rei fama ad reliquos omnes perlata, ingens populi multitudo Bethsames primum, postea per multos dies Cariathiarim undiqueversum convenit, quin eam cohibuerit Bethsamitarum interitus; hunc enim primo ut merum indicium habitum est, quod arca alio esset avehenda; at cum plures indiscriminatim, cuiusvis urbis oppidive incolae, serius ocius mortifera clade peremti sunt, rem accuratius investigantes, id in sacrilegae curiositatis poenam evenisse, hoc aliisque signis tutissime sunt argumentati. —

(*a*) Ne *populi* nomine cum nonnullis Interpretibus Philisthaeos intelligamus, quos recens lues fuerat depopulata, orationis textu prohibemur.

Cap. XIII, v. 1, aetas Saulis non definitur, sed quo anno insequentia contigerint, determinatur; scriptoris itaque sententia ad hebraicam veritatem non verbo, sed re expressam ita latine interpretanda: « iam annum Saul expleverat, ex quo primum rex fuerat creatus (per duos autem annos regnavit), cum satellitium sibi delegit; » at enim quae a Saule gesta sunt, biennio perfici potuisse, subductis rationibus verisimillimum apparet (*a*); Paulus autem (*b*) spatio XL annorum non modo Saulis regnum, sed et Samuelis iudicatum complectitur. — De reliquo prudens criticus, cui haec minus probarentur, magis mendosum diceret locum, et integrum annorum numerum, temporis aut amanuensium vitio excidisse, quam manifestae absurditatis probatum historicum arguere. — Eadem ratione posset quis, cum Syro et Arabe interpretibus, pro triginta curruum millibus, tria tantummodo Philisthaeis assignare; librariorum nimirum industriam, potiusquam scriptoris fidem hîc periclitari inde patet, quod secus equitum numerum, quorum sex millia tantum ipse recenset, aeque profecto exaggerasset, ut hunc inter atque curruum numerum iusta servaretur proportio; at enim cum vox רֶכֶב *currus* interdum tum equos curribus iunctos (*c*), tum milites iisdem insistentes significet (*d*), quorum deni, ut

(*a*) V. Tirin. Chron. Sacr. capp. 26, 27.
(*b*) Act. XIII, 20-21.
(*c*) II. Reg. VIII, 4.
(*d*) Ib. X, 18.

videtur (*a*), curribus singulis accensebantur; cum insuper, non modo ex Philisthaeis, sed et ex Tyriis (*b*), imo forsitan et ex Aegyptiis (*c*), quorum in monumentis magna militum pars bigis insidens comparet (*d*), immensa illa hostium multitudo (*e*) coalesceret, haud sane mirandum erit si, viribus collatis, tria curruum millia variae illae gentes adversus Hebraeos produxerint. Porro trecenta Saulis, et sexagies centena militum millia quos David recensuit, ille tantum stupebit, qui nesciat, Palaestinam tunc temporis, tum propter naturalem soli ubertatem, cultumque solertem, tum ob simpliciorem vivendi rationem, quae per eam aetatem universim obtinebat, incolis quamfrequentissimam fuisse (*f*);

(*a*) Hac nempe ratione septingenti currus, qui in mox laudato loco numerantur, septem millibus respondent, qui I. Paralip. XIX, 18 recensentur.

(*b*) Eccli. XLVI, 21.

(*c*) Quorum colonia erant Philisthaei, Gen. X, 14.

(*d*) I. Reg. XIII, 5.

(*e*) Rosellini, I Monumenti dell'Egitto, e della Nubia, Mon. Stor. Tavol. 46-49, 102 segg. Wilkinson, Manners and customs of the ancient Egyptians, Vol. I, 338 seq.

(*f*) Sane Iosephi aetate, una Galilaeae provincia ex ducentis et amplius urbibus, oppidisve, multis eorum munitissimis, constabat; maxima vero urbium centum et quinquaginta, minimum oppidorum quindecim saltem hominum millia complectebatur; cumque diutinum iam bellum exarsisset, nihilominus centum inde tironum millia adhuc ille conscripsit. De Bell. Iud. lib. XX, 5, 6. Confer ib. lib. III, c. 3, c. X, § 8, lib. IV, c. 8, § 2-3. Antiq. lib. VIII, 2, XV, 5. Consentiunt inter veteres Tacitus, Hist. V, 6. Ammianus Marcellinus, XIV, 8; ex recentioribus itineratores fere omnes, quos vide penes Iahnium, Biblische Archaeolog. 1. Th. 1. B. S. 178, et Guénée, *Mémoires sur la fertilité de la Judée.* Unum memorare sufficiat Volney, *Voyage en Égypte, et en Syrie*, 6.[e] édit. tom. 3, p. 86-88.

militum autem nomine, non modo homines longo armorum usu exercitatos, sed quotquot iisdem ferendis essent idonei, significari (*a*), qui ad hostes propulsandos tumultuario coacti, re confecta domum dimittebantur (*b*); quapropter Saul nonnisi tria (*c*), David ducentum octoginta millia legionariorum militum habuit, quorum vigintiquatuor millia dumtaxat alternatim per singulos menses in variis praesidiis collocabantur (*d*). Accedit quod ingens horum numerus, non solum ex Hebraeis, sed et forsitan ex finitimis quos David tributarios fecerat, constiterit; praeterea et haec probabilis suppetit enormis saepe Hebraeorum exercitus ratio, quod nempe non servi, sed cives, neque mercede conducti, sed patrio amore inflammati, pro eiusdem incolumitate suorumque salute, non ad impotentem tyranni cuiusdam libidinem explendam dimicaturi, ad unum omnes saepe numero ad arma convolabant. Scilicet alias quamplurimi, pauciores aliquando cum hostibus congredebantur, pro discriminis magnitudine in quo respublica versaretur, aut foederis firmitate qua cives una simul alliga-

(*a*) Num. xxvi. Hoc sensu profecto accipienda sunt innumera illa militum millia, quae passim apud veteres scriptores in aciem prodiisse legimus; sic trecenta Sybaritarum millia, a centum Crotoniatum millibus in fugam versi dicuntur, quae civium in utraque urbe frequentia et fidem iis conciliat quae superius de Palaestinae incolis dicta sunt. Diod. Sicul. Biblioth. lib. xii, c. 6.

(*b*) i. Reg. xiii, 2. Germani Landwehr, Galli *garde nationale*, nostrates *milizie* dicerent.

(*c*) Ib.

(*d*) i. Paralip. xxvii, 1.

rentur. Cum igitur Naas Ammonitarum rex extremum exitium Iabesitis intenderet, fratrum conditionem ceteri Hebraeorum miserati, Saulis exemplo generosiores incensi, ignavi eiusdem minationibus incitati, *egressi sunt quasi vir unus* (*a*), plurimi nempe, atque concordes, et impetu facto Ammonitas profligarunt. Pariter, cum caesam a Ionathane Philisthaeorum in Gabaa stationem exaudierunt, magnis spiritibus sumptis, in absolutam se libertatem vindicaturi Hebraeorum quamplures illico Saulem alacres secuti sunt, at mox hostilium copiarum, equitum et curruum multitudine perterriti, primum Transiordanenses, quibus parum aut nihil a Philisthaeorum incursibus erat pertimescendum, redire domum; reliqui deinceps antiquam atque diuturnam captivitatem potiusquam recentem victoriam repetentes, animo concidere, dein Samuelis cunctatione despondere, singillatim dilabi, ac latebras quaeritare, praeter sexcentos qui animo invicto Sauli et Ionathae adhaeserunt. Iamvero quod Philisthaei iamdudum a Samuele devicti, auxiliariis praesertim adscitis, bellum rursus instauraverint, haud incredibile est (*b*); caesis enim et fusis, afflictae quidem eorum vires, at non omnino confractae sunt; quare a consuetis quidem irruptionibus

(*a*) I. Reg. XI, 7.

(*b*) Sic postea David primum auxiliarem, dein conductitium, tertio universum Syrorum exercitum haud longo intervallo dissipavit, II. Reg. VIII, 3-8, 12, X, 6-19.

diu (*a*) temperarunt, captasque urbes restituerunt, hac tamen lege, ut Hebraei ab armis tractandis (*b*), acuendis (*c*), abstinerent, Philisthaeorum autem custodiae hic illic collocarentur, quae tum conditionibus servandis caverent, tum ne quidquam contra ipsorum ditionem clarigationis iure Hebraei molirentur. At enim eorum praesidia perinde atque armorum interdictum propius regionem Philisthaeis conterminam, nullatenus remotissimos, cumprimis Transiordanenses attingebat, qui propterea sibi et sociis arma comparare potuissent; sane non omnes prorsus armis destituti fuerunt, sed sexcenti tantum Saulis comites, qui Gabaam fortassis eiusque vicinia incolebant; at Gabaitae plurimum funda valentes (*d*), quique ensibus hastisque carebant, praeustis sudibus, corneis contis atque sagittis, rusticisve, ut Samgar (*e*), instrumentis uti potuerunt. Adde, ad victoriam tunc reportandam non tam armorum genus quam primum ac vehementem congredientium impetum saepe valuisse, et Hebraeo-

(*a*) Hunc nimirum esse horum verborum sensum, *nec apposuerunt ultra ut venirent in terminos Israël*, colligimus ex insequentibus, *facta est manus Domini super Philisthaeos cunctis diebus vitae Samuelis*, quae satis ostendunt, eosdem deinceps Iehovae virtutem adhuc expertos fuisse. Ceterum voces לֹא עוֹד *non amplius*, sicut haec altera לְעוֹלָם *in aeternum* saepe de longo tantum temporis intervallo accipiuntur.

(*b*) Non dissimilis lex, qua Porsena in foedere cum Romanis sanxit, ne ferro nisi in agricultura uterentur. Plinius, lib. XXXIV, c. 14.

(*c*) Sic postea Nabuchodonosor omnes artifices et clausarios Babylonem transvexit, IV. Reg. XXIV, 16.

(*d*) Iud. XX. 16.

(*e*) Ib. III, 31.

rum hostes panico potius timore quam bellica illorum virtute plerumque disiectos fuisse; re quidem vera hac ipsa vice Philisthaeorum manipulus, qui rupe inaccessa tutissimus, Ionathan eiusque armigerum fidenter lacessiverat (*a*), cum primum locorum angustiis atque anfractibus tectos improviso irruentes conspexit, ratus, audax adeo facinus nequaquam illos aggressuros fuisse, nisi pone ipsos et alii plurimi consequerentur, tum ipse praeceps diffugere, tum reliquam indigestam variarum gentium catervam eadem metus contagione inficere; ex metu, mutua suspicio, inde iurgia, caedes exsistere: interea Hebraei, qui ultro aut coacte a partibus Philisthaeorum steterant, discedere, qui in abditis latitabant prorumpere, et exercitum undique perturbatum fundere, disperdere, dissipare. – Quod pertinet ad mensurarum ac ponderum rationes, in re dubia atque obscura adversarii nihil concludere possunt; cum enim Hebraeos quandoque duplici, per idem tempus, maiori ac minori pondere mensuraque usos fuisse certissimum, tum proportio unius ad

(*a*) Ionathanis consilium (1. Reg. XIV, 9-10), qui ad Dei voluntatem experiendam signum ipse deligit atque proponit, a temeritatis aut superstitionis nota facile purgatur; probabile siquidem erat indicium, cum ignavis atque abiectissimis rem sibi futuram, ubi hostes e loco superiori et tuto in aequum contra ipsum eiusque armigerum descendere neutiquam ausi fuissent; repete non omnino dissimile Eliezeri propositum (Gen. XXIV, 14); utrumque porro ratum habuit Deus, quia tum ingenuitas et fides eidem acceptissimae sunt, tum simplicitati ac ruditati nonnihil ignoscit. Quae a profanis scriptoribus desumta proferuntur huius generis exempla (V. Herodot. lib. V, c. 1) specie tenus similia, re ipsa diversissima sunt.

alterum, non omnino exploratissima (*a*); haec vero progressu temporis, ut saepe fit, immutata fuisse, admodum probabile; sane siclus Iosephi aetate (*b*) quatuor drachmas Atticas aequabat, at LXX vocabulum שֶׁקֶל siclum saepe δίδραχμον didrachmum reddiderunt, quae optime conciliantur, ubi siclus ante exsilium babylonicum minoris fuisse ponderis statuatur (*c*). Hisce praescriptis, quod ad immanem Goliathi proceritatem atque armaturam tria animadvertimus; primum, pessime argumentari, qui ex praesenti rerum statu ac conditione remotissima aestimant atque diiudicant, quam amussim non solum in politicis, sed etiam in physicis persaepe fallacem esse geologicae disciplinae incrementa luculentius in dies testantur; plura siquidem nunc pro certo habentur, quae olim delirantis somnia visa fuissent; alterum, antiquissimis temporibus homines quosdam procerrimos ac robustissimos exstitisse, omnium gentium consensione firmari, iis vero quae de Goliatho in sacris literis traduntur, similia magisque stupenda apud probatos profanae antiquitatis scriptores reperiri (*d*); tertium, si ponderis et

(*a*) Iahn, Biblische Archaeologie, 1. Th. II. B. S. 34-60. Winer, Biblisches Realwörterbuch, A. Sekel.

(*b*) Antiq. lib. III, c. 8, § 2.

(*c*) Minoris adhuc ponderis et pretii erat σίκλος, σίγλος Persis usitatus, qui septem obolos cum dimidio continens, ne unam quidem drachmam efficiebat. Xenoph. Anab. lib. I, c. 5, § 6. V. Gesenii Lexic. ad h. l.

(*d*) Pausanias in Attico. Plinius, Hist. nat. lib. VI, c. 34, lib. VII, capp. 2, 16, 19. V. Calmet, *Dissertation sur les géants*.

mensurae rationes paululum contrahantur (quod in re indefinita nemo improbabit, et allata superius argumenta fieri suadent), eius armatura athletae vires non superasset, statura haud multum illorum excessisset, qui aetate proxime superiori in variis Europae tractibus proceritate spectabiles fuerunt (*a*). Utcumque sit, Goliathi gladium praegrandem fuisse noverat Achimelech, qui illum Davidi dubitanter obtulit; senserat David qui, cum alius praesto non esset, necessitate adactus, eumdem arripuit, perinde quippe strenuissimus tractaturus, ac mediae aetatis heroes praelongis illis utebantur, quos utraque manu regebant. Similiter Davidis diadema, et Absalomis capillitium dimidio, aut saltem multo minus, quam opponentes supputent, pependisse, perperam ipsi inficiarentur; ceterum, illa corona ad merum ornatum ac pompam, uti videtur, conflata, rege in solio assidente, eius capiti desuper suspensa imminebat, non imponebatur; Absalomis demum crines solito crassiores multumque prolixos, oleo, ut in Orientis regionibus assolet, delibutos, unguentis concretos, aureo pulvere conspersos (*b*), semel quotannis detonsos, nonnullas libras pondo fuisse, mirum quidem, at non incredibile: neque una caesarie, sed *capite* quercui Absalom dicitur adhaesisse; crine nimirum ramis innodato, et collo fortassis inter arctiores immisso, dum utrumque ten-

(*a*) Dereser, Die heilige Schrift, a. d. O.
(*b*) Ioseph. Antiq. lib. VIII, c. 7, § 3.

tat extricare, mulo interim se subducente, capite manibusque dependet.

CXVI. Reliquum est, ut in unum omnia congeramus, quae ab *Incredulis* aut *Rationalistis* contra libri divinitatem opponuntur; contendunt scilicet, plura in eo enarrari, quae Deum iniustum, mendacem, absurdum, sceleribus patrocinantem faciant. *Iniustum*, quippe ob laudabilem aut saltem ignoscibilem curiositatem, tot hominum millia peremerit (*a*); Ozae arcam nutantem inconsiderate suffulcienti, mortem repentinam intulerit (*b*); Amalecitas propter flagitium quadringentos ante annos ab eorum maioribus perpetratum, exterminandos praeceperit (*c*); propter Gabaonitas iniuste a Saule dudum direptos, enecatos, Hebraeos primum fame, dein innoxios illius filios suspendio confecerit (*d*); rursus ob Davidis fastum, gentem universam pestilentia absumserit (*e*). *Mendacem*, utpote qui regiam dignitatem nunquam Saulis posteris, nisi peccavisset, defuturam asseveraverit (*f*), eamdemque regni perennitatem Davidis soboli pollicitus sit (*g*), cum interim iuxta Iacobi vaticinium uni Iuda oriundi, ad usque Messiae adventum essent regnaturi (*h*);

(*a*) I. Reg. VI, 19.
(*b*) II. Reg. VI, 7.
(*c*) I. Reg. XV, 2, coll. cum Exod. XVII, 8. Deuter. XXV, 17.
(*d*) II. Reg. XXI, 1-9.
(*e*) Ib. XXIV, 1-15.
(*f*) I. Reg. XIII, 13.
(*g*) II. Reg. VII, 12-16.
(*h*) Gen. XLIX, 10.

Davidis autem imperium illico post Salomonem discissum, multo ante ortum Christi defecerit. Sed et praeterea *absurdum*, nam Saul divino spiritu actus nunc fervet pietate (*a*), nunc incenditur ira (*b*); modo rabidus furit (*c*), modo diem et noctem nudus prophetat (*d*); et qui pridem canentium choros offendens confestim saltabat, concinebat, mox ad peritos citharistae modos silens, tacitusque quiescit (*e*); nisi quod interdum magis magisque furens psallentem ipsum tentat confodere (*f*); tandem cum Philisthaeorum incursu respublica in ancipiti versaretur, Dominum consulit, *qui non respondit ei neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas* (*g*); desperatione compulsus ad pythonissam divertit, quae mortuum Samuelem evocat vel invitum (*h*), atque e terrae visceribus erumpentem una ipsa conspicit (*i*), interea dum Saul humi procumbens illum adorat, sibique imminens atque irrevocabile malum minitantem exaudit (*k*); quae quidem omnia sive Deo per summum nefas adscribas, sive daemonis, sagaeve praestigiis ac-

(*a*) I. Reg. x, 10.
(*b*) Ib. xi, 6.
(*c*) Ib. xvi, 14.
(*d*) Ib. xix, 24.
(*e*) Ib. xxi, 16, 23.
(*f*) Ib. xviii, 11, xix, 10.
(*g*) Ib. xxviii, 6.
(*h*) Ib. 15.
(*i*) Ib. 13-14.
(*k*) Ib. 15-20.

censeas, hagiographi auctoritatem omnino perimunt. At peiora sequuntur; hic enim Samuelem et Davidem nullis non laudibus cumulat, qui multis nominibus damnandi sunt: Samuel nempe Iudicis munus affectans, somniaque, visionesque, se puero, habitas praetendens, Heli senectam perturbat, et populi auram captat (*a*); magistratui per aetatem ineptus, hunc deponere renuit; legitimis (*b*) populi votis regem expostulantis obsistit, et tyrannidis metum, necnon Dei indignationem obtendens, populum a proposito studet removere (*c*); cum res cadit incassum, tum Dei consensum et mandatum simulans, regem ipse deligit, cui velificaturus, nedum ulla proposita lege eius tyrannidem praecaveat, hanc solemniter sancit (*d*); spe dominandi frustratus, Saulem regia dignitate abdicat, quam Davidi acerrimo illius aemulo, sibique addictissimo transmittit (*e*), duplex regis crimen causatus; *primum*, quod ante suum adventum, quem Saul diu multumque fuerat praestolatus, ne, plerisque militum e castris iam dilapsis, reliqui ad unum omnes diffugerent, in eius vicem sacra fecerit (*f*); at neque Samuel ipse sacerdos, et Davidis filii, non quidem genere, sed munere sacerdotes dicuntur (*g*), imo Bethsamitae,

(*a*) I. Reg. III.
(*b*) Deuter. XVII, 15.
(*c*) I. Reg. VIII.
(*d*) Ib. X, I, 25.
(*e*) Ib. XIII, 14, XV, 23, XVI, 13.
(*f*) Ib. XIII, 8-9.
(*g*) II. Reg. VIII, 18.

qui absentibus sacerdotibus non modo sacrificaverant, sed, quod nefas, vaccas in holocaustum (*a*) obtulerant, nec minimum hac de causa reprehensi sunt; *alterum*, quod Amalecitarum regi pepercerit, quem ipse ut hostiam piacularem in frusta concidit (*b*). Interim Sauli ob leviora adeo crimina reprobato, virum sufficit *iuxta cor Dei* (*c*), gravioribus scilicet alligatum. Sane David, vir privatus, satellitio sibi ex facinorosis delecto, praedonem agit (*d*), munera denegantibus mortem intentat (*e*); hospitio a Philisthaeis exceptus, incursionem in Hebraeos simulans, vastat illorum socios, nemini parcens ne deprehendatur (*f*); attamen deinceps et contribules suos aggrediendi praereptam sibi occasionem dolet (*g*); malis artibus regnum capessens et servans, Abneri perfidia (*h*) Isbosethum paterno solio depellit; versipellem Chusai submittit, qui fraude et dolo Absalom circumveniat (*i*); ut certam suis imperii successionem faciat, contra datam fidem (*k*), Saulis filios trucidat (*l*), praeter Miphibosethum sibi de-

(*a*) Lev. I, 3, XXII, 19.
(*b*) I. Reg. XV, 32-33.
(*c*) Ib. XIII, 14.
(*d*) Ib. XXII, 2.
(*e*) Ib. XXV, 22.
(*f*) Ib. XXVII, 8-9.
(*g*) Ib. XXVIII, 1, XXIX, 8
(*h*) II. Reg. III, 13-21.
(*i*) Ib. XV, 34.
(*k*) I. Reg. XXIV, 22-23.
(*l*) II. Reg. XXI, 7-9.

ditissimum, quem antea nihilominus iniuste bonis multaverat (*a*); a Ioabo duplicis (*b*) homicidii poenam non audet repetere, Semeio maledico parcit (*c*), utrumque tamen interficiendum Salomoni committit (*d*), quem, successionis legem pervertens, loco Adoniae natu maioris, regni haeredem constituit (*e*); nec modo in suos, sed et in exteros iniustus et ferox, Moabitas devictos pecudum instar demensos, maximam partem neci tradit (*f*); Ammonitas exquisitissimis suppliciis barbare dilaniat (*g*); imperii demum fines prolaturus, universae circum regionis nullo iure potitur.

CXVII. Potiora haec sunt quae ab adversariis proferuntur, quaeque a nobis presse, quoad eius fieri potest, solide tamen refutanda sunt. Dei sanctitatem ab impiorum criminationibus vindicaturi praemittimus, cum eius consilia altissima sint, hominumque captum ex toto aut partim semper excedant, qui unius humanae rationis lance illius agendi rationem expendunt, non solum audaces fieri sed et absurdos; nihilo tamen minus qui animo modesto ac pio historica facta germanae historiae, et sincerae philosophiae lumine admoto scrutetur, cum

(*a*) II. Reg. XVI, 4.

(*b*) Ib. III, 27, XX, 10.

(*c*) II. Reg. XIX, 23.

(*d*) III. Reg. II, 5, 8.

(*e*) Ib. I, 30. Ut uno tenore quae ad Davidem respiciunt exponerentur, commodum visum est nonnulla ex III Regum libro praeoccupare.

(*f*) II. Reg. VIII, 2.

(*g*) Ib. XII, 31.

nonnulla arcana, nec investigabilia, multa tecta, et involuta, tum nihil unquam in ea deprehensurum, quod sincerae Dei notioni adversetur, plura imo quae per se clara et aperta, priora illa aliquatenus illustrent atque declarent. Haec praefati, singula persequimur; et ad primum quod attinet, caveas velim ne ex malorum atque aerumnarum acerbitate, quibus interdum homines premuntur, aut conflictantur, eorum culpam coniicias, eiusque aestimes gravitatem; neque enim omnis calamitas specialis alicuius criminis poena est, aut ipsi adamussim respondet. Re quidem vera Hebraeorum ruditati se se Deus accommodans, augustissimum at simplicissimum suae praesentiae symbolum iisdem fuerat largitus; verum ne apud vulgum sensibus potiusquam mente diiudicantem, aut symbolum cum re commutaretur, aut si nimis obvium atque expositum fuisset, brevi vilesceret; primum illud arcae forma satis prohibuerat, alterum praecaverat mortis poena in omnes, praeter sacerdotes, indicta, qui manibus aut oculis arcam usurpassent (*a*). At enim cum superstitiosiores Hebraei, licet eius mandatis haud obtemperarent, arcae tamen praesidio tutos se atque securos arbitrarentur, permisit Deus, ut in Philisthaeorum potestatem haec deveniret; ne tamen ab utrisque propterea despectui haberetur, hostium audaciam, Hebraeorum incredulam aut temerariam curiositatem acerbe, sed necessario et prodigiose cohibuit: quamobrem nulla-

(*a*) Num. IV, 5, 15, 18-20. Ios. III, 4.

tenus quot Hebraeorum millia tunc occubuerint, neque quam graviter deliquerint, quaerendum est, verum quot interficiendi fuissent, ubi ex imprudenti arcae consideratione ad eiusdem contemtum, ex contemtu ad idololatriam declinantes, criminis omnium gravissimi meritam poenam fuissent daturi. – Similiter Ozae interitus aut nudum fuit imprudentiae infortunium, aut iustissima poena temeritatis; porro alterutrum ad ceteros in officio continendos aeque necessarium. – Amalecitae non modo propter maiorum flagitia, sed potissimum eo quod ab impiis eorum vestigiis neutiquam discessissent, interimendi erant, efferati siquidem praedones, qui omnia circum raptis et latrociniis populabantur, urbibus oppidisque incensis, incolis in servitutem abductis (*a*); penitus autem delendi, cum sat longa experientia constaret, superstites vel pueros, parentum scelera imitaturos; et ne animantibus quidem parcendum, ut Hebraei non tam propriae, quam divinae ultionis ministri, sicut et in ceteris olim Chananaeis exterminandis, haberentur. – Gabaonitarum necis (*b*) nec Hebraei, nec Saulis filii insontes fuerunt; isti pietatis aut reipublicae (*c*) studium simulantes, nisi caedis auctores aut suasores

(*a*) 1. Reg. xxx, 1.

(*b*) Haec caedes hic primum expresse memoratur, at 1. Reg. iv, 3, obliquo innuitur.

(*c*) Perinde ac si, contra Numinis voluntatem, incolumes adhuc Gabaonitae servati fuissent.

fuerint, hanc saltem probavisse videntur (*a*); ut nimirum cum ipsis angusta nimis, prae numero ac dignitate, paterna res esset, occisorum bonis ditarentur; illi foedifragi (*b*) nefarium facinus, aut propter utilitatem (*c*) non improbarunt, aut saltem non prohibuerunt; poenam in opportunum tempus distulit Deus, quam ad legis praescriptum (*d*) Gabaonitae expetiverunt. – Davidis fastus pestilentiae in Hebraeos immissae potius occasio quam causa dicenda est, nam et ipsi crebris splendidisque victoriis quas reportaverant, elatiores animo, et sibi quam Deo fidentiores esse potuerunt; insuper paullo ante contra legitimum regem rebellantes, ingrati et perfidi Absalomis partibus faverant; quamobrem etsi, triplici proposita clade, illam David generosus selegerit, quae utut propter Dei clementiam (*e*), cui plurimum fidebat, minus exitialis, aeque sibi ac populo timenda erat; imo viso Angelo, qui coelo medius, et areae regis Areunae imminens, gladium evaginatum, exitii signum in Ierusalem intendebat, unum se reum, populum insontem professus, hostiam se Deo piacularem professus sit, et omnem eius in se iram derivare precibus obse-

(*a*) I. Reg. XXI, 1 ..... *propter Saul*, וְאֶל־בֵּית הַדָּמִים *et domum eius sanguinum*, nempe eius familiam sanguinis ream.

(*b*) Cf. Ios. IX, 20.

(*c*) Gabaonitarum civitatibus oppidisque tribubus Iuda et Beniamin partim assignatis.

(*d*) Cf. Num. XXXV, 31, 33. Deuter. XIX, 12.

(*e*) I. Reg. XXIV, 14.

craverit, attamen *qui renes et corda scrutatur* (*a*), eius et optimatum poenitentia tactus ipsis pepercit, neque triduanam ruinam ex toto perfecit (*b*). Hac ratione *Dominus zelotes* (*c*), qui prodigiis quamsaepe, aut per manum mulieris (*d*), aut unius vel alterius robore (*e*), aut paucorum militum vi Hebraeorum hostes profuderat, *ne gloriaretur Israël* (*f*), propatereaque Deum oblivisceretur; ut id etiam nunc et in posterum praecaveret, magna neque immerita edita strage, auctorem se vitae, et *exercituum Dominum* luculenter comprobavit (*g*). — Cum Saulis peccatum Deo fuerit praevisum, cur regiam dignitatem, quam Abrahae et Israëlis soboli generatim fuerat pollicitus (*h*), Iudae posteris nequivisset praenuntiare? At Iacobi verba de una tribus perennitate ad Messiae usque adventum intelligenda sunt; Deus autem Davidis et Salomonis stirpi hereditariam regni successionem, non eamdem imperii amplitudi-

(*a*) Ps. VII, 10.

(*b*) Licet hic rerum ordo a narrationis contextu II. Reg. XXIV, 15-18 aliquatenus declinare videatur, nihilominus qui noverit hysterologiam ab hagiographis frequentatam fuisse, utriusque consensum facile deprehendet. Confer et I. Paralip. XXI, 15-17.

(*c*) Ex. XX, 5.

(*d*) Iud. IV, 9.

(*e*) Ib. III, 31, XIII-XVI.

(*f*) Ib. VII, 2.

(*g*) Nonnulli Deum propterea iratum finxerunt, quod populus dimidium siclum pendere detrectaverit, qui occasione recensus Domino erat persolvendus, Ex. XXX, 12-13; alii, quod Davidis consilium fuerit omnes bello aptos agrorum cultui abreptos in legionariorum numeros referre, ad imperii fines longe lateque protelandos; verum hae merae sunt coniecturae.

(*h*) Gen. XVII, 6, XXXV, 11.

nem promisit, sed terreno ac diuturniore (*a*), mysticum vereque aeternum adumbravit. – Vocum רוּחַ אֱלֹהִים *spiritus Domini*, et נִבָּא *prophetare* multiplex est acceptio: prior quemlibet designat vehementiorem affectum, instinctum, afflatum, singulares ingenii, aut corporis dotes, mentis animique virtutes, quarum Deus auctor sit (*b*); altera Dei iussa aperire, futura praedicere, et quia prophetae internam animi commotionem gestu quandoque significabant, qui divinas laudes extemplo dicebant, aut psallendo et saltando cantabant, imo sacrum furorem simulantes, vel morbo furentes ad analogiam הִתְנַבֵּא *prophetare* dicti sunt (*c*); quare iam nemo mirabitur iisdem vocibus varia saepe et diversa significari: Saul nimirum, divino spiritu instinctus atque in alium pene virum commutatus (*d*), modo repentino mentis impetu concitatus, obvio prophetarum (psalmistarum) manipulo socium se adiungens, extemporalia carmina fudit, aut vocis sono, et pedum pulsu eadem scite perinde modulatus est, ac si vel a puero hac arte fuisset imbutus; modo subita contra hostes indignatione commotus, magnis spiritibus sumtis, Hebraeorum exercitum

(*a*) Diuturnitas enim aeternitatis nomine hebraice saepe designatur. V. pag. 258, not. (*a*).

(*b*) Conf. p. 176, n. (*b*).

(*c*) Eadem ratione Graeci et Latini furendi vocabulum (μάντις a μαίνομαι, ut *furor* a *furere*) ad divinum vatum poëtarum impetum referebant. V. Gesenii Thesaurus ad voc. רוּחַ et נָבָא.

(*d*) I. Reg. x, 6, 9.

cogit et ductat; at vix dum huiusce virtutis originem oblitus, hanc sibi nativam et propriam arbitratus, spem victoriae magis in bellantium robore ac numero, quam in Omnipotentis praesidio collocavit, merito eadem destitutus est, eiusque progenies omni ad principatum successionis iure excidit; hac porro abdicatione rex superbissimus magnopere exacerbatus, ex nimia tristitia morbum contraxit, qui identidem illum corripiens, in aestum atque furorem agebat, quem tamen, ut saepe fit (*a*), musici concentus paullulum leniebant, temperabant; verum cum citharistam regni successorem divinitus designatum fuisse intellexit, invidus eius animus psallentis praesentia magis aestuabat, quam doctis eius fidibus levaretur. Hunc regis furorem daemoni attribuendum multorum sententia est, quam falsitatis arguere non audemus, neque tamen verissimam esse pronuntiamus; etenim cum nomine *spiritus Domini*, sicuti modo ostendimus, ipsi animi affectus a Deo moti, aut humanae facultates ab eodem excitatae designentur, *spiritus Dei malus* qui Saulem *exagitabat* (*b*), perversa esse

(*a*) V. ex veteribus Theophrastus περὶ ἐνθουσιασμῶν apud Apollonium, Hist. Mirab. cap. 48; Ælianus, Veter. Hist. lib. XIV, cap. 27; Censorinus, de Die Natali, cap. 12; Macrobius, in Somnium Scipionis, lib. II, cap. 3; Gellius, Noct. Att. lib. IV, c. 3; ex recentioribus Bochartus, Hieroz. P. I, p. 461. seq. Herder, Geist der hebr. Poesie, 2. B. 248. ff. Esquirol, Essai sur les aliénations mentales sous les rapports médical, hygiénique, et médico-légal, Bruxelles 1838.

(*b*) I. Reg. XVI, 14: רוּחַ־רָעָה מֵאֵת יְהֹוָה *spiritus nequam a Domino*; Ib. v, 15: רוּחַ אֱלֹהִים רָעָה *spiritus Dei malus.*

potuit animi affectio, aut mentis perturbatio ex corporis intemperie exsistens, quam Deus sive iubendo per bonos, sive, data venia, per malos Angelos, sive ipse per se directe, aut obliquo exciverit, quippe vita et interitus, sanitas et aegritudo, omnia perinde a Domino temperantur; quod autem hic spiritus Saulem invadisse aut arripuisse dicatur, repentinum quidem, at non externum accessum significat; sic terror, morbus, febris ingruere dicuntur; et excellens Samsonis robur ipsi a nativitate divinitus inditum, identidem in ipsum dicitur irruisse, quoties nempe ullo egregio facinore illud expromebat. Saul igitur livore tabescens, posteaquam bis furens Davidem transfodere frustra tentaverat, mittit satellites qui eum Ramatha abducant, quo apud Samuelem diverterat; at quot mittuntur, totidem sacer vatum instinctus invadit, atque canentibus concinunt, quo furore Saul ipse postremo adventans corripitur; nisi quod olim sui compos et lubens psalmos condebat, nunc vel invitus, menteque mutatus occentat, forsitan una debacchatur et furit; quare mirum non est si, vestibus detractis, nimiaque gesticulatione viribus exhaustus, die nocteque nudus procubuerit; ceterum עָרֹם hebraice (*a*), *nudus* latine saepe de eo dicitur, qui pallio deposito sola tunica vestitus ince-

(*a*) Sic David nudus dicitur ante arcam saltasse, II Reg. VI, 20, cum tamen Ephod lineo esset indutus. Conf. Is. XX, 2, et vocabulum graecum γυμνός apud Ioh. XXI, 7.

dit (*a*); utcumque res sit, hoc factum luculenter ostendit, posse Deum hominum consilia frustrari, neque munera quae hominibus largitur, iis necessario prodesse quibus conferuntur. – Contra Philisthaeos dimicaturus haud pio animo, sed incredulo simul et superstitioso, Deum consulit, qui *peccatores non audit* (*b*), quod eius silentium impatienter ferens ad hariolos declinat, et pythonissam adit, mulierem scilicet daemone fatidico (ut putabant) obsessam, qui per eam quasi per utrem אוֹב loquebatur (*c*); haec autem Saulem nondum fortassis antea conspectum, quippe qui sub regni exordio magos omnes expulerat, vestem praeterea nunc ementitum haud agnovit; at cum primum ob fidem acceptam secura, Samuelis personam tenui et stridula voce (*d*) simulatura, eumdem, praeter spem, adstantem aspexit, rei novitate perterrita simul et edocta, prophetam regis causa se stetisse probe coniecit, et utrumque formidans exclamavit; at pro-

(*a*) Virgil. Georg. I, 239.

(*b*) Ioh. IX, 31, coll. cum B. LXV, 18. Is. I, 15, et IV. Reg. III, 13-14.

(*c*) Apposite propterea LXX ἐγγαστρίμυθον *ventriloquam* reddiderunt; consentit Vulgatus qui vertit *pythonissam*, nam passim ventriloqui pythones audiebant, nomine desumto à dracone Πύθων quem Apollo sagittis interfecerat. Mulieres praesertim hisce praestigiis studuisse constat; vid. Lucan. Pharsal. lib. VI, v. 592. Tibull. lib. I, Eleg. I, v. 45-46. Ovid. Metamorph. lib. VII, v. 199. Horat. lib. I, Satyr. VIII, v. 20. seqq. Virg. Æneid. lib. VI, v. 492. seq. Conf. Ioseph. Flav. Antiq. lib. VI, c. 15.

(*d*) Manes et umbras Graeci τρίζειν, Latini *stridere*, *mussitare* arbitrabantur. V. Homer., Iliad. XXIII, v. 101. Odyss. XXIV, v. 4. seq. Lucian. Menipp. XI; Stat. Thebaid. XII, 770. Claudian. in Rufin. I, 126. Petron., Satyr. XXII, 18. Virg., Æneid. III, 39. seq. Cf. Is. VIII, 19, XXIX, 4.

pter instauratam regis fidem, et innoxium Samuelis habitum animos colligens, insignem quemdam virum (*a*) e terra exsistentem se vidisse affirmavit; non quod illum ex ipsis terrae visceribus prodeuntem conspexerit, sed ob praesumtam de manium sede (*b*) opinionem, inferne erupisse augurata est. Saul porro flexo corpore prophetam veneratus, statimque se se erigens, nec nisi post minas absolutas humi prolapsus, in eiusdem vultum una cum sociis potuit intueri; fac tamen ipsis invisibilem fuisse, at profecto Samuelis vocem reapse ab ipsis exauditam, nec non eius speciem a saga visam fuisse, praeter irrecusabilem Ecclesiastici (*c*) auctoritatem, historici verba (*d*), et universus narrationis contextus suadent; cum enim nil Deo aut Samuele indignum in scenam producitur (*e*), imo huius obiurgatio cum eius ingenio et munere apprime consentit; tum ea

(*a*) Vocabulum אֱלֹהִים interdum iudices et magistratus designat, Exod. XXI, 6; XXII, 28. Ps. LXXXI, 1, 6, CXXXVII, 1; hîc autem non plures viros sed unum singularem significari, colligitur ex verbis Saulis proxime sequentibus: *qualis est forma eius*, I. Reg. XXXIV, 14.

(*b*) Ps. XXIX, 4, LXXXV, 13, LXXXVIII, 49. Prov. XXIII, 14.

(*c*) Eccli. XLVI, 20.

(*d*) I. Reg. XXVIII, 12: « cum autem vidisset mulier Samuelem, » non ergo eum se vidisse visa est, aut simulavit: v. 15-16. « Dixit autem Samuel ad Saul..... Et ait Samuel; » ergo re ipsa locutus est.

(*e*) Verba Samuelis ad Saulem, v. 15: לָמָּה הִרְגַּזְתַּנִי לְהַעֲלוֹת אֹתִי quae Vulgatus vertit: *quare inquietasti me ut suscitarer?* reddenda sunt: *cur in animo habuisti me commovere ac vel invitum evocare?* Haec enim Saulis mens, ipsi cum Ethnicis communis, quam propheta obliquo impietatis atque stultitiae arguit. Confer Gen. XXXVII, 21, et Ex. XII, 48, ubi verba וַיַּצִּלֵהוּ *et liberavit eum*; וְעָשָׂה *et fecit*, Vulgatus egregie vertit: « et *nitebatur* liberare eum; » « et *voluerit* facere. »

ipse praedixit, quae nec probabiliter, nedum tuto praevideri potuissent (qualis crastinus Saulis et filiorum (*a*) interitus), quaeque praestigiatrix muliercula regi furenti iamque in desperationem adducto nequaquam ausa fuisset minitari; verendum secus ne regi perfidioso (*b*) eamdem audaciae lueret poenam, quam dudum ingenuae libertatis dederant Achimelech et Sacerdotes (*c*). Profecto vixdum consternatus ille procubuit, anxia et sollicita accedens tum blandis verbis eumdem solari, tum apposita mensa reficere studuit; nec rei eventum sibi attribuit, sed periculum ostentavit, cui ipsius gratia semet commiserat, artem interdictam aperte profitendo (*d*): unde et illud etiam conficitur, nihil in fraudis confirmationem evenisse; sed quemadmodum olim Deus praeter Balac exspectationem, et Balaami voluntatem, hunc ipsum ad fausta Hebraeis ominanda coëgerat (*e*), et deinceps Ochoziae nuntios, Beelzebub de regis valetudine consulturos, Eliae ministerio interpellans, illam desperatam (*f*) praedixit; ita nunc verum prophetam ficto ac personato submittens, tum praestigiarum inanitatem, tum insana-

(*a*) Cum Endor a montibus Gelboe, ubi Hebraeorum exercitus consederat, haud multum distaret, potuit Saul prima vespere sagam adire, et crastina die summo mane ad castra reversus pugnam cum Philisthaeis conserere. Filiorum Saulis nomine ii tantum intelligendi sunt, quos pater praelii socios habebat.

(*b*) I. Reg. XIX, 6.

(*c*) Ib. XXII, 11-20.

(*d*) Ib. XXVIII, 21.

(*e*) Num. XXIII, XXIV.

(*f*) IV. Reg. I, 1-3.

bilem Saulis contumaciam bono in lumine collocavit. Quid enim regi profuisset divinum per somnia vel sacerdotes responsum, quandoquidem a Samuele admonitus de proxima sui atque filiorum caede, necnon universi Hebraeorum exercitus dissipatione, nedum tantae ruinae propulsandae studuerit, huic se confestim praecipitem dedit, quam ideo Samuel indeclinabilem dixit, quia pervicacissimam noverat regis voluntatem?

CXVIII. Calumnias Samueli impactas facile obterimus; siquidem visionem quam puer habuit, nedum ambitiose confinxerit, nonnisi invitus Heli enarravit, qui nullatenus propterea turbatus est, utpotequi gemina pridem a *viro propheta* (*a*) audiverat, et nimiam in filios indulgentiam absoluta suae ad divinam voluntatem accommodatione aequiparabat (*b*); at puer ingenuus non hoc tantum, sed et aliis plurimis propheticis signis deinceps inclaruit (*c*); neque populi gratiam captavit, sed promeritus est; quamvis enim vulgus mobili sit ingenio, et saepe in contraria studia distrahatur, attamen Samueli magistratum deponenti omnes solemne integritatis, probataeque fidei testimonium reddiderunt (*d*), quamque singulis carus atque acceptissimus fuerit, singulari funeris moerore ac magni-

(*a*) I. Reg. II, 27. seq.
(*b*) Ib. III, 18.
(*c*) Ib. 19-21.
(*d*) Ib. XII, 1-6.

ficentia declararunt (*a*). – Samuelis senium eiusque filiorum avaritia occasio fuit, at causa cur Hebraei regem poposcerint, ex imminenti Ammonitarum incursu repetendam probavimus (*b*); ad quem propulsandum Deum ipsum, nedum Samuelem ineptum verebantur; quasi nempe, ab eorum exitu ex Ægypto ad eam usque aetatem, acerrimos undique hostes alia ac divina virtute devicissent, et Samuel ipse qui dudum Philisthaeos debellaverat, eodem opitulante Deo, Ammonitas profligare nequivisset: hanc impiam atque absurdam Hebraeorum mentem fuisse, tum Deus Samueli aperuit (*c*), tum iste iisdem exprobravit (*d*); hoc uno nomine eos coarguens, quod animo in Deum ingrato atque incredulo regem expetivissent; eos tamen nimis propterea commotos hac spe solatur, fore ut omnia illis prospere eveniant, dummodo et ipsi et rex Deo fideles exsistant. Regis quidem tyrannidem praedicit, at nullomodo sancit; sive enim, ut nonnullis visum est, *lex regis* (*e*) alia omnino fuerit a *lege regni* (*f*), quae mutua iura et officia tum regis, tum populi a Samuele litteris mandata complecteretur, sive utraque unum esset idemque; cum vo-

(*a*) I. Reg. xxv, 1.
(*b*) V. pag. 241.
(*c*) Ib. viii, 7-8.
(*d*) Ib. x, 18-19, xii, 7-12.
(*e*) Ib. viii, 11. מִשְׁפַּט הַמֶּלֶךְ
(*f*) Ib. x. 25 מִשְׁפַּט הַמְּלֻכָה

cabulum hebraicum מִשְׁפָּט ut δίκη apud Graecos (*a*), praeter legem, saepe etiam morem, consuetudinem, modum, vitae rationem significet, apposite Samuel regiae potestatis abusum, multo antea praenuntiatum, in libro descripsisset, quem ad monumentum in sacrario collocasset, ut nullam in posterum Hebraeis hac de re conquerendi idoneam excusationem relinqueret; etenim regem, eorum instar qui ceteris gentibus praeerant, a Deo deprecati, sibi imputandum erat, si quando illorum fastum, libidinem, aviditatem aemulatus, exercitum, et famulatum, luxum et sumtus, vectigalia et census praeter modum esset amplificaturus. Hebraeorum votis annuens Deus, regem ipsis concessit, nec tamen quidquam supremae suae auctoritati derogavit, sed delegatum eidem ministerium commisit; quamobrem non a populo, sed a propheta Dei nomine per sortem, et oraculum erat designandus, hac sane conditione, ut *Regis regum* mandatis ipse omnium primus, in aliorum exemplum obtemperaret; ut autem luculenter appareret, in nulla peculiari regiminis forma, sed in praesenti Dei patrocinio spem omnem salutis esse reponendam, illum selegit, cuius ingenium Hebraeorum indoli respondebat, atque ita eventus moderatus est, ut brevi utrorumque animus periclitaretur. Revera Philisthaeis praelium instaurantibus, Samuel vetat ne Hebraei ante eius adventum pugnam committant, ipso septem ferme

(*a*) Homer. Odyss. IV, v. 691.

dies remorato, interim rex et populus divinae opis diffidit, et hic paullatim dilabitur, ille morae impatiens prophetam praevertens, sacrificat; mox Amalecitis debellatis, praedae amore captus, vilia tantum et abiecta disperdit, pretiosioribus et rege ipso contra anathematis legem reservatis; hac diffidentia et aviditate Deus indignatus, victoria de Philisthaeis Ionathani, eiusque armigero prodigiose concessa, Saulem ab illis acrius persequendis prohibet, et eius stirpem semel et iterum a regni successione deturbat. Hanc vero abdicationem luget Samuel, et deprecatur (*a*), sed frustra, *neque enim Deus homo est, ut agat poenitentiam* (*b*); huius mandatu Davidem consecrat, verum nonnisi post Saulis obitum regnaturum; neque turbarum, aut seditionis auctor vel suasor fuit, sed gratiam apud Saulem initam ad mortem usque integram adeo servavit, ut iste inops consilii atque desperans, illum vel defunctum ceu omnibus cariorem ac fideliorem amicum consuluerit. – Inania porro sunt quae ad Saulis crimina purganda aut extenuanda proferuntur; etenim Samuel filius Levitae qui in monte Ephraim morabatur, parentis voto maturius quam lege teneretur (*c*) templi ministerio addictus, sacerdos quidem non erat, nec unquam sacerdotium affectavit, ipsi tamen utpote prophetae id profecto quandoque fas fuit, quod, data venia,

(*a*) I. Reg. XV, 11, 35.
(*b*) Ib. 29.
(*c*) Num IV, 3, VIII, 24.

Gedeoni, Manue aliisque licuerat; praesertim cum, quamdiu arca Silunte abducta, a tabernaculo secreta, apud privatos hospitata est, quaedam solemnis cultus intercapedo obtinuerit, et iuge apud illam sacrificium cessaverit; Samuel autem quoad vixit, vicaria Dei potestate donatus, rerum summae tum sacrae tum civili, pro variis rerum adiunctis praefuerit. – Neque Davidis filii sacerdotes, sed regis ministri; et hanc enim vocis כֹּהֲנִים potestatem esse probatur ex etymo, quod videtur esse ex radice araba كَهَنَ *res alicuius gerere, ac plena potestate curare;* quare כֹּהֵן generatim ministrum sive Dei, sive regis significat; dubiam autem vocis significationem aut aliquod additamentum, aut contextus ipse declarat (*a*). – Bethsames civitas erat sacerdotalis (*b*); qui arcam e plaustro deposuerunt Levitae audiunt, quo uno nomine et sacerdotes passim designantur; Bethsamitae autem generatim immolavisse dicuntur, quia sacrificiorum oblatores atque participes, et ipsi sacrificare dicebantur (*c*): vaccas sicut et ligna plaustri combusserunt, quia haec arcae contactu fuerant consecrata, sed et alias insuper victimas ad legis amussim Domino obtulerunt. –

(*a*) Sic III. Reg. IV, 5, Zahud *sacerdos* כֹּהֵן ab aliis sacerdotibus כֹּהֲנִים v. 4, distinguitur, et pro regis amico, familiari, רֵעֶה הַמֶּלֶךְ declaratur, quod apprime consentit cum auctore Paralipomenôn, qui lib. I, XVIII, 17 filios Davidis vocat הָרִאשֹׁנִים לְיַד הַמֶּלֶךְ proximos a rege; necnon cum LXX, qui eos vocant *αὐλάρχας*.

(*b*) Ios. XXI.

(*c*) Lev. XVII, 5-8.

Agagum demum Samuel in frustra discidit, non ut sacerdos, sed ut divinae ultionis minister, *coram Domino*, praesente scilicet atque probante numine, cuius mandata ipse exsequebatur; nec indignum propheta ea perficere, quae aliis praestanda praeceperat, quaeque impius rex detrectaverat. Cetero, Saulis criminum gravitas non tam ex re ipsa, quam ex eius adiunctis, et regis mente aestimanda est, qui imperatoris partes sibi sumens, *theocratici* regiminis fundamenta convellebat; alius itaque in eius locum sufficiendus mitioris et modestioris ingenii, qui ad Dei nutum et voluntatem rempublicam moderaretur; qua in re David absolutissimum regis exemplar exhibuit, et hoc sensu *vir iuxta cor Dei* (*a*) dictus est, nullatenus vero, quod nunquam a recto virtutis tramite ne latum quidem unguem discesserit; quamquam, et in iis quae peccavit peropportunum omnibus documentum praebuit, tantam nimirum esse hominum infirmitatem, ut vel ipsi sanctiores, ni Deus prohibeat, in turpissima sint prolapsuri, eorum proinde virtutem Deo acceptam referendam esse; at tantam quoque poenitentiae efficacitatem, ut qui hac sincere ducatur, non solum gravissima scelera expiare, sed ad altiorem, imo summum perfectionis apicem assurgere queat. At enim si adulterium in Bethsabeam, et homicidium in Uriam commissum excipias, cetera quibus David arguitur, nullo negotio aut dissolvuntur, aut

(*a*) Conf. 1. Reg. 11, 35, ubi eadem verba de Sacerdote usurpantur.

excusantur: sane, Davidi extorri plurimi se se adiungunt, quos inopia aut livor domo expulerat: horum ducatum ipse suscipiens, patriae incolumitati et commodo inservit; nam socios in officio continens, dum praedam de hostibus agit, concivium bona tutatur (*a*), imo si quando praeclaram refert et opimam, inter eos etiam dispertitur, apud quos cum suis diverterat (*b*). Nabali modicum viaticum ad vitam cum sociis sustentandam deneganti, subita ira commotus necem intentat, at in ipso furoris aestu, Abigailis prudentia, ad mitiora consilia revocatus Deo gratias agit, quod ultionem sibi reservans, ipsum ab impio facinore prohibuerit (*c*). Apud Philisthaeos profugus ambiguis verbis utitur, at non mentitur, nam Amalecitae proximi erant regioni quam David a se depopulatam ferebat; porro illos ad internecionem persequens, dum propriae studebat incolumitati, etiam Dei iussa exsequebatur (*d*). Ut primo dementiam, ita deinceps hostilem in Hebraeos animum apud regem Achis simulavit, quo omnem a se proditionis suspicionem amoveret, suorumque securitati consuleret, confidens futurum ut, e re nata, callidum aliquod, de more, consilium caperet, quo sibi et concivibus suis prospiceret; quod si alicui haec agendi ratio et minus sincera, et aleae plena, neque ab omni temeritatis,

(*a*) I. Reg. xxv, 15-16.
(*b*) Ib. xxx, 26-31.
(*c*) Ib. xxv, 32-35.
(*d*) Exod. xvii, 8. Deuter. xxv, 17, coll. cum I. Reg. xv, 2. V. pag. 268.

praesumtionis, aut Dei diffidentiae nota immunis esse videatur, meminerit, leviora id genus clementissimum Deum pro temporum ruditate ac simplicitate, et aliis pientissimis viris (*a*) identidem ignovisse. Pariter, ubi David Abneri perfidia aut Chusai mendacio abusus fuisset ad solium occupandum, aut retinendum quod iure divino ad se spectabat, in veritatem quidem, non autem in iustitiam peccasse dicendus esset; at neque perfidus Abner, propterea quod fidem male obligatam fefellerit, potius laudandus, si id non ultionis sed aequitatis studio fecisset; neque David mendacium Chusai suasit, sed totum negotium eiusdem industriae, necnon sacerdotum prudentiae permisit; illi dumtaxat auctor fuit, ut se Absalomis fidelissimum servum profiteretur, et quidem verissime; eius enim impia consilia frustrando, integerrimi familiaris partes explebat. Sauli spoponderat David, nunquam illatam sibi iniuriam ab eius filiis repetiturum, et fidem servavit; neque enim illos ad necem ipse quaesivit, sed alterius criminis conscios, ex divino responso, iure quaerentibus tradidit; at parcens Miphibosetho, animum suum satis luculenter aperuit, nam Ionathanis filius prae ceteris ad spem successionis imperii poterat admoveri; quapropter liberalis et prudentissimus David, dum in parentis gratiam avita bona filio restituit, ne quidpiam novi hic moliretur, eumdem proximum

(*a*) Gen. xx, 2, xxvi, 7.

sibi, atque in ipsa regia commorantem voluit; illum interim, rege profugo, eiusque fortuna declinante, principatum affectasse haud incredibile, nec talis eius excusatio quae Sibam in aperta calumnia revinceret; absurdum quippe, neque alios pueros, nec alios asellos praesto fuisse, quorum opera itineri se committeret: ne igitur in re dubia atque ancipiti, vel Sibae optime de se merito ingratus, vel Miphibosetho parum aut minimum sonti iniustus exsisteret, unum dimidio multans, alteri dimidium restituens, bona aequaliter partitus est. Ioabo strenuo duci, et militibus acceptissimo, de rege haud secus ac de republica benemerenti, rebus diu trepidis, et nondum satis firmis atque compositis, condignam suis sceleribus poenam repetere David prudenter distulerat; Semeio ex animo pepercerat; at praevidens, quae utriusque erat indoles atque ingenium, fore ut serius ocius, pacis otio abutentes, ad res novas consurgerent, Salomonem admonet, ut, data occasione, utrique digna factis rependat. Salomonem natu minorem in regni successorem adoptavit, Adonia posthabito, Deo sic decernente (*a*), quod Adonias ipse fatetur (*b*); eadem ratione Iacob olim Ephraimum Manassi praetulerat (*c*). Moabitis perpetuis Hebraeorum hostibus (*d*) praelio devictis, ut Romani sorte decimarunt,

(*a*) I. Paralip. XXII, 9-10; XXVIII, 5.
(*b*) III. Reg II, 15.
(*c*) Gen. XLVIII, 14, 17-20.
(*d*) Iud. III, 12, I. Reg. XIV, 47.

sic ipse, captivis humi prostratis, fune demensus est quibus necem inferret, aut vitam largiretur; at cum iure gentium omnes ad internecionem caedere potuisset, pluribus parcens, ostendit gravi se necessitate compulsum reliquos interemisse, et Ammonitas crudeliter divexasse; longo nimirum experimento compererat, ferociores et barbaros nonnisi talione opposito coërceri, neque acerbiores de Ammonitis poenas sumsit, quam ipsi de hostibus caperent (*a*). Imperii fines produxit, finitimosque subiecit, non dominandi cupiditate, sed tuendae reipublicae causa; nam qui hanc continuo lacessunt, motus quaerunt, turbas excitant, foedera non servant, illi non ut proximi sed ut hostes habendi sunt, et pacem respuentibus servitus imponenda. De reliquo, fac Davidem tot tantisque bellis implicatum, humanitatis aut iustitiae limites interdum transiliisse, nequaquam hoc nomine Iehovae se probasset, qui regem praeliis assuetum, et multorum sanguine foedatum a templo sibi exstruendo prohibuit (*b*), atque honestissimum hoc munus regi *pacifico* (*c*) demandavit, qui aeternae pacis Sequestrum praesignificaret.

(*a*) Cf. I. Reg. XI, 2, Amos I, 13.
(*b*) I. Paralip. XXII, 8.
(*c*) שְׁלֹמֹה *pacificus*, Salomon.

CAPUT V.

DE DUOBUS POSTERIORIBUS REGUM LIBRIS

ARTICULUS I.

Nomen et scopus, aetas et auctor.

CXIX. Duos posteriores Regum libros unum olim individuum componentes antiquiores Hebraei, nomine desumto ex primis verbis quibus incipiebat, וְהַמֶּלֶךְ דָּוִד *et rex David* appellarunt (*a*); recentiores Alexandrinorum vestigiis insistentes, quos isti Βασιλειῶν τρίτην καὶ τετάρτην, tertium et quartum *Regnorum*, aut (quemadmodum postea Vulgatus) *Regum* Βασιλέων nuncupaverant, et ipsi unum et alterum מְלָכִים Regum dixerunt: haud quidem inepte; cum et perpetua regum hebraeorum series, et variae Iudae et Israëlis regni vicissitudines inibi describantur; minus tamen ad veram scriptoris mentem accommodate, quippequi hagiographum se magis quam historiographum praestans, nequaquam

(*a*) Origenes apud Euseb. Hist. Eccl. lib. VI, c. 25.

politicam cuiusque regis, eiusque dominatus historiam condere, sed, apposito factorum delectu, Dei partes in regum aeque ac gentis conditionibus, pro diversis eorum meritis versandis, declarandas suscepit. Haec vero causa est, cur fusius Israëlitici quam Iudaici regni eventus, quaeque ad prophetale ministerium pertinent libentius persequi videatur; Deus enim apostaticam Israëliticam gentem tum multiplici calamitate, tum frequentiori prophetarum legatione ad cultus sinceritatem morumque integritatem studuit revocare, donec inemendatos et pervicaces Assyriacae captivitati permisit, mox idem exitium Iudaeis allaturus; postquam scilicet a maiorum vestigiis paullatim et ipsi discedentes, rebus semel et iterum per Iosiam et Ezechiam ad breve tantum instauratis, non minus obstinatos et contumaces se ostenderunt. Falluntur propterea, qui scriptorem directo Israëlis, oblique tantum Iudae regni historiam conscribere voluisse augurati sunt (*a*): revera splendidum Salomonis regnum (*b*), et prodigiosa Ioasi (*c*) salus et consecratio, quamquam propheticum munus aut Israëlis vices parum aut nihil attingant, prolixius tamen ab historico exponuntur; quia nempe haec facta huiusmodi sunt, ut praesentem Dei virtutem haud secus revelent, ac si prophetarum opera aut praevisa, aut peracta fuissent; operam idcirco lu-

(*a*) Eichhorn, Einleit. in das A. Test. 3. B. S. 542.

(*b*) III. Reg. I-XI.

(*c*) IV. Reg. XI.

dere mihi videtur Haevernick (*a*), dum in operis contextionem studiose inquirit ut efficiat, scriptori propositum fuisse ostendere, quaenam fuerit ad varios reipublicae eventus sub regibus moderandos prophetarum vis atque efficacia; altius enim hagiographus assurgit, et ad Dei actionem, qua demum cumque via aut ratione ille utatur, unice attendit.

CXX. Haec porro consilii simplicitas, quae in universa narratione elucet, manifesto ostendit hanc uni dumtaxat auctori esse attribuendam, quod et aliis insuper argumentis confirmatur; siquidem in utroque libro initium et exitus cuiusque regni, historici fontes, temporum rationes, Davidis divinis mandatis imitabilis obtemperantia (*b*), diversae legis servatae, aut violatae consecutiones (*c*), cultus depravatio aut sinceritas (*d*), divinarum promissionum aut praedictionum (*e*) complementum, praesertim quae ad Davidicae domus perennitatem (*f*) spectabant, eodem studio, eademque industria accurate designantur, atque iisdem pene verbis quamsaepissime exponuntur; cum demum multa unum, tum nulla indicia sunt, quae varium et multipli-

(*a*) Einleit. 2. Th. 1. Abth. S. 147-150, cui consentit Gesenius, Comment. Ies. I. Th. S. 934.

(*b*) III. Reg. XI, 4, 6; XV, 3, 14; IV. Reg. XX, 3.

(*c*) IV. Reg. X, 31; XIV, 6; XVII, 13, 15, 34, 37; XVIII, 6, alibi.

(*d*) III. Reg. III, 2, seq. VIII, 16; IX, 3; XI, 36; XIV, 21; XV, 14; XXII, 44; IV. Reg. XII, 3; XIV, 4; XV, 4, 35; XVIII, 4; XXI, 4, 7.

(*e*) III. Reg. II, 26, seqq. XII, 15; XV, 29; XVI, 12, 34- IV. Reg. XXIII, 16, seq. alibi.

(*f*) III. Reg. XI, 36; XV, 4; IV. Reg. VIII, 19.

cem deprehendant scriptorem. At quinam ille fuerit, quaque vixerit aetate, gravis et impedita est quaestio: verum, si omnino certa atque explorata deficiunt, suppetunt probabiliora. Et nobis quidem, hac etiam vice, religio est a Talmudistis dissentire, qui Ieremiam operis auctorem faciunt (*a*); multa enim sunt quae hanc eorum sententiam, sive traditione, sive coniecturis tantum innitatur, satis probabilem reddant: hoc sane opus non modo sermonis indole quae illius aetatis propria est (*b*), sed et stylo, loquendi modis, orationis succo atque colore, sententiarum gravitate et verborum pondere cum Ieremiae libro ita consentit, ut unum eumdemque scriptorem postulare videatur. Idipsum confirmat frequens utriusque ad Pentateuchum, frequentior

(*a*) Baba bathra fol. 15. יִרְמְיָה כָּתַב סִפְרוֹ וְסֵפֶר מְלָכִים וְקִינוֹת Ieremias scripsit librum suum et librum Regum, et Threnos.

(*b*) Exemplo sint vocabula aramaea antiquioribus hebraicis suffecta, ut ex. c. דָּיֵק pro מִגְדָּל turris IV. Reg. XXV, 1 coll. cum Ier. LII, 4; vel peregrinae voces, quae ex frequentiori cum Babylonensibus commercio primum Hebraeis innotuerunt, quaeque politicas illorum rationes significantes, horum similibus designandis accommodatae sunt, ut מְדִינָה provincia, III. Reg. XX, 14, 14, 17, 19 coll. cum Thren. I, 1; פֶּחָה provinciae praefectus, III. Reg. X, 15 coll. cum Ier. LI, 23, 28, 57; nec modo voces, sed et formae quae dicuntur grammaticales: sic anomala prorsus est articuli praepositio nomini *in statu*, quem vocant, *constructo*, III. Reg. XIV, 24, IV. Reg. XXIII, 17 coll. cum Ier. XXV, 26, XXXII, 12, XXXVIII, 6; frequens demum in utroque commutatio praepositionis אֵת cum אֵת accusativi nota.

unius ad alterum, et quidem ad verbum (*a*), ac per longiores (*b*) pericopas responsus; quod argumentum apodicticum posset videri; ut enim de una tantum atque postrema pericope dicamus, nulla probabilis suppetit ratio, cur haec alteri gemina quae in IV Regum libro exhibetur, et cum universo contextu aptissime cohaeret, Ieremiae vaticiniis quoddam quasi parergon adnexa sit, nisi ponas hanc ipsam, imo utramque a propheta fuisse conscriptam: hic nimirum non potuit ab historico mutuari quod ipse prolixius exponit, historicus autem ubi eius narrationem excerpsisset, lectores pro more suo ad uberiores fontes delegasset, quorum tamen post Ioachimi aetatem nullam amplius mentionem facit; quod etiam argumento est eventuum, qui deinceps narrantur, aequalem fuisse, et neutrum ex communi aliquo fonte hanc historiae particulam hausisse, sed eiusdem specie duplicem, re ipsa unum fuisse auctorem. Scilicet valde verisimile est, quemadmodum antea prophetarum plures, coaevorum quisque regum atque eventuum memoriam

(*a*) Conf. III. Reg. II, 4, VIII, 25, IX, 5 cum Ier. XIII, 13, XVII, 25, XXII, 4, XXXIII, 17; IV. Reg. XVII, 11, seq. cum Ier. XXIII, 4, seq.; praesertim IV. Reg. XVII, 14 cum Ier. VII, 26; IV. Reg. XVII, 15 cum Ier. II, 5; IV. Reg XVII, 20 cum Ier. VII, 15; confer etiam IV. Reg. XXI, 12 cum Ier. XIX, 3; IV. Reg. XXII, 16 cum Ier. VII, 20. Plura tibi dabit Augustus Kueper, Ieremias librorum sacrorum interpres atque vindex, Berolini, MDCCCXXXVII, p. 56, seq. V. et Haevernick, Einleit. 2. Th. 1. Abth. S. 171, f.

(*b*) Conf. IV. Reg. XXV, 1, seq. cum Ier. XXXIX, 1, seq. speciatim vero IV. Reg. XXIV, 18, XXV, 30 cum Ier. LII.

scripto commiserant, ita Ieremiam sui temporis historiam condidisse; verum cum operae pretium duceret, ex praeteritis collapsae monarchiae vicissitudinibus, quoddam historiae corpus, in vulgare atque obvium posterorum documentum compingere, tum regni annales, tum narratiunculam recens a se vulgatam abbreviantem, duos posteriores Regum libros composuisse; ne tamen prolixior illa (abruptis, monarchiae fato, regni annalibus, quibus de more inserenda fuisset) deperditum iret, Ieremiae vaticiniorum collectorem hanc iisdem intexendam religiose curasse; nullatenus vero, quae multorum sententia fuit, ut ullo historico monumento illorum veritatem comprobaret; alioquin et alia plura inseruisset, et hoc ipsum ex nullo alio publico fonte depromendum, ex Regum libris quippe vulgatissimis et probatissimis mutuasset. Quicumque demum fuerit operis auctor, illud certum firmumque videtur, multo ante Babylonicae captivitatis exitum, anno circiter vigesimo a Solymorum eversione editum fuisse; nam anno decimonono, qui respondet *trigesimo septimo transmigrationis* Ioachin, hunc e carcere eductum, ceteris principibus in aula Babylonica praelatum, regiaque mensa, *quoad vixit*, ab Evilmerodacho honestatum fuisse legimus (*a*); cum autem hic Babyloniorum rex duobus dumtaxat annis regnaverit (*b*), interea scriptor nec eius successoris,

(*a*) Ioseph. cont. Apion. lib. I, c. XX.
(*b*) IV. Reg. XXV, 27, seqq.

nec Ioachin obitus mentionem iniiciat, sed eiusdem liberatione enarrata librum suum absolvat, sequitur hoc ipso biennio, aut saltem paullo post, et Iudae regem obiisse, et auctorem opus suum evulgasse.

Varia et diversa contra hanc sententiam opponuntur; alii siquidem duplicem hunc librum Ieremiae aetate recentiorem, alii antiquiorem faciunt. Priores hisce praesertim rationibus ducuntur: quod frequentiores *chaldaismi*, et chaldaica praesertim mensium nomina (*a*) potius in Ezechielem aut Esdram, quam in Ieremiam conveniant; quod diuturnioris Israelis captivitatis (*b*), et Iudae reditus (*c*), et Ioachin liberationis (*d*) mentio fiat, quae quidem Ieremias vel in Ægypto commoratus difficillime rescire, vel iam fato functus nullomodo potuerit scripto consignare; imo quod postrema conceptis verbis eidem abiudicentur (*e*); perperam igitur ex IV. Reg. XXIV, 18-XXV, 40 cum Ierem. LII consensu utriusque pericopes auctorem hunc perhiberi, alioquin propter IV. Reg. XVIII, 13-XX, 19 cum Is. XXXVI-XXXIX consensione, hunc ipsum utramque narrationem conscripsisse dicendus esset, quod nemo hactenus affirmavit. - At enim duos posteriores Regum libros nonnullis chaldaismis interspersos esse fatemur, quandoquidem Hebraei Ieremiae temporibus iampridem Babyloniis consueverant, nihilominus quod ad sermonis proprietatem atque integritatem, sequioris aetatis operibus Ezechielis puta, Danielis, et Esdrae plurimum praestant; porro זו, הָאֵתָנִים, בּוּל, non chaldaica sed hebraica mensium nomina sunt, qui ante Salomonis aeta-

(*a*) III. Reg. VI, 1, 37-38; VIII, 2.
(*b*) IV. Reg. XVII, 23.
(*c*) Ib. XXV, 22.
(*d*) Ib. 27, seq.
(*e*) Ierem. LI, 64.

tem secundus, septimus, octavus, post babylonicam captivitatem אִיָּר, תִּשְׁרִי, מַרְחֶשְׁוָן, chaldaice dicti sunt; at scriptoris aetate chaldaica nomina nondum Hebraeis usitata, hebraica autem iamdiu obsoleverant, proindeque ab eodem, addita interpretatione, declarantur. Ieremias tum captivitatem Assyriacam, quae centum et amplius annis durabat, tum Babylonicam nuper illatam potuit memorare; imo cum prophetale munus, quod נַעַר puer adhuc suscepit (*a*), octodecim annos sub Iosia, tredecim sub Ioachin functus sit, potuisset, anno trigesimo septimo huius transmigrationis, eiusdem liberationem nonagenarius scripto consignare; nec illi profecto difficile fuit, Chaldaeis per ea tempora Ægyptum frequentantibus, quae Babylone agerentur intelligere (*b*). At falsum omnino est quod subiiciunt, reduces e captivitate inibi memorari; nam *populus quem dimiserat Nabuchodonosor*, idem ipse est, *qui relictus fuerat in terra Iuda* (*c*), quem proinde haud proprie dimiserat, sed ut hebraice legimus הִשְׁאִיר reliquum fecerat. Locutio: *hucusque verba Ieremiae* (*d*) priorem quidem sermonem concludit, at insequentem narrationem haud respuit, et transitionis loco est a vaticiniis ad historiam (*e*). Postremum, nullomodo stat instituta comparatio; cum enim Ezechiae gesta *in visione Isaiae et in libro regum Iuda et Israël* (quibus haec verisimiliter fuerat inserta) descripta fuissent (*f*), nil mirum si auctor librorum Regum narrationem suam exinde mutuatus cum Isaia conveniat; sed enim Ieremias cum libris Regum in iis consentit, quae ex

(*a*) Ierem. I, 6.

(*b*) Ceterum, nil repugnat quominus ponas Ieremiae narrationem IV. Reg. XXV, 26, et Ierem. LII, 30 absolvi; sequentia vero ab hagiographo, qui eius vaticinia collegit, hisce deinceps apposita, indeque ad calcem librorum Regum adnexa fuisse.

(*c*) IV. Reg. XXV, 22.

(*d*) Ier. LI, 64.

(*e*) Conf. Iob. XXXI, 40, Dan. VII, 28.

(*f*) II. Paral. XXXII, 32. Cf. ib. XX, 34.

nullo superioris aetatis documento deprompta, coaevum et unum scriptorem deprehendunt. - E diverso, alii scriptorem Ieremia longe vetustiorem arbitrantur, propterea quod ad eius usque aetatem multa perseveravisse dicantur, quae tempore Babylonicae exsulationis dudum defecerant, et historicus, in excisi Israëlis imperii causas inquirens, illas perinde exponat ac si staret adhuc Iudae regnum. - Verum quod ad Babylonicam usque captivitatem arca in templo fuerit conspicua (*a*), Chananaeorum reliqui fuerint tributarii (*b*), Chabul (*c*) et Iectehel (*d*) nomina viguerint, aquarum Ierichuntis sanitas (*e*) duraverit, inde a Salomonis temporibus *huiusmodi ligna thyina nec allata, nec visa sint* (*f*), quae olim Baalis aedes cloacae vicem praebuerit (*g*), Idumaei in defectione a Iuda (*h*) et Ailae (*i*) possessione perstiterint, Samaritani antiquae superstitioni, etiam post adventum sacerdotis a rege Assyriorum dimissi, haud omnino renuntiaverint (*k*), quis iure poterit inficiari (*l*)? Pariter cum Israëlis defectio, iuxta prophetae mentem (*m*), haud perpetua futura esset, mirum ne ipsum hanc dudum obtinentem fuisse conquestum (*n*)? Fac paullo ante Babylonicam captivitatem ad

(*a*) III. Reg. VIII, 8.
(*b*) Ib. IX, 21.
(*c*) Ib. IX, 13.
(*d*) IV. Reg. XIV, 7.
(*e*) Ib. II, 22.
(*f*) III. Reg. X, 12.
(*g*) IV. Reg. X, 27.
(*h*) Ib. VIII, 22. Nec refert quod interim Amasias (Ib. XIV, 7) et Azarias (Ib. 22) eosdem iterum iugo presserint, quippe sub Achazo (Ib. XVI, 6 coll. cum II. Paral. XXVIII, 17) illud denuo excusserunt.
(*i*) Ib. XIII, 6.
(*k*) Ib. XVII, 34.
(*l*) Conf. Ib. 29-34. Hanc sane, ne in posterum quidem, exuerunt. V. Ioseph. Arch. lib. X, c. V, § 5.
(*m*) Ierem. XXXI; 31.
(*n*) IV. Reg. XVII, 7-41.

historiam conscribendam aggressum fuisse, nonne Assyriacam tantum debuisset deplorare? Verum et alterius oblique meminit, cum Iudae apostasiam lamentatus, illico subdit *proiecisse Dominum omne semen Israël a facie sua* (*a*), quibus verbis procul dubio omnes Iacobi filios significavit; neque clarius atque apertius eamdem designare potuisset, quin historiae filum perrumperet, et mox enarranda praeverteret. Praeterea, cum auctor non tam historiam ipse conderet, quam abbreviaret, lectoresque reliquorum (*b*) curiosos ad uberiores narrationis suae fontes delegaverit, potuit, quin neminem falleret, hosce ad verbum describere, quaeque iamdiu defecerant ut adhuc vigentia exhibere; ita nimirum parallela Chronicorum (*c*) loca esse interpretanda, apud omnes in confesso est.

ARTICULUS II.

Asseritur eorumdem librorum fides historica atque divina.

CXXI. Et hoc quidem, missa scriptoris persona, ex superius propositis quadantenus efficitur; ipse enim, quod modo notavimus, superioris temporis memoriam summatim breviterque perstringens, hanc ex publicis monumentis hausisse, candide consultoque fatetur, quo pleniorem narrationi fidem con-

(*a*) IV. Reg. XVII, 19, 20.

(*b*) III. et IV. Reg. passim.

(*c*) Conf. III. Reg. VIII, 8, IX, 2 cum II. Paralip. V, 9, VIII, 8; IV. Reg. VIII, 22 cum II. Paral. XXI, 10.

ciliet; cumque plura ex instituto praetermiserit, lectores monet, reliquum (וְיֶתֶר) ex iisdem fontibus esse depromendum, quos ipse semel *librum verborum dierum Salomonis* (*a*), semel et tricies *librum verborum dierum Iuda* (*b*), aut... *Israël* (*c*) appellitat. Haec vero documenta unam atque perpetuam annalium seriem fuisse, tum ex vi vocis colligimus, quae acta diurna significat, et de Persarum regum annalibus usurpatur (*d*) (constat autem iam inde a Davidis aetate regii historiographi munus apud Hebraeos invaluisse (*e*)); tum ex iis quae inde decerpta, aut inibi descripta traduntur, uti stemmata et census, aulicorum et militum ordines, singula regum facta, bellorum exitus, praedaeque reportatae descriptiones, quae omnia fastorum propria sunt; tum denique ex eo quod uterque horum librorum, et Paralipomenôn auctor nonnisi ad Ioachin regis aetatem hanc documentorum seriem deducant (*f*), quod aptissime annalibus convenit, qui regno fatiscente intercepti sunt. Cum autem abruptum quidem, at absolutum opus componerent, haud inepte סֵפֶר libri nomen invenerunt, et nullo fortassis peculiari titulo olim inscripti, pro vario ac

(*a*) III. Reg. XI, 41, סֵפֶר דִּבְרֵי שְׁלֹמֹה

(*b*) Ib. XIV, 29 alibi, סֵפֶר דִּבְרֵי הַיָּמִים לְמַלְכֵי יְהוּדָה

(*c*) Ib. 19 alibi, ס״ד״ה״למ״ יִשְׂרָאֵל

(*d*) I. Esdr. IV, 15; Esth. VI, 1; X, 2.

(*e*) II. Reg. VIII, 16.

(*f*) IV. Reg. XXIV, 8; II. Paralip. XXXVI, 8.

multiplici rerum complexu alios atque alios postea sortiti sunt; et Davidis (*a*), aut Salomonis, Iudae aut Israëlis regum fasti (*b*) dicebantur, prout de iis sermo erat quae integro adhuc, aut iam discisso regno contigissent. Quae porro, quantaque esset huiusmodi documentorum auctoritas inde apparet, quod non solum publicum atque solemne totius gentis fidei testimonium exhiberent, sed a prophetis ut plurimum conscriberentur, aut saltem magnam partem ex eorum operibus coalescerent; id sane, ceteroquin testatissimum (*c*), hoc etiam argumento confirmatur, quod ea quae historicus exinde mutuatur, eius scopo accommodatiora sunt, quam ut ex annalibus mere politicis potuerint depromi. Minus igitur apte Movers (*d*) prolixam orationem a Salomone in templi dedicatione habitam (*e*), quaeque mere civilem provinciam egrediuntur aliunde ab auctore mutuata contendit; hunc autem inepte prorsus Bertholdtius (*f*) annales consuluisse ideo inficiatur, quia scriptor coaevus atque Israëlita neutiquam ausus fuisset adeo libere loqui, ac regum gentisque facinora tam audacter atque aperte insectari; e contrario diarii forma in compendiaria historici narratione conspicua fuisset. Nam ad primum quod attinet, solemnis illa precatio nimium templi dedi-

(*a*) I. Paralip. XXVIII, 24.
(*b*) V. pag. antec. nott. (*a*), (*b*), (*c*).
(*c*) II. Paralip. XX, 34, XXII, 22.
(*d*) Kritische Untersuchungen über die Chronik, S. 191.
(*e*) III. Reg. VIII, 12 seqq.
(*f*) Einleit. III. B. S. 947, ff.

cationi coniuncta atque inseparabilis est, ut historiographus illam commode praetermitteret; nec unquam, quae peculiaris Hebraicae reipublicae conditio fuit, sacra a profanis apprime distincta sunt, aut secerni potuissent. Ad alterum quod spectat, in tanta prophetarum frequentia, qui Israëlis apostasiam fidenter atque accusatorie carpebant, sincerus ne ac liberior historicus potuisset desiderari? praeterea, Israëlitae ne an Iudaei annalium conditores? istine ex regum diariis unice conflati? ab aulico semper cancellario, vivo rege, conscripti? laudes demum aut probra quibus pii aut impii reges cumulantur, numquid ex annalibus decerpta, an historici propria sunt? Quod ad tertium, utrum instar diarii, an vero historiae Hebraeorum annales essent digesti, nullo certo indicio coniicimus; utcumque, historico integrum profecto fuit, potiorem rerum quam temporis rationem habere, et illarum etiam convenientem selectionem instituere, quo factum est, ut ipse et auctor Paralipomenôn iisdem fontibus usi, sicut in multis saepe consentiunt, ita et in pluribus discriminentur.

CXXII. Ex quibus illud etiam consequitur, absurdam esse illorum (*a*) sententiam, qui hanc narrationem mythis interspersam, fabulisque adauctam existimarunt; neque enim scriptor tam frequenter publica monumenta in testimonium citasset, ubi

(*a*) Bertholdt, loc. cit. p. 949, coll. cum 995, seq. Eichhorn, Einleit. III. B. S. 557.

alia ipse atque diversa retulisset; neque exstantibus annalibus mythi condi potuissent, qui historicis temporibus ubique gentium defecerunt; talis praeterea rerum status, ut impedimento esset ne rumores vagi et incerti, aut fabulosae narrationes ad fallendum vel oblectandum confictae omnium consensionem obtinerent; quandoquidem Hebraeis civitate ac religione in duas contrarias partes distractis, varia saepe ac mutabili, tum Israëlis, tum etiam Iudae regum ac subditorum indole, nunquam unus idem error omnes tenere potuisset; perennis autem prophetarum series, a monarchiae exordio ad eius ruinam usque, impiis principibus atque subiectis, falsis sacerdotibus atque prophetis iugiter adversantium satis ostendit, simplicioribus aeque ac callidioribus, bono vel malo dolo fallendi opportunitatem defuisse; quod adeo verum est, ut contrariae sententiae auctores, nequaquam ex aetate aut gentis conditione, sed ex una factorum natura mythicam horum originem augurentur, quippe qui nequeunt a se impetrare, ut prodigiis fidem adhibeant, cuiusmodi illorum plurima sunt. Nempe eadem semper oberrant chorda, et ne creduli videantur, evadunt absurdi; cur enim ceteris adhuc fidem adiungunt, quae, ipsis fatentibus, cum prodigiosis adeo connexa atque permixta sunt, ut ab iisdem vix internoscantur (*a*); quin etiam horum omnium maximum

(*a*) Knobel, der Prophetismus der Hebräer, B. I. S. 55, ff. II. S. 81, ff. Vatke, Bibl. Theol. S. 416, ff.

neutiquam respuunt? Sane, quod nativum Hebraeorum ingenium ad idololatriam admodum proclive, repetiti nec unquam ferme per plura saecula intermissi impiorum Israëlis, interdum et Iudae regum conatus, pseudosacerdotum atque hariolorum vafrities, sinceram Dei notitiam, ac purum Iehovae cultum ex omnium Hebraeorum animis nequiverint exstirpare, id profecto heroicis sacrorum vatum personis acceptum referendum est; sed enim, quis tantum illis robur, talem induit virtutem, ut nec principum minis deterriti, nec populi contumaciae despondentes, ab incepto nunquam desisterent, libenter imo pro veritatis tutela quandoque vitam profunderent? quî factum est ut, nefariis regibus terribiles, horum potentiam saepe infringerent, hariolorum fraudes detegerent, pluribus amorem, omnibus sui venerationem, aut saltem metum et reverentiam iniicerent, nisi divinae suae legationis testimonia, eaque luculenta, prodigia scilicet, praebuissent? prodigia, inquam, cum horum veritati, neutiquam philosophorum placitis Hebraeorum monotheismus inniteretur; nonne igitur, quod tot vicissitudines inexstinctus duraverit, tale prodigium est, quod longe cetera excedit, eaque probatissima facit? Atqui si prodigia intercessisse fateri necessum est, quae ab historico proferuntur omnium convenientissima, quippe rerum ac personarum adiunctis, necnon sapienti Dei consilio accommodata, eiusmodi praeterea sunt, ut nisi vera, nunquam Hebraeis verisimilia videri potuissent, adeo praeiudicatae eorum opinioni adver-

sabantur! Re quidem vera, quod maior fuerit in Israëlis quam in Iudae regno prophetarum ac miraculorum frequentia; quod inter schismaticos Israëlitas tales prodierint viri, pietate divinaque virtute spectabiles, quales post Mosem nulla superior, nulla in posterum protulit aetas (neque enim Samuel eiusque discipulorum chorus cum Elia, Eliseo, eorumque assectatorum agmine, numero, celebritate, ordinis perennitate aequiparandi); quod aliter quam antiquiores et insequentes prophetae miraculis perinde atque vaticiniis inclaruerint, ratio in promtu est; quia videlicet prodigia σημεῖα, *signa, non fidelibus, sed infidelibus* dantur (*a*), ut qui Dei verbo non credunt, saltem *operibus credant* (*b*); quamobrem cum Israëlis reges, sincero Dei cultu ac legitimo sacerdotio publice repudiato, sacris perturbandis ac pervertendis constanti ferme sacrilegio studerent; piique proinde atque cordati Israëlitae, qui politice dissociati avitam nihilominus fidem nondum deseruerant, omnibus interea eamdem profitendi praesidiis pene destituerentur; consentaneum profecto erat, divinam providentiam opportunam illis atque praesentem opem prophetarum ministerio conferre, qui non modo vatum sed et Levitarum ac Sacerdotum partes explentes (*c*), frequentibus con-

(*a*) I. Cor. XIV, 22.

(*b*) Ioh. X, 38.

(*c*) Proindeque horum in vicem, a piis Israëlitis decimae illis persolvebantur, IV. Reg. IV, 42.

cionibus florem populi delibatum divinam legem erudirent, festis diebus piis operibus exercerent (*a*), vitae integritate ad pietatem ac sanctitatem instituerent, pluribus autem discipulorum scholis, coenobiis, asceteriis hac illac (*b*) excitatis, non modo coaevorum, sed et posterorum incolumitati consulerent. Haec nobis planissima; cui haec non probantur, nil iam reliquum est, nisi ut contendat, quo proximiora tempora sunt, eo magis mythos excrescere, amplificari, eoque fieri credibiliores, quo minus vulgi praeiudiciis arrident, eiusque placitis suffragantur. Apage nugas!

CXXIII. Hisce tamen critici liberiores, quoties de revelatis veritatibus sermo est, summopere delectantur; nec meliora profert de Wettius, cum hanc narrationem modo « didacticum poëma » (*c*) vocat, modo « ieiunum historiae breviarium, politicis animadversionibus intextum » (*d*); praeterquamquod enim haec ex adverso pugnantia sunt, neque historiae ieiunitas cum poëmate convenit, apertae falsitatis a scriptore revincitur, qui nuda plerumque facta exponit, et siquando, raro tamen, adnotationes suas inserit, id obiter et oblique facit; nec illas cum factis ipsis permiscet, a quibus nullo negotio discriminantur (*e*); quapropter ut ista, utpote ex

(*a*) IV. Reg. IV, 23.

(*b*) Ib. II, 3, 5; IV, 38; VI, 1.

(*c*) Lehrgedicht, Einleit. § 184.

(*d*) Trockener, mit pragmatischen Bemerkungen durchwebter Auszug, ib. § 183.

(*e*) Conf. III. Reg. XII, 28 cum XIII, 33, XIV, 21. V. IV. Reg. XVII, 7-33.

monumentis desumta, ac per se probabilia, certissima sunt, ita illae iisdem innixae eorum veritatem nequeunt labefactare, quin etiam confirmant; dum enim scriptoris mentem aperiunt, eius ingenuitatem atque sinceritatem declarant, quippequi neque in factorum delectu, neque in eorumdem descriptione, eorum, quibuscum stabat, partibus faverit. Revera Salomonis sapientiae, ac florentissimi eiusdem regni maximus admirator, turpem eius senectutem nullomodo obtendit, et prima consequentis idololatriae semina ex illius mulierositate repetenda demonstrat; Israëlem Davidicae stirpis sceptrum detrectantem damnat perfidiae, at proximam defectionis causam in insolenti Roboami fastu et tyrannide ponit; Ieroboami apostasiam insectatur, divinitus tamen regem designatum candide fatetur; Israëlis crimina increpans, Iudae tamen non parcit; nec uni prae altero favet, sed alterutrius egregia aut nefaria facinora aeque laudat atque vituperat, plura imo, ut vidimus, ac mirabiliora de Israëlis quam de Iudae regno persequitur. Tandem suum etiam officium et diligentiam ideo probat, quia in temporis notatione studiosissimum se praestat, nec modo quamdiu regum quisque imperaverit, sed quot iam annos unius principatus duraret, cum alter rerum summam capesseret, indicat accuratissime; quodsi utriusque Iudae et Israëlis annos una supputanti, hi, nedum consentire, repugnare videantur, hoc ipsum sinceritatis testimonium erit, nam ubi haec discrepantia iam

tum inemendabilis fuisset, nec tam bardus historicus, ut illam non adverteret, nec tam imprudens, ut non praecaveret; at, ut saepe fit, quae coaevis plana atque expeditissima sunt, ea remotioribus nobis involuta atque impeditissima evadunt, neque tamen inexplicabilia, ut probabilia variorum tentamina (*a*) demonstrant: nos, quibus plura persequi haud vacat, generatim monemus, haec omnia facile compositurum qui noverit, haud omnes annos, quod historicus ipse innuit (*b*), ut integros habendos esse, interregna aliquando intercessisse, et regem saepe salutatum, qui ab imperante in regni societatem duntaxat fuerat assumtus.

CXXIV. Interna haec veritatis argumenta decretorio confirmantur, quod ex omnimoda horum librorum cum universa Hebraeorum historia consensione ac convenientia, ex constanti totius gentis, sed et ex nonnullorum profanorum scriptorum testimonio (*c*), praesertim vero ex hagiographorum, Synagogae, Ecclesiaeque testificatione depromitur; isti enim plura saepe ex hisce libris mutuantur, aut saltem gemina referunt: sic Ecclesiasticus horum

(*a*) V. Des Vignoles, Chronologie de l'histoire sainte I. p. 214. seq. Volney, Recherches nouvelles sur l'histoire ancienne I. chap. 1. Bible De Vence tom. V. 5.[e] édit. Dissertation sur le quatrième âge du monde.

(*b*) Conf. III. Reg. XV, 9, 25 cum XIV, 20; III. Reg. XV, 25 cum 33; IV Reg. XIV, 1-2-17 cum XIII, 10; XVIII, 9 cum 10 etc.

(*c*) Ioseph. Antiq. lib. VIII. cap. II. § 8; cap. V, § 3; cap. XIII, § 2; lib. IX, cap. XIV, § 2. cont. Apion. lib. I. § 14-23. Euseb. Praep. Evang. lib. IX. c. XXX - XLII. Grotius, de veritate relig. christ. lib. III. cap. XVI.

quoddam quasi compendium facit (*a*); Matthaeus et Lucas Sabae reginae adventum Salomonem admiraturae (*b*), Lucas viduam Sarephtanam Eliae precibus fame ingruente immunem, necnon Naamani lepras ab Eliseo emendatas (*c*), Stephanus templum a Salomone excitatum (*d*), Paulus Eliae verba (*e*), Iacobus imbrem Eliae precibus modo cohibitum, modo effusum (*f*) memorant; quae quidem omnia cum uti notissima atque ab hagiographis descripta laudentur, nec aliis quam hisce voluminibus consignata reperiantur, horum veritatem ac divinitatem merito praesumimus, quam Iudaicae et Christianae Ecclesiae suffragium efficit indubitabilem; illa enim neutiquam hosce libros inter נְבִיאִים *prophetas* recensuisset, nisi prophetam aut saltem hagiographum habuissent auctorem, altera inter canonicos haudquaquam retulisset, nisi eorumdem divinitas Christi et Apostolorum irrepugnabili testimonio fuisset comprobata.

(*a*) Eccli. XLVII, 15 — XLIX, 8.
(*b*) Matth. XII, 42; Luc. XI, 31 coll. cum III. Reg. X, 1 seq.
(*c*) Luc. IV, 25-27 coll. cum III. Reg. XVII, 9-16; IV. Reg. V, 9-14.
(*d*) Act. VII, 47 coll. cum III. Reg. VI, 1.
(*e*) Rom. XI, 2-4 coll. cum III. Reg. XIX, 10.
(*f*) Iac. V, 17-18 coll. cum III. Reg. XVII, 1, XVIII, 45.

ARTICULUS III.

Nonnullorum factorum veritas et prodigiosa natura, necnon divina narrationis auctoritas speciatim ab opponentium cavillationibus eximitur.

CXXV. Qui probe teneat, quae hactenus de historica atque divina horum librorum fide disputata sunt, nihili faciet quaecumque multo et inani labore ab Incredulis ac *Rationalistis* in contrarium afferuntur; posito enim quod haec commodam solutionem non admitterent, nullatenus tamen allata superius argumenta labefactarent, quandoquidem certa iam atque exploratissima nullis amplius scrupulis, difficultatibus concuti possunt, vel infirmari. At enim quae producuntur levissima, nedum insolubilia sunt: scilicet contendunt, fidem excedere quae de Salomonis imperii amplitudine (*a*), immani quotidiani commeatus copia (*b*), equorum ac praesepiorum numero (*c*), opibus ingentibus, immodica vi auri atque argenti commercio, vectigalibus comparata traduntur (*d*); incredibilem videri Sabae reginae adventum et munificentiam (*e*); absonum tantum laboris atque pecuniae (*f*) in templo

(*a*) III. Reg. IV. 21.
(*b*) Ib. 22-23.
(*c*) Ib. 26.
(*d*) X, 11 seq.
(*e*) Ib. 1-10.
(*f*) V-VII; I. Paralip. XXII, 14-16. XXIX, 4-7.

exstruendo impensum fuisse, quod amplitudine sacris totius antiquitatis aedibus, et nostris etiam plerisque concessit (*a*); absurdam victimarum multitudinem (*b*); repugnans operis artificium (*c*); neque civilem Salomonis prudentiam cum tyrannico eiusdem dominatu ac fratricidio (*d*), neque sublimem vereque christianam precationem, qua in templi dedicatione solemniter usus est (*e*), cum sacrilega Abiatharis relegatione (*f*), impotenti feminarum amore atque idololatria (*g*) convenire; cui cum ipse una cum non paucis ex eius successoribus indulserit, Ieroboam vero ab eadem abhorruerit, conficiunt perperam hunc apostasiae insimulari, perinde ac si novos ritus indiderit, atque religiosi schismatis auctor fuerit; nam cum eo quod repugnat, ad merum regis nutum illico atque universim id obtinuisse, tum neque communibus sacris Hebraei tunc utebantur, neque sacrificaturi Ierusalem conveniebant, sed indiscriminatim hac illac editis in locis immolabant (*h*); nemine prophetarum reclamante, qui saepe Israëlis regibus idololatriam exprobrantes, nunquam eos redarguerunt,

(*a*) Voltaire, Philosophie de l'histoire sect. XXXIV.

(*b*) III. Reg. VIII, 63.

(*c*) III. Reg. VI, 7; VI, 2,3 coll. cum II. Paralip. III, 4; III Reg. VII, 15 cum II. Paralip. III, 15; III. Reg. VII, 16 cum IV. Reg. XXV, 17, II. Paral. III, 15; III. Reg. VII, 23-34; ib. 26 cum II. Paralip. IV, 5. Cf. etiam III. Reg. VIII, 9 cum Hebr. IX, 4.

(*d*) III. Reg. II, 25.

(*e*) VIII, 15 seq.

(*f*) Ib. 26-27.

(*g*) XI, 1-5.

(*h*) I. Reg. IX, 12; III. Reg. III, 2.

quod aut Iehovam per vitulorum imaginem expressum venerarentur, aut in excelsis sacrificarent, imo altaria inibi excitata diruta doluerunt (*a*), nec unquam Israëlitas, ut Salomonis templum adirent, hortati sunt; frustra cetero, quos Deo auctore politice dissociaverant, sacrorum communione colligere tentavissent. Unde etiam concludunt, flocci faciendam eorumdem auctoritatem, quippequi ipsi turbarum essent auctores, impiosque reges tum apud Hebraeos, tum apud externos consecrarent; Ahias nempe Ieroboamum (*b*), Eliseus Iehu Israëlis (*c*), Hazaelem Syriae (*d*) regem designarunt: iisdem praeterea modo palpum obtruderent, modo efferata consilia ingererent aut probarent; Elias sic Achabo cursoris vicem praebuit (*e*), mox suasit ut octingentos prophetas cogeret a se iugulandos (*f*), et nescio quis alius Iehu Israëlis regem propter Achabi et Ochoziae stirpem deletam, et sacerdotes Baal perfide necatos plurimis laudibus cumulavit (*g*): porro mendaces, tum alios, tum seipsos mutue deciperent; sic Michaeas Achabo victoriam et cladem (*h*), Eliseus Hazaeli regis Benadad sanitatem et mortem (*i*), et vates Bethelita Iudaeum collegam

(*a*) III. Reg. XVIII, 30; XIX, 10, 14.
(*b*) XI, 29-40.
(*c*) IV. Reg. IX, 1 seq.
(*d*) VIII, 13.
(*e*) III. Reg. XVIII, 46.
(*f*) Ib. 19-40.
(*g*) IV. Reg. X, 30.
(*h*) III. Reg. XXII, 15.
(*i*) IV. Reg. VIII, 10.

circumvenit (*a*), Eliseus in Naamanis idololatria connivit (*b*), et musicis concentibus excitatus fatidicum furorem simulans, Dei nomine, indigna praedixit atque praecepit (*c*): insuper vanitati et vindictae studerent; ita Eliseus in magistri virtutem invidus duplo maiorem ambiit (*d*), Iordanem ad ostentationem divisit (*e*), ursos in ludentes pueros excivit (*f*), servum leprosum reddidit (*g*), satellites fefellit et excaecavit (*h*), eadem ratione qua pridem Elias tribunum una cum militibus igne bis caelitus demisso combusserat (*i*); quae quidem prodigia ad callidum et saevum prophetarum ingenium adumbrandum apposite conficta, vera esse nequeunt, quin Deum ipsum fautorem nequitiae faciamus. Nec minus absurda, subiiciunt, post triplex prodigium obstinata Ieroboami incredulitas (*k*), triennalis siccitas (*l*), corvi dapiferi et abstinentes (*m*), vita, ossium aridorum contactu, cadaveri restituta (*n*), improvisa Sennacheribi exercitus clades (*o*),

(*a*) III. Reg. XIII, 11 seq.
(*b*) IV. Reg. V, 19.
(*c*) Ib. III, 15-19, coll. cum Deuter. XX, 19.
(*d*) IV. Reg. II, 9.
(*e*) Ib. II, 14.
(*f*) 24.
(*g*) V, 27.
(*h*) VI, 18-20.
(*i*) I, 9-12.
(*k*) III. Reg. XIII, 3-7.
(*l*) XVII, 1, XVIII, 1.
(*m*) XVII, 6.
(*n*) IV. Reg. XIII, 21.
(*o*) XIX, 35.

solis ad Ezechiae fidem confirmandam retrocessus (*a*); haec enim vel per se pugnantia, vel saltem Deo indigna qui, siquando consuetum naturae ordinem immutat, nec tam frequenter, nec levioribus adeo de caussis id facit. Addunt, non pauca uti prodigiosa exhiberi, quae mera naturae phaenomena sunt, quemadmodum turbineus Eliae raptus (*b*), aquarum Ierichuntis emendatio (*c*), amaritudo pulmento sublata (*d*), pueri lethargico somno excussi (*e*), Naamanis et Ezechiae sanatio (*f*). Demum Elisei cum Eliae portentis, utraque vero cum iis quae in Pentateucho narrantur conferentes tantam inveniunt unitatem, ut alia ad aliorum exemplum conficta arbitrentur.

CXXVI. Quamquam haec multa sunt, breviter tamen enodabimus. Salomon Hebraeorum dumtaxat rex (מֶלֶךְ) fuit (*g*), at latiori sensu iis etiam dicitur (מוֹשֵׁל) dominatus, qui cis Euphratem ad Palaestinae ortum et austrum commorati, eidem tributa pendebant (*h*); insulse proinde Voltairius contradictionem in eo ponit, quod Tyrii et Sidones, septentrionales nempe, illi nullomodo parerent; nec pariter pugnat, quod Gazer iam olim Hebraeorum

(*a*) IV. Reg. XX, 8-12.
(*b*) Ib. II, 11.
(*c*) Ib. 19-21.
(*d*) Ib. IV, 41.
(*e*) Ib. 34-35. III. Reg. XVII, 21.
(*f*) IV. Reg. V, 14; XX, 7.
(*g*) III. Reg. IV, 1.
(*h*) Ib. 21, hebraice V, 1.

propria (*a*), iterum a Chananaeis occupata, Pharaonis armis capta et Salomoni tradita sit (*b*); dum enim historicus Salomonis imperii amplitudinem definit, omnia complectitur quae serius ocius, vel per se, vel per alios suae ditionis fecit. – Commeatus quotidianus Salomonis non eius mensae dumtaxat, sed et *eius domus* (*c*), immensae nimirum uxorum, aulicorum, ministrorum, praesertim vero frequentis satellitii, corporisque custodum multitudini alendae inserviebat; quod tum ex varia ciborum qualitate, viliori aut altiori eorumdem conditioni respondente (*d*), tum ex antiqua ac recenti principum orientalium consuetudine conficitur, quos maiores diurnos sumtus fecisse, et aula numerosiore usos fuisse legimus (*e*). – *Praesepiorum* nomine (אֻרְוֹת אֻרְיוֹת) non modo stabula et equilia capaciora (*f*), sed et loculi ipsi unde iumenta pabulum carpunt, et equorum curulium (סוּסִים) iuga

(*a*) Ios. x, 33, xii, 12.
(*b*) iii. Reg. ix, 16.
(*c*) Ib. iv, 7.
(*d*) Ib. 22-23.
(*e*) Confer ex. c. quae de Persarum regum mensa tradiderunt Athenaeus Deipnosoph. lib. iv. cap. x; Polyaenus, Stratagem. lib. iv. c. iii. § 32; de regio Turcarum gynaeceo, Tavernier, Recueil de voyages part. 3.e chap. 3. pag. 153; nec Salomonicum praeterea miramur, qui novimus nonnullis Afrorum regulis, Sinarum, Indiae citerioris regibus duo saepe aut tria, imo Acbaro Magno, Mogolis imperatori, quinque uxorum millia fuisse (V. Aycan Acberi, or the Institutes of the emperor Acbar translated from the original Persian by Francis Gladwin, London 1800, vol. I); harum tamen quamplurimas regibus ignotas potius ad luxum, quam ad libidinem assumptas.
(*f*) ii. Paralip. xxxii, 28.

designantur, quorum quatuor millia dumtaxat ab auctore Paralipomenôn Salomoni tributa (*a*), egregie respondent mille et quingentis eiusdem curribus (*b*), binis, trinis aut quaternis equis eorum singulis, praeter subsidiarios, assignatis; quodsi luxuriosis huiusmodi curribus tum bellicos addideris, tum plaustra, sarraca oneraria, ac cuiusvis generis vehicula, quibus in templo, basilicis, villisque excitandis usus est, haud absurdus erit grandior numerus equorum vulgarium quadraginta millium (*c*); fac tamen hunc amanuensium vitio temere exaggeratum, prior ille equorum et curruum numerus, necnon alter duodecim equitum (פָּרָשִׁים) millium (*d*) Salomonis opibus ac fastui haud incongruentes sunt; equos sane quamplures tum ipse pretio a contermina Ægypto coëmit, tum eidem in tributa gentes subiectae praestiterunt (*e*). – Salomonis magnificentia ac sumtuositas, tributorum ac expensarum granditas nemini amplificatae videbuntur, qui in historia hospes plane ac peregrinus non sit; multo enim mirabiliora probati antiquitatis scriptores de regum potentissimis nobis tradiderunt (*f*); neutra porro

(*a*) II. Paralip. IX, 25 hebraice.

(*b*) III. Reg. X, 26.

(*c*) Ib. IV, 26.

(*d*) Ib. 26 et X, 26; II. Paralip. IX, 25.

(*e*) III. Reg. X, 25, 28, 29; II. Paralip. I, 16-17.

(*f*) Cf. quae de Sardanapalo Athenaeus, Deipnosoph. lib. XII. cap. 7; de Cyro Plinius, hist. nat. lib. XXIII, cap. 3; de Dario Codomano Curtius, in vita Alexandri lib. IV, c. 6; de Vespasiano, Suetonius in Vespas. cap. XVI; de Ecbatanis Polybius, hist. lib. X, c. 24; de Beli

mirabitur, nisi qui ex praesenti rerum statu antiquissima iudicaverit: sane quae nunc bona, aequabiliori in dies proportione, gradatim inter plurimos, nisi omnes, distribuuntur, olim unius aut alterius, paucorum semper propria erant, qui immodica saepe tributorum ac vectigalium exactione miserrimam plebem expilantes, ab hoste praevalido denique tandem debellati opes male partas, male iterum perdebant; quare ex regum et aulicorum beatitate non ipsa regni prosperitas, sed subiectae aut devictae gentis infelicitas non raro aestimanda, quae afflictiori plerumque conditione esse solebat, quo commodiori optimates et principes utebantur. Hoc regiae potestatis abusu, qui universim tunc obtinebat, ante Hebraeorum oculos proposito, eosdem a rege sibi deligendo deterrere perperam studuit Samuel, et ad omnes in posterum hac de re querimonias praecavendas, prophetali scripto pessimam hanc tyrannorum consuetudinem consignavit, quae revera et apud illos licet non illico, pedetentim nihilominus deinceps invaluit. Etenim David immanem auri atque argenti vim, quam templi aedificationi consecravit (*a*), partim ex commercio et vectigalibus, maximam partem, frequentibus contra finitimos victoriis reportatis, ex pretiosa

templo Herodotus, hist. lib. I, c. 183, Diodorus Siculus, Bibl. hist. lib. II, c. 9 prodiderunt. Plura citata videsis apud Vence, Sainte Bible, 5.[e] édit. Paris, tom. VI, Dissertation sur les richesses de David.

(*a*) I. Paralip. XXII, 14-16; XXIX, 4-7.

bellatorum supellectile (*a*), atque ex oneribus subditis nationibus impositis comparaverat, tum etiam ex iis congesserat, quae pridem a Mose (*b*), Iosua, Samuele et Saule, Ioabo et Abnero (*c*) in sanctuarii aerario reposita fuerant; ipse tamen modesto cultu victuque contentus, a fastu, luxuriaque abhorrens leviora tributa civibus indixerat, postea a Salomone aggravata (*d*), qui vectigalibus praeterea adauctis, novisque institutis (*e*), praecipue vero ampliori commercio terra marique exercito, cumque dissitissimis regionibus mercaturam faciens, uberiores adhuc proventus tulit. Inita nempe cum Hiramo Tyriorum rege societate, navibus, nauticisque sociatis, negotiatoria classe modo Ophir (*f*), modo Tharsis (*g*) appellente, plurima illinc auri

(*a*) II. Reg. VIII, 7-10. Cf. Num. XXXI, 50-54; Iud. VIII, 26.

(*b*) Num. loc. cit.

(*c*) I. Paralip. XXVI, 26-28.

(*d*) III. Reg. XII, 4.

(*e*) Ib. X, 15, 28.

(*f*) Utrum in India, an vero in Arabia, aut in australi Africae ora haec urbs aut regio fuerit sita, difficillimum est definire; neque ex mercium qualitate quidquam conficitur, quandoquidem saepius a coëmptionis, quam originis loco nominantur; sic optimae arabae fabae passim *caffè di Moka* dicuntur, licet ad plures leucas in huiusce urbis vicinia nullae enascantur: praeterea, et aurifodinae antiquitus esse potuerunt, ubi nulla nunc auri vestigia reperiuntur; id sane de Arabia veteres tradiderunt, vide Bochartum, Geogr. sacr. lib. II. c. 27, qui varias de hac quaestione variorum sententias exponit et excutit; illud exploratum, Ophir nobilissimum orientalis mercaturae emporium fuisse.

(*g*) Et hanc nonnulli in India collocant, plerique tamen hoc nomine Tartessum, celeberrimam Phoenicum coloniam ad Baetis (*Guadalquivir*) ostia, aut Baeticam ipsam (*Andalusia*) universam intelligunt, qui rursus inter se discrepant; alii enim ponunt, Hirami nautas cum navibus (II. Paralip. VIII, 18) Africam circumnavigantes e Tyro ad

talenta, lignum santalinum, pretiososque lapil-

Asiongaber devenisse, indeque una cum Salomonis classe Ophiram (III. Reg. IX, 26-28) atque Tartessum progressos (III. Reg. X, 22 coll. cum II. Paralip. XX, 36-37) patriam remeasse; idque praesertim ex triennali navigationis diuturnitate concludunt: alii e contrario, licet haud improbabile ipsis videatur, quod Phoenices olim (Herodot. hist. lib. IV, 42; Heeren, Ideen I, 2, S. 79, ff.), et Salomonis aetate (Huet, Comment. sur les navigat. de Salomon, Traitez géogr. et hist. t. II, à la Haye 1730, Michaëlis Spicileg. I. p. 99 seq.) Africam circumnavigaverint, contendunt nihilominus id de Salomonis classe minime certum; quae enim Tharsis navigabat, dicitur fuisse בַּיָּם in mari (II. Reg. X, 22), quod, nisi potius, tam Mediterraneo quam Erythraeo יַם־סוּף convenit; potuit igitur Salomon illam in ullo Palaestinae portu, Ioppe ex. c. componere (cf. Ion. I, 3), aut ex Idumaeo navali deductam, plaustrisque impositam terra in Mediterraneum transvehere, quemadmodum et Hiram suas exinde naves in Erythraeum transmittere Ophiram velificaturas; hanc scilicet terrestrem navigiorum travectionem antiquitus usurpatam comperimus (Herodot. hist. lib. VII, 24; Thucyd. IV, 8; Arrian. libb. IV, VII; Diod. Sic. Bibl. lib. IV, 56; Ammian. Marcell. XXIV, 7). Porro legimus, semel in singulis trienniis, naves Tharsis patriam onustas rediisse, quia nimirum semel tantum per id temporis spatium inde solvebant, neutiquam quod integrum triennium in navigatione consumerent; caeterum antiquiores nautae rarius in altum provecti et littora legentes, frequentibus etiam stativis adversae tempestatis, aquationis aut commercii causa plurimum temporis absumebant; adde sicuti aurum, argentum, ferrum, plumbum et stannum, quorum Tartessus copiosissimum erat emporium (Ierem. X, 9; Ezech. XXVIII, 12, 25; cf. Aristotel. de mirabil. auscultat. cap. CXLVII; Strabo III, 147; Diod. Sic. lib. V, 35-37; Heeren, Ideen 1, Th. 2, Abth. 44, ff.), partim ex interiori Hispania, partim ex Lusitania et Cassiteridibus (Strab. loc. cit.), ita simias, ebur et pavos, aut ex proximioribus septentrionalis, aut ex remotioribus occidentalis Africae plagis a phoeniciis mercatoribus illuc avecta fuisse, quae proinde loca et ipsi Salomonis nautae adire potuissent. Hinc etiam factum videtur, ut Tharsis nomine non modo Baetica et Iberia, sed generatim ultimae occidentis regiones designarentur, qua pari ratione Thule boreales, et Ophir australes significasse visae sunt. Quamobrem haud inepte Moversius (Untersuchungen über die Chronik S. 254; cf. Is. II, 16, LXVI, 19; Ps. XLVII, 8, LXXI, 10) naves Tharsis אֳנִיּוֹת הֹלְכוֹת תַּרְשִׁישׁ dictas existimat,

los (*a*), hinc magnam auri, argentique copiam, ebur, simias pavosque (*b*) asportabat. Accedunt principum foederatorum munera (*c*), necnon qui nominis celebritate capti (*d*) undique illum invisebant, ut regiae splendorem propriis oculis usurparent et regis sapientiam propositis aenigmatibus (*e*) tentatam admirarentur; hac porro occasione

quaecumque phoeniciarum more longiorem navigationis cursum suscepissent, quas nos promiscue Indicas vulgo nuncupamus, sive Indiam proprie dictam (*Indie orientali*), sive Americae insulas (*Indie occidentali*) provehantur; qua posita interpretatione, naves, quas Iosaphat paraverat (III. Reg. XXII, 49) Ophiram profecturas, eaedem et Tharsis velificaturae (II. Paralip. XX, 37) dici potuissent. Quamquam, ut ex hactenus disputatis luculenter apparet, nil vetat, quominus utrumque locum petierint, Iosaphat vero primum unus ipse classem Ophiriticam (III. Reg. XXII, 49), dein cum Ochozia (II. Paralip. XX, 37) Tharsensem exstruxerit, ex Erythraeo Indiam versus aut Hispaniam soluturam, vel membratim disiectam, terrestri itinere, in mare mediterraneum transportandam. Ex allatis porro sententiis, quae cuique libuerit, hanc ipse amplectatur, nos interim, ut omnes probabiles, et, ad rem nostram quod attinet, ab adversariorum oppositionibus satis tutas pronuntiamus, ita in tanta rei ambiguitate nullam certam dicere audentes, iudicium doctioribus, aut audacioribus libenter permittimus.

(*a*) III. Reg. IX, 28; X, 11. II. Paralip. VIII, 20.

(*b*) III. Reg. X, 21-27.

(*c*) Ib. 15.

(*d*) Ib. 23-25. De hoc Orientalium more vide Maundrell, Description of a journey to the Holy-Land p. 26; Chardin, Voyage en Perse, 3 vol. p. 221; Thévenot, Voyages, 3.[e] partie, liv. 1, ch. 42; Forbes, Oriental Memoirs, vol. 1, p. 260. Cf Gen. XXXII, 18; Ex. XXIII, 15; Iud. III, 18; VI, 18; I. Reg. IX, 7; III. Reg. XIV, 3.).

(*e*) Intortas, seduloque obscuratas quaestiones priscis hominibus (cf. Iud. XIV, 12) uti omnibus omnino gentibus quae e ruditate ad cultum et humanitatem enituntur, tantopere adamatas fuisse, ut vel reges, ingenti mulcta statuta, illis certare non dedignarentur, ex Menandro et Dio, Tyriorum historicis, probavit Iosephus, Antiq. lib. VIII, c. V. § 4; ex Graecorum et Romanorum scriptorum testimoniis Stuckius, Antiq. convival. lib. III, c. XVII; ex Ægyptiorum et Æthiopum exemplis

splendidos atque munificos se praestitisse, ex Orientalium ingenio, et regionum, quibus praeerant, felicitate conficitur: id sane de Sabae regina verisimillimum est, (praeter hanc autem et alios ex Arabia Felice Salomonem convenisse admodum probabile); Sabaeorum enim gentem, auro, aromatibus, pretiosisque lapillis abundantem (*a*), non minus soli ubertate quam mercatura florentem, omnium opulentissimam fuisse (*b*) compertum habemus; neque proinde reginae liberalitatem demiramur, eoque minus, quippe prudentis se a rege munificentissimo longe pretiosioribus donis locupletandam (*c*). Ceterum animadvertendum est, non tam ex auri nummorumque quantitate, quam ex eorumdem valore fortunae amplitudinem aestimandam; porro

Iablonsky, Pantheon Ægypt. Proleg. § XLVIII. Similia apud Arabes certamina ad Muhammedis usque aetatem perduravisse colligitur ex v. 35. cap. XXV Corani: *non proponent tibi similitudinem, cuius non tibi demus veritatem explicationemque optimam.* V. Lowthii De Sacra Poësi Hebraeorum Praelect. edid. Rosenmüller, pag. 442-43.

(*a*) III. Reg. X, 2; Ps. LXXI, 15; Is. LX, 6; Ierem. VI, 20; Ezech. XXVII, 23. Cf. Strabo XVI, 768; Mela III, 8; Plin. VI, 32, XII, 30, 40; Virg. Georg. I, 57; Diod. Sic. III, 46.

(*b*) Ezech. loc. cit. Iob. VI, 19. Cf. Strabo loc. cit. Agatharchides apud Photium col. 1374.

(*c*) IV. Reg. X, 13; II. Paralip. IX, 12, quae loca, si recte interpreteris, neutiquam pugnantia sunt; illic siquidem legimus Salomonem quaecumque regina Saba expetierat, aliaque *praeterea*, pro regis munificentia, כְּיַד הַמֶּלֶךְ eidem contulisse; hîc vero alia *plura* donasse *quam* ab illa accepisset: scilicet hebraico vocabulo מִלְּבַד significationem tribuimus latinae voci *praeter* respondentem, quae *ultra*, *supra*, *prae*, *magis quam* interdum etiam significat; qua in re consentientem habemus Vulgatum.

nec idem semper et constans talentorum pondus fuisse (*a*); cumque non eadem ac nunc commerciorum commoditas atque opportunitas olim obtineret, saepe evenisse ut, pretiosiorum metallorum abundantiam eorumdem vilitas consequeretur (*b*); perperam idcirco adversarios rationibus ad nostram hanc rerum ac temporum conditionem exactis, Davidis, Salomonis redituum ac sumtuum aestimationem inire, summaeque immanitatem nobis opponere adeo incerta, maximeque fallaci computatione subductae (*c*).

CXXVII. Salomonis templum, quatenus arctiori sensu atque complexu, vestibulo (*d*), aede ipsa (*e*),

(*a*) V. sup. p. 259-60.

(*b*) III. Reg. x, 21,27. De Alilaeis, Gasandis Sabaeorum finitimis tradit Diodorus (Bibl. hist. lib. III. § 44), aes et ferrum aequali auri pondere cum mercatoribus permutasse. Agatharchides vero (apud Phot. col. 1370) haec de iisdem habet: « Et ad vicinos translatum (aurum) » distrahunt pretio vili admodum, aeri enim triplum et ferro duplum » auri rependunt; argentum autem decuplum auri valet ». Quae utut supra verum aucta videri possint, omnino tamen veri dissimilia non sunt; sic superiori memoria, novi orbis detecti incolis, pro auro et margaritis nil rependebatur, praeter vitrea et ahena, et fibulas, et cultellos, et securiculas, et alia huius generis crepundia et nugamenta. Pariter stupendi Atabalipae Peruani regis thesauri multo minoris penes ipsum erant, ac penes ullum Europae principem fuissent. V. Bocharti Geogr. S. col. 140. Chevreau, Histoire du monde, tom. IV. lib. VIII. ch. 3.

(*c*) Confer praeterea, quae sup. pag. 250-51 de inevitabili in numeris describendis amanuensium alucinatione dicta sunt.

(*d*) אוּלָם ὁ πρόναος

(*e*) הֵיכָל palatium, aedes, templum, *corpus* scilicet *aedificii*, *navis*, Vulgatus vertit: *sanctum*.

et adyto (*a*) dumtaxat constabat, modicae quidem erat amplitudinis, quippe cum, secus ac aliarum gentium templa (quorum tamen antiquiora pleraque neque amplissima fuerunt), solis sacerdotibus pateret; at latiori significatione et ambitu, atria plura, eaque spatiosa, latis porticibus cincta complectebatur, quae sacerdotes, Hebraeorum vulgus et mulieres separatim ingrediebantur; alia insuper vestibula atque atriola, templi ac ministrorum usibus destinata, sed etiam aedes multiplices illud undique circumambientes, ministrantium nempe conclavia, condita ad annonam, promtuaria ad supellectilem reponendam, appositas iudiciorum, amplas conventuum sedes: quibus et immensae substructionum moles superaddendae sunt; cum enim in praerupti montis vertice, cui templum erat superimponendum, exigua, pro aedificiorum magnitudine, planities extenderetur, hanc Salomon aggeribus excitatis ad stadium ampliavit, et muro lapideo circumdedit, imo ex infima valle gradatim ad collis summitatem progrediens, hunc saxis grandioribus, ferreis subcudibus firmatis, ad africum vallavit (*b*); quae

(*a*) דְּבִיר alibi קֹדֶשׁ הַקֳּדָשִׁים, Vulgatus vertit: *oraculum, sanctum sanctorum.*

(*b*) Ioseph. Antiq. lib. XV, c. XI, § 3. Cf. lib. VIII, c. III, § 1, 9; lib. XX, c. IX, § 7. Quamquam autem, quae hîc Salomoni in universum attribuit, magna ex parte progressu temporis a populo perfectum alibi tradidit (De Bello Iud. lib. V, c. V, § 1); nihilominus cum indefinito modo locutus, nec tempus, neque auctores accurate designaverit; Hebraeis autem inde a Roboami aetate ad Babylonicam

structurae, arcuato opere aliae aliis aggestae, ex multiplici concamerationum ordine constabant. Operis itaque granditatem ac difficultatem considerantibus, simulque repetentibus quantum temporis atque laboris in consimilibus aedibus aut monumentis exstruendis antiquiores scriptores insumtum ferant (*a*), incredibile videretur septennio fuisse absolutum, nisi aliunde constaret, Davidem iam antea plurimum operae atque apparatus ad illud adornandum con-

captivitatem defuerit animus, postea tanto operi moliendo vires defecerint, ad hanc eius opinionem, in quam temere ipse venit, quamque postea (locc. sup. citt.) retractare visus est, descendere nequimus; verum, qui postremum dumtaxat munimentum Herodi Magno assignaret, ille fortassis a vero non abluderet.

(*a*) Asiam universam ducentos annos Dianae templo apud Ephesios condendo, et per quadringentos eidem condecorando allaborasse auctor est Plinius, Hist. nat. lib. XXXVI, cap. 14. Maximam Ægyptiarum pyramidum tribus et sexaginta virûm millibus, viginti annorum spatio absolutam narrat Diodorus Siculus, Bibl. hist. lib. I, § 3. Quae profecto talia sunt, ut, quantumvis illa extenues atque comminuas, iis quae hagiographus tradit, longe sint mirabiliora. Idem esto iudicium de plurimis hostiis in templi dedicatione mactatis, neque enim pauciores sollemnissimis diebus, antiqua ac recenti memoria, Ethnici immolaverunt (V. Suetonius in Caligula cap. XIV; Ammian. Marcell. Rer. gest. lib. XXII, c. 30, lib. XXV, c. 15; Tavernier, Voyages, part. III, p. 80); id autem in primis notandum, non tot una die, sed per duas hebdomades, toto scilicet festivitatis tempore, non tantum a Salomone, sed a rege una cum populo (III. Reg. VIII, 62-63), neque in holocaustum, sed in epulare (eucharisticum, pacificum שְׁלָמִים V. Deut. XXVII, 7) sacrificium oblatas fuisse; iamvero si supputaveris quot capita diurnus frequentiorum urbium victus absumat, haud miraberis immensum Israëlitarum conventum, calculo subducto, 1571 3|7 boum, ovium 8531 3|7 quotidie consumsisse. V. Dereser, op. cit. in h. l.

tulisse (*a*). Quantum vero constiterit, haud liquido

(*a*) I. Paralip. XXII, 14 seqq., XXVIII, 11 seqq., XXIX, 2-10. Quae testimonia nedum Regum libris, ut de Wettius autumat (Beytraege z. Einl. ins A. T. S. 117, ff.), adversentur, inde potius confirmantur: revera Davidem, cui hoc vehementer fuerat in votis ut, quoad eius fieri posset, aedem Deo dignam excitaret (II. Reg. VII, 2), admonitus autem consilium deserere a Salomone (Ib. 11-13 coll. cum XII, 24-25, III. Reg. V, 5, VIII, 19-20) exsequendum, maximam interim auri atque argenti copiam *, sed et aes plurimum, praedam cetero insolitam, in hunc usum congesserat atque sacraverat (II. Reg. VIII, 6-11), omnem industriam ac diligentiam in eo collocasse, ut quam iuniorem adhuc in regni societatem assumserat, mox regnaturum (I, 32-48), omnia in promtu haberet quae ad templi aedificationem quantocius perficiendam conducerent; hoc et verisimillimum est, indeque praeterea colligitur, quod inter ceteros Davidis iam senescentis ministros, angariarum (haec hebraicae vocis מַס *potestas*, cf. III. Reg. V, 27 hebr.) praefectus tunc primum recenseatur (cf. II. Reg. VIII, 16 seqq. cum XX, 24, et III. Reg. IV, 6), cum rex interea nullis aedibus instruendis incumberet; tum etiam ex eo concluditur, quod ipso defuncto, quin aedificii locus ** aut forma in quaestionem veniret, opus incunctanter inceptum sit, eoque temporis spatio absolutum, quod ceteroquin vix illius designationi atque apparatui, nullatenus vero sumtibus parandis suffecisset; tum demum inde conficitur, quod Salomon Hiram efflagitans ut Tyriorum artificum operam sibi commodaret, perinde locutus sit, ac si iste et intermissum Davidis propositum nosset (III. Reg. V, 3), et hanc ipsam opem huic iampridem praebuisset, quod I. Paralip. XXII, 4 oblique notatur. Quod vero cogitationis depositae II. Reg. VII, et Paralip. XVII ratio nulla, II Paralip. XXII, 8, XXVIII, 3 alia atque III. Reg. V, 3 reddatur, contradictio non est; non enim qui silet, inficiatur, neque qui varia, ideo diversa ac pugnantia loquitur; porro assidua Davidis bella, caedesque atrociores (II. Reg. VIII, 2, XII, 3, III. Reg. XI, 15-16) probabilem causam suppeditasse

* Quam rex humillimus *in paupertate sua* se comparavisse affirmat (I. Paral. XXII, 14), quia *Dei sunt omnia*, et quae ab eo acceperat, eidem retribuerat XXIX, 14; alioquin de Wettius qui Davidem reipsa inopem facit, edisserat quomodo, pauperrimo demortuo parente, filius extemplo ditissimus esse potuerit.

** Templi locum a Davide praestitutum confirmatur ex Reg. XXIV, 18-19, 24 coll. cum I. Paralip. XXI, 30, XXII, 1 seq., nec non Ps. CXXXI, 2, 5, 7, 13; quem psalmum occasione solemnis arcae translationis in templum decantatum fuisse conficimus ex vv. 7-8 coll. cum Ps. LXVII, 2, Num. X, 35, II. Paralip. VI, 41.

patet; nam infinitam pecuniae vim in millenos opifices indigenas et externos, caementarios, lapicidas, fabros metallorum, lignorumve caesores, architectones, aurifices, operumque praefectos conducendos, necnon pretiosis lignis atque lapidibus coëmendis (*a*) impensam; infinitam auri copiam in sanctuarii parietibus, pavimento, supellectili inaurandis, aureisque quamplurimis vasibus conflandis profusam fuisse (*b*), indubium quidem est; at ingentes thesauros, quos David templo aedificando paraverat, ex toto haud absumtos, partimque, in sacro aerario repositos (*c*), acque certissimum. Porro, quemadmodum aedificii sumtuositas ac magnificentia iure suspicitur, ita convenientia ac symmetria nullatenus desideratur; apta siquidem deprehenditur membrorum proportio ac dispositio, et rationes architectonicae, vel ipsis adversariis fatentibus (*d*), apprime servatae sunt;

ut a templo exaedificando abstineret, ipso Ethnicorum consensu probamus (V. Æneid. II, 717); utrum autem David a Nathane illam primum compererit, an vero deinceps ipse coniecerit, non definimus; illud pro certo habemus, hanc neutiquam a Salomone Hiramo fuisse significandam, maxime cum alia eaque notissima praesto esset, Ammonitarum scilicet bellum (II. Reg. X, XI), et motus ac turbae Absalomis rebellione excitati (XV, XVII), quae omnia licet neque perpetua fuerint, nec otium ac commoditatem necessariis rebus parandis prorsus abstulerint, Davidem tamen ab incepto vel una ipsa deterrere potuissent, a quo nihil Salomonem externi cuiusvis, internique hostis (שָׂטָן) securum retardabat.

(*a*) III. Reg. V, 13-18; VII, 13, seqq.

(*b*) Ib. VI, 21, 22, 28, 30, 32, 35; VII, 48, 50.

(*c*) Ib. 51.

(*d*) Winer, Realwörterbuch II. B. S. 870.

quod ad speciem atque eurythmiam, dolemus compendiosa hagiographi descriptione potius adumbratas quam expressas fuisse; at gravi et severo Hebraeorum ingenio, necnon venerandae Iehovae maiestati convenisse, non est cur dubitemus. Ridendos vero existimamus, qui Graecam hîc elegantiam, aut Bramantis, Bonarotae, Palladii egregias ingeniorum solertias requirunt (*a*); etenim architectonice, haud secus ac musice atque poësis, peculiari cuiusque gentis aetati, indoli, culturae, religioni cumprimis respondet; neque proinde repugnat, eadem arte excellentes plurimum inter se distare. Hac etiam ratione Davidem cum Pindaro, Isaiam cum Demosthene imperite conferres, quamquam Hebraeus vates et orator neutro Graecorum, quod ad sublimitatem, vim et efficaciam, concedit: dixi *hac etiam ratione*, nam quod ad afflatum incomparabiles sunt, cum illi divino isti naturali tantum oestro agerentur. Verum afflatus hominem quidem perficit, non ideo tamen penitus immutat; quamobrem, sicuti Deus magnam mentem, animumque ad sui laudes canendas, aut iussa promulganda prophetis inspirans, eorum se indoli, moribus, studiis quadantenus accommodabat; ita cultus sinceritati et typicae significationi, tum etiam maiori eiusdem observantiae ac venerationi provisurus, caeremonias et ritus, sacrae supellectilis et tentorii

(*a*) Voltaire, apud Nonnotte, Dictionnaire philosophique, art. Salomon, § VII.

formam Mosi primum praescribens (*a*), dein ad tabernaculi exemplar templi σκιαγραφίαν adumbrationem Davidi per Nathanem (*b*) proponens, haec omnia prudenti consilio, variis temporum, populique conditionibus attemperavit.

Pugnantia vero aut inepta in hac descriptione reperiri pernegamus. Sane, quod neque mallei, neque securis, nec alterius ferramenti ictus in templi aedificatione exauditi dicantur, hyperbolica locutio est (genus tropi Orientalibus frequentissimum), qua singularis Davidis et Salomonis artificum peritia significatur, qui lapides et ligna multo antea quam suo quaeque loco collocarentur, ita adamussim ceciderant, dolaverant, perpoliverant, ut ad unguem quadrarent, quin ullo instrumento iis aptandis opus esset. Absurditatem, quam nonnulli in eo deprehendunt, quod vestibulum altum cxx cubita, latum x, templo xxx dumtaxat cubitorum altitudinis praeponatur, et discrepantiam (*c*), quae in columnarum et capitulorum altitudine determinanda reperitur, sine negotio diluimus admonentes primo, numerorum notationem vehementer in lubrico versari, proptereaque haud veri dissimile videri, quod librarius, literis paullulum immutatis, מֵאָה וְעֶשְׂרִים centum et viginti, pro אַמּוֹת עֶשְׂרִים cubita viginti describens (*d*), vestibulum fecerit sexies altius, et י״ח xviii cum ל״ה xxxv commutans, columnarum altitudinem ingemina-

(*a*) Exod. xxv, 40, xxvi, 30.

(*b*) i. Paralip. xxviii, 19.

(*c*) Nonnulla ex libris Paralipomenôn excutienda praecipimus, ut uno tenore, quae ad templi descriptionem pertinent, exponamus.

(*d*) Alii ponunt, nec inepte, vestibulum potius turris, quam atrii vicem praebuisse.

verit; dein eadem aedificii membra, prout in totum aut in partes dimetiebantur, diversae fuisse mensurae; quare integra capitula quinque cubitorum, demtis abaco, aut etiam corona, quatuor aut trium tantummodo altitudinis erant (*a*). – Nec pariter in geometriam scriptor peccasse dicendus est, propterea quod aeneo *mari* (pelvi), cuius diametrus erat decem cubitorum, ambitum assignaverit 30 loco 31 5|7 cubitorum, quot nempe pro ratione peripheriae ad diametron (7 : 22) esse debuissent; quid enim si matheseos amussis haud secus atque arithmeticcs, historicorum more, parum curiosus, haud solidis semper rationibus usus, segmina interdum neglexisset? animadverte tamen labrum non circulare, sed sexangulum (*b*) fuisse, cuius figurae flexus et sinus cum amussis circumducta non dimetiatur, proportio eius diametri ad peripheriam est praecise ut 1 : 3, proindeque ut 10 : 30 (*c*). Similiter absurdum forsan videbitur, quod fascia decem cubitorum vas triplo maioris amplitudinis circumiverit; at cum eo quod inferiorem, angustiorem idcirco, huius partem potuit ambire, tum hebraica verba recte interpretaberis, ut significent, taeniam illam, uniuscuiusque cubiti intervallo, decem colocynthides caelatas exhibuisse; istae autem boum effigies alibi nominantur, sive amanuensis ulla vocabulorum פְּקָעִים et בְּקָרִים consonantia, similitudine deceptus alterutrum commutaverit; sive, quod multo probabilius, prius illud vocabulum, iuxta nativam significationem, anaglypta, exstantes quaslibet imagines generatim designaret, praesertim quae ex toto prominent (*d*), ac quodammodo erumpunt. Luteris demum capacitas, pro varia illum re-

(*a*) V. Iunius in h. l. apud Poli, Synopsis Critic. Sacr. Sunt quibus haec non adeo probentur, et librariorum errata hîc subolfaciant.

(*b*) III. Reg. VII, 26: *quasi labium calicis, et folium repandi lilii.*

(*c*) V. Dereser in h. l.

(*d*) Italice: *figure di tutto rilievo.*

plendi aut dimetiendi ratione, alia atque alia esse potuit: fac ex. c. bis mille bathos (amphoras) solite continuisse, alioquin ter mille complexurum; aut scribam librarium in alterutrius numeri notatione, ut saepe alias, erravisse (*a*). De cetero, in hisce aliisque similibus Regum et Paralipomenôn locis declarandis aut componendis, probabilia quidem suppetunt (*b*), at quominus certa semper proferantur, prohibet obscura vel obliterata vocum, maxime *technicarum*, potestas, frequens et excusabilis error amanuensium, varium scriptorum propositum quaedam consulto praetermittentium, alia supplentium, ut historiae brevitati atque integritati providerent; verum implexa, involuta, etiam insolubilia non modo pugnantia non sunt, sed nec esse possunt, quippe absurditas in manifesto errore posita est: saniori itaque consilio adversarii operam, quam hisce locis pervertendis consumunt, iisdem illustrandis nobiscum commodarent; nam viribus, animisque sociatis, quanto potiores, ac Veritati, quae una simul Caritas est, proximiores essemus!

(*a*) Pauli testimonium, Hebr. IX, 4, neque ad rem est, neque historicus eidem contradicit: ille namque de tabernaculo, non autem de templo verba facit; hic autem, hoc ipso quod nil praeter tabulas lapideas in arca repositum memorat, notat oblique alia olim inibi fuisse, quae cur eius aetate desiderarentur, cum multae rationes esse potuerunt, post tot tantasque arcae et tabernaculi vices, nullae a nobis reddendae sunt.

(*b*) V. Dahler, De lib. Paralip. auctoritate; Keil, Apologetischer Versuch über die Bücher der Chronik; Movers, kritische Untersuchungen über die bibl. Chronik. Ad templi descriptionem speciatim enucleandam, atque a difficultatibus expediendam, multa tibi erudita et ingeniosa dabunt ex veteribus Lamy, Appar. Bibl. lib. I, c. IV; Villalpandi et Pradi Explan. in Ezechiel. tom. II; Relandi, Antiq. sacr. part. I, capp. VI et VII; ex recentioribus Iahn, biblische Archaeolog. III, Th. S. 254, ff., speciatim Meyer, der Tempel Salomons, in d. Blaett. f. höhere Wahrheit, neue Folge I; Hirt, der Tempel Salomons, Berlin 1809.

CXXVIII. Hoc esse hominis ingenium ut modo Angelorum naturam aemulari, modo ad brutorum conditionem se detrudere queat; sapientissimum propterea in absurdissimos errores, sanctissimum quemvis in turpissima facinora, ni Deus prohibeat, prolapsurum, luculentissima atque indubia res est, cuius veritatem constanti seculorum experimento comprobatam historicus tenet, proximiorem rationem philosophus, ultimam causam theologus aperit; cum igitur perpetuitas impeccantiae soli Deo reservetur (*a*); cumque physica ac moralis lex sit, ut quae optima sunt, si corrumpantur, pessima evadant; miserandum Salomonis casum lugemus, neque tamen miramur, eo vel maxime, quod sensim atque paullatim a summo fastigio in tantam devenerit ruinam. Salomonis scilicet principatus exordia fulgentissima atque intemerata fuerunt, plurimis praecellentis sapientiae atque integerrimae iustitiae speciminibus clara, nulloque ne leviori quidem crimine notanda: sane Adoniae regnum affectanti primum generosus pepercit, hac una conditione, ne quidpiam novi denuo moliretur, alioquin capite periclitaturus (*b*); at cum motus atque tumultus hic rursus ciere, et, Sunamitidis nuptiis, regnum iterum ambire ausus est (*c*), factiosum

(*a*) Hieron. praef. in l. iv. comm. in Ierem.

(*b*) iii. Reg. i, 51-53.

(*c*) Ex more penes reges orientales recepto, quaecumque regis fuerant, hereditario iure ad eius successorem transibant; quare nemo poterat horum aliquid appetere, quin et reliqua sibi assumere videretur. Cf. ii. Reg. iii, 7-8, xii, 8, xvi, 21-22.

contumacem in reipublicae quietem ac securitatem una cum Ioabo rebellionis participe iustissimo supplicio affecit; Abiathari vero seditionis fautori eidemque poenae obnoxio, vitam propter antiqua in Davidem merita, et sacerdotalis dignitatis observantiam largitus, neutiquam pontificium abrogavit, sed procul urbe, proindeque et a templo in exsilium relegato omnem illud exercendi occasionem eripuit. Interea regno undique securo ac florentissimo, rebus nimium secundis, ut felicioribus usuvenit, emollitus, et nominis celebritate elatus immodico luxui se dedere, populum onerare tributis, insolescere, superbire, externarum mulierum blanditiis fractus, irretitus, in nativa harum superstitione connivere, mox eidem operam dare, sive illis gratificaturus superstitiosum animum simularet, sive, ut Ethnicorum sapientissimi, multiplici symbolorum varietate, totidem unius eiusdemque divinitatis attributa colenda duceret, sive demum, iuxta *pantheistarum* placita, Deum ipsum *τὸ πᾶν* hanc rerum universitatem existimans, singulas huius partes, ceu varias illius *εἴδωλα* ideas, species veneraretur; gravissimum quidem, theologorum iudicio, peccatum, quod tamen quomodo philosophorum nostrae aetatis ac *Rationalistarum* plerisque incredibile, aut reprehensibile videri queat, fateor me nescire. Nec rursus satis intelligo, cur veri dissimile arbitrentur, plebem maximis oneribus pressam, antiquo et inexstincto aemulationis (*a*)

(*a*) V. Pag. 18-19, 233-234.

studio discordem, ad idololatriam tum pronam ingenio, tum pessimo principis exemplo incitatam, in Ieroboami partes facile descendisse; praesertim cum rex sollertissimus avitae religioni haud omnino valedixerit, sed eam tantum cultus mutationem induxerit, quae dum Israëlis vanitati et invidentiae blandiretur, schismatis perennitati conduceret: quare ad idololatriam proprie dictam haudquaquam illum deflexit, sed cum templi Salomonis magnificentiam aemulari, aliamque sibi arcam et legem divinitus datam comparare nequiret, tantam iacturam antiquiori locorum sanctitate (*a*), et luculentiori (vulgi quidem iudicio) divinae praesentiae symbolo resarcturus, aureis vitulis Dei fortitudinem adumbrantibus, iis in locis collocatis, quos sui visione aut auxilio Patriarcharum temporibus Iehova consecraverat (*b*), Israëlitas e Iudaeorum templo adeundo dehortatus est. Quibus vero rationibus hoc sui consilium ceteris probaverit, Scriptura silente, inutilis est disquisitio: cum enim vera cuiusque schismatis causa, antiqua ac recenti memoria, eadem propemodum semper fuit, regum videlicet, aut optimatum praepotentia, plebis stupiditas atque ignorantia, utrorumque corruptio; tum apparens multiplex et varia esse solet; neque tamen admodum huic absimilem existimaverim, Deum scilicet

(*a*) Hac ratione Samaritani cultus in monte Garizin praestantiam tuebantur. Cf. Euseb. Praep. Evang. lib. IX. c. 17.

(*b*) III. Reg. XII, 29 coll. cum Gen. XIV, 14, XXVIII, 19, XXXI, 13. Cf. et Iud. XVIII, 30.

unicam religionis, cultusque sedem Ierusalem haud collocavisse, quandoquidem pluries alibi, nec arca praesenti, tum se videndum praebuerat, tum sacrificium acceptaverat; politicam autem Israëlis secessionem approbans, hoc ipso et sacrorum communionem dirimere voluisse censendus erat; neque praeterea vitulorum cultum improbaturum, quippe Ægyptiorum superstitione dudum abiecta atque obsoleta, nullum iam exstabat periculum ne Hebraei, ut olim Aaronis aetate, symbolum cum re commutantes, Apin aut Mnevin venerarentur. Utcumque res sit, cum volentia facile credantur, haud difficile fuit sacrilegam superstitionem iis persuadere (*a*), quos deinceps idololatriae quamsaepe et pertinaciter legimus adhaesisse; alioquin pronum illis fuisset, manifestam deprehendere argumentorum falsitatem. Revera Hebraeis in politicam ac religiosam societatem coactis, ut huius firmitati, cultusque integritati consuleret, expressa lege praeceperat Moses, ut uno eodemque loco sacra omnia celebrarentur (*b*); quare ante templi exstructionem solemnitates, conciones, sacrificia iis in locis generatim habebantur

(*a*) Invitos autem vel compescendi, vel ablegandi plurimae tyrannis, eaeque expeditissimae rationes in promtu semper fuerunt et sunt; infimos scilicet ex quavis tribu, regia (nimirum competenti!) auctoritate in sacerdotes Ieroboam inaugurans (III. Reg. XII, 31), plebis cupiditatem incendit, et Levitas decimarum proventu fraudatos exsulare coëgit. Callidum, sed mite consilium; quidam enim feritate quam prudentia insignior, vel maxima temporum, morumque humanitate, in apostasiae aut vitae, libertatisve discrimen illos adduxisset.

(*b*) Lev. XVII, 9; Deuter. XII, 8.

ubi tabernaculum defixum (*a*), aut quo fuerat arca translata (*b*): quodsi, difficillimis temporum ac reipublicae conditionibus, interdum huic legi derogatum est, diuturniori pace per Davidem comparata, apposito templo, Deo mandante (*c*) ac moderante (*d*), per Salomonem excitato, religioni esse debuisset legem infringere, cuius observantiae omnia temporum, locorum ac personarum adiuncta favebant; neque civile dissidium insuperabile aut gravissimum erat impedimentum, quandoquidem tribuum distinctio, et, ut ita dicam, dissociatio nunquam obstiterat, quominus omnes aut plerique sacrorum causa Silo, Bethel, Maspha, aut Galgalis superioribus temporibus convenirent. Verum quidem est, quod religionis communione servata, pronum deinceps fuisset et politicam redintegrare; sed enim haec erat Numinis voluntas, qui Salomonis imperium propter eius defectionem ad tempus disciderat (*e*), pristinae amplitudini serius ocius, nisi posterior aetas filios parentibus nequiores tulisset, imo maiori adhuc (spirituali tamen) per Messiae adventum et gentium vocationem restituturus.

(*a*) Tempore Palaestinae occupationis, in Galgalis Ios. IV, 19, IX, 6, X, 6, 43, XIV, 6; dein, Chananaeis maximam partem devictis, usque ad Samuelis aetatem, in Silo Ios. XVIII, 1, 10, XIX, 51; Iud. XVIII, 31, XX, 18, XXI, 19; I. Reg. I-IV; Ps. LXXVII, 60; Ier. VII, 12.

(*b*) Iericho, Ios. VI, 4 seq.; Hai, VII, 6; Bethel, Iud. XX, 26-27. V. pag. 161. n. (*d*).

(*c*) III. Reg. VIII, 29, IX, 3, XIV, 21.

(*d*) I. Paralip. XXVIII, 19

(*e*) III. Reg. XI, 39.

Quamobrem prophetae omnes sive Iudaei, sive Israëlitae hac temporaria atque politica defectione neglecta, populum ut integrum atque indistinctum considerantes, ad omnes indiscriminatim Hebraeos divinitus se missos significant (*a*), Ieroboami apostasiam aperte condemnant (*b*), novique ritus sacerdotes et prophetas falsitatis redarguunt (*c*); quodsi unam aliquando idololatriam Israëlis regibus exprobrant, hoc ideo fit, quia cum gravissima notantur, minora negliguntur; quia cum invecta per Ieroboamum superstitio, propter *politicam necessitatem* (perpetuum cupiditatis praetextum), quam successores ad unum omnes impie stulteque praetendebant, inemendabilis videretur; in id potissimum animum intendebant, ut idololatriam saltem propulsarent; quae multo periculosior reliquos adhuc pios Israëlitas inficere potuisset. Falsum praeterea est, illos sacra in excelsis peracta omnino et semper approbavisse; sed toties altaria inibi excitarunt, aut diruta doluerunt, quoties alibi sacra faciendi, aut commoditas, aut opportunitas deerat; satius enim ibi quam nullibi sacrificare: ita nempe Samuelis aetate, incerta tabernaculi sede, arcaeque peregrinatione contigerat; idipsum Eliae

(*a*) III. Reg. XVIII, 31 coll. cum XIX, 19.

(*b*) Ib. XIII, 2, 32. Cf. expressum scriptoris testimonium ib. 33-34; IV. Reg. XII, 2, alibi; obliquum III. Reg. XIV, 21; quae tamen minime requiruntur, historicus namque nuda plerumque facta exponit quin lectorum iudicium praeoccupet, quod sui simillimum fore certo, nec false praesumit.

(*c*) Ib. XXII, 22-23.

temporibus evenit cum impia regum Israëlis interdicta (*a*) et munimina (*b*) iter ad Ierusalem impeditissimum facerent. Hinc intelligitur, quare prophetae Israëlitas Salomonis templum adire haud hortarentur, quamquam plures illud adiisse, imo in Iudaeam transmigrasse compertum sit, et ex mox laudato Baasae molimine (*c*) colligatur; conficimus etiam, Ieroboami ac successorum apostasiam Salomonis et nonnullorum ex eius posteris idololatria longe pestilentiorem fuisse; huic namque obiter isti indulgentes, purum interim Iehovae cultum haud abrogantes, neminem in pravum sui exemplum necessario trahebant; illi e contrario, vias omnes ac modos Deum rite colendi subditis praecidentes, eos in quamdam coniiciebant peccandi necessitatem; et haec causa est, cur prophetae frequentem regum Israëlis idololatriam acriter insectati, non minori severitate illos haberent, qui, idolis repudiatis, pessimis tamen Ieroboami vestigiis adhuc insistebant (*d*).

CXXIX. Quae cum ita sint, iam pronum est ceteras criminationes excutere atque purgare; et primo quidem praemonemus, prophetas clam aliquem in regem inungentes, hanc illi dignitatem potius praenuntiasse quam contulisse; sic Saul et David postquam privatim a Samuele inuncti

(*a*) III. Reg. XII, 28.
(*b*) Ib. XV, 17.
(*c*) III. Reg. XV, 17. Cf. II. Paralip. XI, 13-17.
(*d*) IV. Reg. III, 13-14.

sunt (*a*), prior tamen sorte adhuc eligendus fuit (*b*), uterque vero in solemni populi concione deinceps consecrandus (*c*); et Ieroboam ipse post typicam Ahiae praedictionem et Salomonis excessum, nil contra legitimum eius successorem molitus est, nec ante principatus honorem assumsit, quam ultro, libenterque ipsi ab Israële conferretur, nimirum postquam Roboam iustis huiusce votis obstiterat. Privata igitur eiusmodi consecratio nuda erat et mera prophetalis caerimonia, quae futurum portendebat, quin illud semper (*d*) et necessario probaret; Deus namque ea indiscriminatim praenuntiat, imo ut supremus omnium moderator sibi attribuit, quae sive ipse per se, aut piorum ministerio peragit, sive impiorum opera fieri permittit; quo sensu Razonis perfidiae (*e*), Roboami pervicaciae (*f*), et passim frequentis atque poenalis Hebraeorum hostium incursionis auctorem se facit. Quapropter propheta, qui Iehu principatum praedixit, haudquaquam eius assequendi rationem suasit; nec qui eumdem laudavit, propterea quod impiam Achabi domum funditus delevisset, ideo singula eius gesta

(*a*) I. Reg. x, 1, xvi, 13.
(*b*) Ib. x, 19-22.
(*c*) Ib. xi, 14, II. Reg. v, 1-3.
(*d*) Ieroboami quidem electionem ratam habuit Deus, ea tamen exceptione, quae nedum apostasiam illi indulgeret, perfectam ab eodem legis observantiam exigeret (xii, 38), qua non servata, principatus stabilitate, domusque perpetuitate multaretur (xiii, 34).
(*e*) III. Reg. xi, 23.
(*f*) Ib. xii, 15.

aut horum rationem et modum, speciatim vero fraudulentam Baalis cultorum caedem ex toto comprobasse censendus est (*a*); ex toto, inquam, quos enim, minus recte, dolo interemit, aperta vi, ut Elias octingentos pseudo-prophetas, merito confecisset: etenim cum idololatria, propter specialem *theocratiae* conditionem, crimen esset politico-religiosum, tantaeque gravitatis ut fidem, moresque perderet, socictatis fundamenta convelleret, eamque ad extremum exitium adduceret, mortis poena in idolorum cultores a Mose indicta fuerat (*b*), qua potiori iure ii tenebantur, qui malis artibus, uti Baalis sacerdotes, ad tantum nefas populum illiciebant, imo, quod verisimillimum, flagitiosissimae reginae auctores fuerant, ut *prophetas Domini* neci daret (*c*). Neque proinde reponas, haud licuisse privato regis subditos interimere, Deum alio ritu, bona tamen fide, atque civili iure colentes: nullum siquidem ius est contra Deum; nec bona fides rebelles ac seditiosos excusat (quamquam haec inepte profertur, cum de absurdissimo dogmate, infandisque flagitiis sermo est); nec demum Elias privatus, sed Dei ultionis minister, cuius personam se sustinere luculentissimo prodigio (*d*) comprobavit. Pariter

(*a*) Cf. quae de Iudicum gestis superius p. 176, seq. disseruimus.

(*b*) Deuter. XIII, 1-18, XVII, 2-5.

(*c*) III. Reg. XVIII, 4.

(*d*) Ib. 38. Revera ad omnem fraudis suspicionem declinandam, universo populo spectante, altare Elias excitavit, quod altiori canali circumdedit, terque large copioseque una cum hostia aqua perfudit, quae undique circumfluens aquaeductum replevit; tum ignem

haud illos iuvat, quod virtutis suae periculum facere ausi sint, cultrisque atque lanceolis fanaticorum se more prosciderint; nam ad regis imperium coacti sunt, Eliae vero provocationem (*a*) detrectantes fraudis se reos arguissent: ignem igitur caelitus deducere desperantes, clamores tollentes, seque vulnerantes, pietatem atque stuporem spectatoribus iniicere studuerunt; at in dolo ac vanitate convicti, Eliae mandatu, principe non abnuente, meritissimam scelerum poenam dederunt.

« Dat veniam corvis, vexat censura columbas (*b*) ».

Id scilicet faciunt, qui impostores absolvunt, verosque prophetas mendacii condemnant, proptereaque inscitos se aut malignos deprehendunt. Nimirum, Michaeam non quidem falso, sed per iro-

caelitus precibus impetravit, quem hisce in adiunctis naturaliter nec superne deduci, nec inferne suscitari potuisse evidens est; idcirco qui obscuram aliquam artem, nemini praeterquam Eliae cognitam, aut recens ullum chymicae physicaeque artis inventum ad ea tempora transferunt, et ridendos se praestant, et nihil adhuc proficiunt; sufficit namque vel unum ex tot probatissimis miraculis quibus Elias inclaruit, ut ipsum a quavis imposturae nota liberemus; quod argumentum ad ceteros etiam prophetas convenit.

(*a*) Inaniter Eliam quidam reprehendunt, quod idololatricum sacrificium falsis sacerdotibus suaserit; nam cum eo quod illos ad rem sacram parandam, non quidem faciendam (utpote divinitus conflagrandam) provocavit; tum iidem omnem fallaciam exuere, atque a fatali tentamine abstinere debuissent. Sic ex. c. eoquod adversarios provocemus, ut in suorum dogmatum confirmationem seria proferant, haud nobis vitio vertendum erit, si eorum aliquis nugari malit atque ineptire.

(*b*) Iuv. II, 63.

niam locutum intellexit Achabus, qui illum denuo, ut serio diceret, rogavit (*a*); Eliseus Hazaelis mentem prophetico lumine pervidens, praedixit regem a morbo convaliturum, nisi illius perfidia huius spiritum elisisset: vatem Bethelitam excipimus, qui reapse collegam fefellit (quod eius consilium ipsi damnamus, sive animo faceret illius veritatem experiendi, sive tali ac tanto hospite auctoritatem sibi apud suos conciliandi), neque tamen concludendum prophetarum ministerium anceps atque ambiguum fuisse; quandoquidem nulla nedum prophetae (*b*), sed et Angelo (*c*) contra expressum Dei testimonium aliquid asserenti fides habenda est: nec Deum dedecuit mendacium permittere, quod nullum nisi volentem in errorem inducere potuit, et divini eloquii veritatem deplorabili (*d*), at perutili experimento confirmavit: enimvero subitus decepti vatis interitus, cadaveris atque iumenti integritas, leone innocue interim accubante, Bethelitam prophetam, eiusque populares luctu atque terrore affecit, et altam adeo eorum, quae Iudaeus ille praedixerat, persuasionem ipsis indidit, ut superstes, ad rei confirmationem, in defuncti sepulcro se componendum suprema voluntate curaverit (*e*); concives vero, multo post tempore, antiquae prae-

(*a*) III. Reg. XXII, 16.
(*b*) Deuter. XIII, 1-3.
(*c*) Galat. I, 8.
(*d*) Quod ad poenae granditatem, repete dicta superius pag. 267-268.
(*e*) III. Reg. XIII, 24-32.

dictionis memores, hanc Iosiae nescienter illam adimplenti enarraverint (*a*). Similiter assentationis aut conniventiae crimine utrumque prophetam facile liberamus: Elias videlicet, posteaquam durioribus verbis Achabi impietatem insectatus, pseudoprophetarum convocationem et caedem ab eodem extorserat, ut praecaveret ne regem uxorium atque flexibilem facti deinceps poeniteret, simulque omnibus aperte testaretur regis se crimina, nullatenus vero personam aversari, pluvia in reconciliationis signum a Deo impetrata, in laetitiae atque honoris testificationem regi domum redeunti praecurrens, mite atque modestum sui ingenium declaravit. Naaman vero haudquaquam dubii solutionem ab Eliseo expetiit, sed eumdem rogavit, ut veniam sibi a Deo deprecaretur, eo quod civile ministerium, occasione nonnihil ancipiti, regi suo in posterum adhuc esset praestiturus; quod se facturum propheta neque spopondit, neque negavit, quippequi sanitatem idololatrae restituerat, ad Iehovae virtutem atque clementiam omnibus vel externis manifestandam, quin mentis aut morum emendationem ab illo in antecessum exigeret, aut postmodum postularet, rem omnem grato eius animo, prudenti ac religioso permittens; fortassis etiam, futura praevidens, intellexit inutile fore in praesentiarum responsum, quod ministro patriam reverso, atque e re nata consilium capienti, aut superfluum, aut inane erat

(*a*) IV. Reg. XXIII, 15-17.

evasurum. – Fidicinem arcessivit, ad animum componendum (*a*) regis Israëlis praesentia nimium commotum, utque divino afflatui concipiendo redderet paratiorem; quamvis enim musici concentus inspirationis vicem praestare nequeant, ipsi tamen minime adversantur, imo accommodatissimi sunt; quae porro praedixit, non ideo, ut saepe notavimus, aut ex omni parte probavit. – Eliseus Eliae discipulorum primus atque carissimus a magistro mox discessuro, quem parentis loco venerabatur, quodam quasi primogeniti iure (*b*), פִּי שְׁנַיִם duas partes, non vero duplum spiritualis eiusdem hereditatis, prophetalis nempe virtutis expetiit; quae quantopere iis maxime temporibus esset invidenda, atque exoptanda, ex utriusque, magistri aeque ac discipuli casibus, vicibus, calamitatibus apertissimum est. – Iamvero ex muneris gravitate ac difficultate iure concludimus, hoc una prodigiorum auctoritate et venerandum fuisse, et tolerabile. Iordanis igitur non ad iactantiam ac vanitatem, sed ad debitam Eliae successori consodalium reverentiam conciliandam divisus est. Giezi cupiditas, luculenta ac diuturniori poena (*c*) multanda, ne

(*a*) Sic soliti erant Pythagorei mentes suas a cogitationum intentione, cantibus, fidibusque ad tranquillitatem traducere, ait Tullius in Tusculanis lib. IV. c. 2.

(*b*) Deuter. XXI, 17.

(*c*) Candens lepra, Celsio teste, inemendabilis, et ad quartam generationem transmittitur; *in aeternum* לְעוֹלָם hic loci, ut alibi, nonnisi longum temporis intervallum designat.

Eliseus peierator haberetur, atque omni illiberalis, sordidique quaestus opinione prophetarum ordo eximeretur. Ursi (*a*) in adolescentes et quidem grandiusculos (*b*) irruerunt, qui in ipsa superstitionis sede (*c*) educati, sive sponte, sive a parentibus incitati, Eliseum propter calvitii deformitatem (*d*) irridentes, publicae potiusquam privatae personae ludificabant; porro non tam in horum poenam ursi divinitus instincti sunt, quam in aliorum fortassis exemplum, qui nisi identidem salutari timore correpti fuissent, in peius usque erant prolapsuri. Quod et de satellitio bis fulmine tacto, semel scotomate perculso censendum est, quorum licet ulli, tribuni praesertim, insolentiae et arrogantiae, alii aliorum criminum poenam dederint, nonnulli tamen merum forsitan infortunium tulerunt (*e*). Haec porro miraculorum convenientia clarior adhuc apparebit, si cum universa oeconomia comparaveris, qua Deus Hebraicae gentis sortem moderatus est; inde enim intelliges, neque saevo prophetarum in-

(*a*) Ursos, rufos nempe, in Palaestina nullo non tempore fuisse tradunt Forskal, Descript. animal. p. IV et V, n. 21. Cuvier, Règne animal, tom. I. p. 195.

(*b*) Cf. III. Reg. III, 7.

(*c*) Cf. IV. Reg. II, 23 cum III. Reg. XII, 32.

(*d*) Haec Orientalibus probrosa (Is. III, 17, 24. Cf. Bocharti Hierozoicon, p. I, lib. III, c. 9.) quoties servitutis, aut naturae potiusquam aetatis vitium est, quod Eliseo convenit, qui vitam ad multos adhuc annos inde produxit.

(*e*) Cf. pag. 267-268. Qui iocosum mendacium Eliseo exprobrant, ipsi ne veritatis studiosissimi sunt? Neutiquam vero mendax propheta; nam Samariam proficiscentem frustra in Dothan satellites quaesivissent.

genio falso attributa, nec Deo indigna fuisse (cuius clementia Hebraeis omnibus (*a*), et vel severioribus prophetis (*b*) compertissima), sed pervicaci Hebraeorum indoli, et ferreae temporum necessitati maxime accommodata; nondum scilicet tempus advenerat, quo *iustitia et pax se oscularentur* (*c*), et *lex per Moysen data gratia et veritas per Christum fieret* (*d*).

CXXX. De cetero remonemus, historiae auctoritate iam demonstrata, miraculorum opportunitatem et veritatem necessario ἀποδεικτικῶς inde concludi, quin alterius probationis opus sit; multa siquidem, ceterum incredibilia, fieri potuisse, nonnisi e re ipsa saepe conficimus. Hisce propositis animadvertimus, Ieroboami incredulitate aliam nobis longe mirabiliorem videri, eorum videlicet, qui singulis V. et N. Foederis prodigiis constanti tot saeculorum fide testatissimis, imo perenni atque ob oculos posito, qualis verae religionis conservatio, incrementa, perpetuitas, vel increduli sunt, vel amant audiri; tum eorum qui scienter ea retentant, quae illos in praesens rerum, sanitatis, vitaeque discrimen, iterum ac saepius iam coniecerunt; quare Ieroboami eiusque successorum pertinacia (horum enim nemo unus, ne ex pientioribus qui-

(*a*) Ex. xxxiv, 6-7.
(*b*) iii. Reg. xix, 12-13.
(*c*) Ps. lxxxiv, 11.
(*d*) Ioh. i, 17. Hoc sensu Christus (Luc. ix, 54) haud improbavit Eliae spiritum, sed antiquatum declaravit.

dem, variis licet calamitatibus admonitus, propter dominandi libidinem, fallacemque prudentiam, pessima illius vestigia deseruit), corruptae humanae naturae conditionibus haud adversatur. – Siccitas triennalis (*a*) neque Palaestinam universam, nec multo minus finitimas regiones, sed regnum Israëlis dumtaxat divexavit, cuius torrentes aruerunt, at montes proximiores frequentibus imbribus forsan humectati, altaque nive obsiti torridam caeli, aërisque temperiem mitigare, fluviosque alere potuerunt; sane nonnulli adhuc aquarum fontes hîc illic perennabant (*b*), et ullum iumentis pabulum praebebant, quae partim ad conterminos tractus deduci potuerunt, unde fruges ad annonae caritatem levandam avehebantur. – Corvi vorax animantum genus, verum haud vacuo, crediderim, ventre dapes (regiae fortassis mensae reliquias) ferebant; praeterea, cum animantia facilius interdum quam homines mitescant, interim vero *ponant ferocia Poeni corda volente Deo* (*c*), numquid ad Dei imperium nativam illi feritatem exuere nequiverunt? Dixi ad Dei imperium; haud enim improprie sicuti nubibus (*d*), locustis (*e*) et piscibus (*f*), ita

(*a*) Hanc memorat Menander in historia rerum gestarum Ithobali Tyriorum regis, Iezabelis parentis, apud Ioseph. Antiq. lib. VIII, c. 13, § 2.

(*b*) III. Reg. XVIII, 5.

(*c*) Æneid. I, 306.

(*d*) Is. V, 6.

(*e*) II. Paralip. VII, 13.

(*f*) Amos. IX, 3, Ion. II, 11.

et corvis (*a*) dicitur imperavisse; quandoquidem eorum, quae iuxta vel praeter naturae ordinem fiunt, unus ipse ultima actuosa causa est. Qui addunt impurum animal fuisse, reponimus esui quidem, non autem dapibus ferendis lege ineptum; alioquin legibus, caerimonialibus ex toto in posterum abrogandis, iam antea, instanti necessitate, alias derogatum fuisse (*b*) novimus. – Cum vivus prophetes miraculorum apparens tantum fuerit causa (etenim vera Deus est), et mortuus eamdem vicem potuit praestare; nec inepte hac occasione Deus praesignificavit arida ossa, spiritu Dei afflante, eamdem vitam aliquando revictura (*c*), quam nunc divina virtute cadaveri restituebant. – Subita strages exercitus Sennacheribi, absurda quidem si ponas, quod pluribus placuit, aut vento letifero (*d*), aut Ægyptia peste, aut Tharacae Æthiopum regis eiusque copiarum ferro fuisse peremtum; ille enim nunquam Palaestinam, sed Arabiam potissimum perflat, nec milites humi prostrati, capitibusque ad somnum carpendum obvolutis (efficax lethalem eius vim effugiendi remedium), illo intercepti fuissent, mi-

(*a*) Vocabulum ערבים nec mercatores, nec Arabes, sed corvos designare, indubia res est; illi enim nunquam hoc uno nomine denotantur, nec ulli Arabes in Iordanis vicinia; neutri autem diurnum commeatum bis quotidie attulissent, vel per integrum annum curiosissimam regis investigationem fefellissent.

(*b*) I. Reg. XXI, 6.

(*c*) Ezech. XXXVII, 2-9.

(*d*) Quem Arabes سَمُوم *Samum* vocant a سُمّ *venenum*.

nime vero plurimi, quin ulli id adverterent: similiter nunquam audivimus pestem tam subito exortam, tot hominum millia repente conficientem, nec longe lateque progressam, sed illico dissipatam; nec demum exercitum hostium castra ingressum illos maximam partem, nemine sentiente, interfecisse. Quamquam autem naturales causae rei declarandae impares sunt, non ideo concludimus omnino abfuisse; quippe Angelus, cui clades adscribitur, iisdem praeter consuetum naturae ordinem (Deo sic disponente viresque, ubi opus, sufficiente), uti potuisse non est quod dubitemus; modum tamen non inquirimus, non enim criticorum hoc est, sed hariolantium; potius caedis opportunitatem ex efferata dominationis libidine et sacrilega Sennacheribi audacia coniicimus, qui Iehovae potentiam solemniter irriserat atque contempserat, et a recto eius cultu, per metum et blasphemium, Ezechiam una cum populo abducere tentaverat (*a*); quibus omni humana ope destitutis praesentissimam afferens Deus; luculentissimum iustitiae, clementiaeque documentum non Hebraeis modo et Assyriis, sed et omnibus undique gentibus suppeditavit (*b*). – Eadem ratione miracula Deus per Isaiam non modo Iudae regis gratia, sed et ad Hebraeorum et exterorum fidem aut confirmandam, aut excitandam

(*a*) IV. Reg. XVIII, 29 seq., XIX, 10-13.

(*b*) Hoc nimirum sensu rem intellexerunt Ægyptii, licet illam fabulose perverterint. V. Herod. hist. lib. II, c. 141.

perfecit; haec enim in causa fuerunt, cur rex et populus Rabsacis blasphemias et minas indignato invictoque animo tulerint, et Babyloniensis regis legati Ierusalem venerint gratulaturi; quippe audierant Ezechiam desperato morbo convaluisse, et in proximae sanationis fidem solis umbram ad Isaiae imperium in *gradibus* Achaz (*a*) retrocessisse: umbram, inquam, nihil siquidem vetat quominus solis nomine hîc, ut alibi (*b*), non eius orbem, sed radios tantum intelligamus (*c*); tum praeterea contextus id postulat, nam rex et propheta de umbra dumtaxat, proindeque de solaribus radiis loquuntur; confirmant demum Babylonii exquisituri de portento (*d*), quod rumore tantum acceperant. Poni-

(*a*) בְּמַעֲלוֹת אָחָז sciothericon nempe horologium, quod Ezechiae parens confici curaverat, geminum fortassis eorum quae a Graecis σκαφίς et ἡμισφαίριον dicebantur, quaeque ferunt a Chaldaeis inventa. V. Herodot. II, 109; Vitruv. IX, 9. Cf. Bible de Vence, 5.[e] édit. tom. VI. Dissertation sur la rétrogradation de l'ombre du soleil sur l'horloge d'Achaz. — Alii minus verisimiliter opinantur de scala palatii ab Achazo constructi sermonem esse, cuius gradus ab alio aedificio, e regione posito, obumbrati, exoriente sole, sensim illustrarentur. Vocabulo de gnomonis gradibus accepto, cum in Palaestina longior dies XIV horarum spatium non excedat, eorum singuli horae tantum dimidium indicassent.

(*b*) Ps. CXX, 6, Ion. IV, 8.

(*c*) Hoc sensu Is. XXXVIII, 8, et Eccli. XLVIII, 26 testimonia, quae a nonnullis in contrarium proferuntur, commode explicantur. Cf. quae superius pag. 60-62 de solis statione dicta sunt, nam et in eius retrocessum aeque cadunt; neque intelligimus quomodo, qui in unius phaenomeni declaratione nobiscum fecerit, parili alterius explicationi quiverit repugnare.

(*d*) II. Paralip. XXXII, 31: « ut interrogarent de portento quod acciderat super terram », in Palaestina scilicet, haec namque generali illo vocabulo, passim in sacris literis designatur.

mus itaque solis radios parumper in horologio solari deflexos fuisse, quod cum multimodis vel naturaliter (*a*) aliquando contingere queat, prodigialiter ad Isaiae nutum fieri potuisse non est quod ambigamus; nimirum toties miraculum habemus, quoties *absque*, vel *non unis* naturae viribus aliquid fit, licet istae aliis in adiunctis idem praestare valuissent. Fac igitur, ut reliqua tandem persequamur, praesto esse remedia, quae ulcera, lepras, aquas, cibos emendent, lethargum excitent, prodigiosus erit sanator qui nulla aut inepta adhibuerit (*b*): iam enim, quod paullulum salis in recentem testam immissum, atque in perennem aquae fontem demersum illam repente, diuque (*c*) salubrem agrosque faecundantem reddiderit; parum similae in ollam capacissimam (*d*), herbis amarissimis refertam infusum, saporem ingratum subito correxerit; aqua Iordanis lepras nullo flumine (*e*) sanabiles emendaverit; massa ficuum aridarum desperatum ulcus (*f*) breviter sanaverit; apoplectici incumbentium calore protinus convaluerint, nemo cordatus talia physicorum aut medicorum ope fieri

(*a*) Biot, Recherches sur les réfractions extraordinaires qui ont lieu près de l'horizon. V. Glaire, Les Livres Saints Vengés, tom. II.

(*b*) Quid vero si medicae artis imperitus aptissimam, Deo inspirante, fecerit medicinam? Perinde erit mirandus, ac si ineptissima usus, sanationem nihilominus obtinuisset.

(*c*) IV. Reg. II, 22.

(*d*) Ib. IV, 38-43.

(*e*) Ib. V, 12.

(*f*) Ib. XX, 1, ubi Isaias naturalem exitum morbi praedicit, mortem scilicet naturaliter *sequendam*, non quidem certo *secuturam*.

potuisse unquam sibi persuadebit (*a*). At enim, dicet aliquis, si remedia inepta sunt, cur igitur adhibentur? Ad periclitandam, repono, aut acuendam fidem, ut in Nahamanis et Ezechiae sanatione; ut remedii simplicitas et imbecillitas prodigii veritatem assereret, et magicae cuiusvis operationis suspicionem amoveret; ne prophetae hanc virtutem sibi nativam ac propriam longo forsitan usu arbitrarentur, atque a precibus adiungendis abstinerent; quapropter aquae Iordanis bis ab Eliseo percutiendae fuerunt, et frustra baculi impositione puerum Giezi opera curandum tentavit, nonnisi praesenti oratione (*b*), ut pridem alter Eliae precatione (*c*), revicturum. Insuper, qui rem penitius

(*a*) Quod ad Eliae raptum, prodigiosum illum fuisse ex symbolica turbinis specie ac singulari eiusdem virtute colligimus, utpotequi Eliam inter atque Eliseum intercurrens unum abripuerit quin alterum laeserit, imo et discedentis pallium illi permiserit; adde prodigialem eius abitum variis (IV. Reg. II, 3, 5) et plurimis (ib. 7) antea praevisum, postea vanis corporis inquisitionibus (16-18) confirmatum fuisse. At excessus ne, an discessus? In caelum ne vivus sublatus, an alio victurus aut tumulandus transvectus? Otiosorum quaestiones sunt, nunquam fortassis dirimendae; verumtamen, cum ea quae de altero Eliae adventu per Malachiam dicta sunt (Malach. IV, 5) omnino iam adimpleta, vel eadem symbolica ratione denuo adimplenda Christus ipse declaraverit (Matth. XVII, 11-12, Marc. IX, 11-12), Iohannes vero (Apoc. XI) Mosem vita defunctum Eliae praedicationis socium adiunxerit (quod aperte conficitur ex vv. 5-6, ubi praeterita utriusque prodigia commemorantur), doctiorum venia, opinamur utrumque pariter functum, et superstitioso rudiorum cultui ereptum fuisse, interim dum Eliae raptus tum Christi ascensionem, tum iustorum in caelum evectionem pientioribus quadantenus praemonstravit.

(*b*) IV. Reg. IV, 33.

(*c*) III. Reg. XVII, 20.

consideraverit, perspiciet, rationes ac modos, quibus prophetae in prodigiis conficiendis usi sunt, symbola plerumque fuisse spiritualibus adumbrandis aptissima, cuiusmodi aqua, sal, farina, insufflatio, natu grandiorum ad pusillorum staturam typica coarctatio, cetera, quorum gemina elementa vel actiones Christus ipse tum ad miracula peragenda, tum in sacramentorum institutione, tum in parabolis condendis usurpavit (*a*). Quamobrem unitas ac similitudo, quae inter Eliae atque Elisei, horum inter ac Mosis, sed et Christi miracula deprehenditur, invictissimum nobis veritatis et divinitatis argumentum suppeditat; ideo enim intercedit, quia non ad intemperantis phantasiae libidinem, sed ad rei veritatem expressa sunt; quia humanis necessitatibus, quae eaedem propemodum semper sunt, medebantur; quia sicut Eliseus Eliae successor, eiusdemque operis perfector, ita longa prophetarum series unum eumdemque prophetam, Christum nempe, praesignificabant; paucis: quia unus miraculorum auctor, Deus; unus prophetes, Christus (*b*); una religio, eaque Christiana: *Iesus Christus heri et hodie, ipse et in secula* (*c*).

(*a*) V. ex. c. Ioh. III, 5, IV, 7-15, IX, 7; Matth. V, 13; XIII, 23, Ioh. VI, 48-52; XX, 22; Matth. XVIII, 2-4.
(*b*) Deuter. XVIII, 15, 16.
(*c*) Heb. XIII, 8.

CAPUT VI.

DE LIBRIS PARALIPOMENÔN

ARTICULUS I.

Nomen et argumentum, aetas et auctor.

CXXXI. Librum, quem unum olim atque individuum (*a*) Hebraei דִּבְרֵי הַיָּמִים *verba dierum*, diurna nempe gesta, seu annales appellarunt, Alexandrinus, et post ipsum Vulgatus interpres bifariam partitum Paralipomena (*παραλειπόμενα reliqua, praetermissa*), Hieronymus *Chronicon totius divinae historiae* (*b*) haud inepte dixerunt; haec enim varia et multiplex inscriptio in librum con-

(*a*) Origenes apud Euseb. Hist. Eccl. lib. VI. c. 25: *Παραλειπομένων πρώτη δευτέρα ἐν ἑνί.* Hieronymus Praef. in II. Paralip. « Hoc primum sciendum » est, quod apud Hebraeos liber Paralipomenôn unus sit ...... qui » propter magnitudinem apud nos divisus est, quod nonnulli etiam » in Bruto, Ciceronis dialogo faciunt, ut illum in tres partes secent, » cum unus a suo auctore sit editus ». Idipsum etiamnum testantur antiqui Hebraeorum codices manu exarati, nam in Bibliis typis editis Alexandrinum interpretem, ut in Samuelis (V. pag. 214. not. *b*) et Regum (V. p. 287), ita in Paralipomenôn libris dividendis, post Bombergium, secuti sunt.

(*b*) Prolog. galeat.

venit, qui ex annalibus magnam partem, nisi ex toto depromtus, eorum instar digestus, plurima quae ab aliis compendiosis historicis aut penitus omissa aut nimis obscure fuerant perstricta supplet, aperit, edisserit; atque inde ab humani generis primordiis ad libertatem Hebraeis per Cyrum restitutam, continentem fere temporum seriem, et quoddam quasi historiae breviarium pangit. Haec ipsa tamen nomina strictiori sensu accipienda non sunt; neque enim scriptoris mens fuit universam hebraicae gentis historiam de integro condere, aut iam ab aliis descriptam novis tantum copiosisque quam posset accessionibus perficere, locupletare; sed didascalicum magis quam historicum scopum sibi praestituens, ex superiori memoria illos praesertim eventus selegit, iisque diutius immoratus est, qui potissima hebraicae reipublicae momenta luculentius exhiberent, et religioni ac civitati instaurandae praesenti, maximeque opportuno documento conducerent. Quapropter rem, orientalium de more, altissime repetens, a communi omnium parente exorsus, nuda ferme Patriarcharum ac posterorum stemmata exponit, prolixius tamen Iudae, Beniamin, et Levi (unde reduces plerique oriundi), quam ceterarum tribuum stirpes persequitur; plurimus praesertim in Davidis ac Levitarum domibus recensendis; generatim vero antiquis cuiusque tribus possessionibus definiendis accuratissimus; quandoquidem ab exsilio regressis nil antiquius acceptiusque esse poterat, quam quae regni successionem,

sacrorum administrationem, bonorum demum possessionem certam ac definitam aut efficerent, aut demonstrarent. Pone, perpauca de Saulis extremis praefatus, longiorem de Davidis praeprimis ac Salomonis, tum etiam de ceteris Iudae regibus (Israëlis praetermissis aut obiter commemoratis) narrationem instituit, in ea maxime incumbens quae civilem ac religiosum anteactae aetatis splendorem manifestarent, ut legentium animi praeteritorum memoria excitati proximam per Messiam rerum instaurationem pio ac fidenti animo praestolarentur, eaque dignos se atque idoneos redderent: verum brevitatis et veritatis cumprimis studiosus, quemadmodum honesta et decora plurima praeterit, ita et probrosa quaedam attingit; multa ab aliis iam hagiographis praescripta repetens, clarius illa atque copiosius plerumque exponit, nec tamen semper id facit, ex quo conficitur, neque historiae integritatem aut evidentiam, multoque minus gentis claritatem praecipuum scriptoris scopum fuisse, sed accuratam eorum notitiam exhibere, quae ad fractos Hebraeorum animos ad meliorem spem erigendos, ad mores emendandos, cultumque restituendum, atque ad inductae restaurationis firmitatem ac perpetuitatem conferrent.

CXXXII. Quod quidem consilium Levitae in patriam libertati restitutam regresso convenientissimum, ad scriptoris aetatem atque personam definiendam facit, et mire consentit cum ceteris indiciis quae ex ipsa narratione eruuntur. Revera post

exsilium conscriptam, ceteris missis, vel ex eius conclusione (*a*) aperte colligitur, quae redeundi veniae Hebraeis per Cyrum datae expressam mentionem facit; non illico tamen atque mature vulgatam suadet negotiosa et distracta illius aetatis conditio, rebus agendis quam enarrandis aut perlegendis ad Esdrae usque tempora accommodatior; nec tamen nimis sero, Machabaeorum puta (*b*), aut Alexandri temporibus (*c*), quod *Rationalistarum* pluribus placuit, sed stante adhuc Persarum regno, et ante Artaxerxis excessum compositam probant, tum *solidorum* (*d*) (אֲדַרְכֹּנִים daricorum) mentio, qui post Alexandrum, graecis nummis per totam Asiam invalescentibus (*e*), obsoleverunt; tum ordinalia mensium nomina quae passim a scriptoribus Esdra recentioribus cum aliis, a Persis apud finitimos omnes invectis (*f*), commutata sunt; tum demum libri relatio in Iudaeorum canonem, quem deficiente prophetarum serie Artaxerxis temporibus absolutum

(*a*) II. Paralip. XXXVI, 22-23.

(*b*) Ita Spinoza, Tract. theol. politic. c. X. Gramberg, die Chronik nach ihrem geschichtlichen Charakter etc., S. 1-22. Gunz, die gottesd. Vortraege der Iuden S. 31, ff. aliique.

(*c*) Hanc tenent sententiam de Wette, Beytraege S. 44. Bertholdt, Einleit. S. III, S. 983, aliique.

(*d*) I. Paralip. XXIX, 7.

(*e*) V. Tob. V, 15 graecae versionis, II. Mach. XII, 42; horum nempe aetate graecorum nummorum usus adeo obtinuerat, ut neque patrii a Simone (I. Mach. XV, 6) ad stateris normam procusi exteros potuerint abolere. V. Movers, Untersuch. über die Chronik, S. 27.

(*f*) Cf. T. Benfey und M. A. Stern, über die Monatsnamen einiger Voelker insbesondere der Perser, Cappadozier, Iuden, Syrer, S. 181. ff.

tradit Iosephus (*a*). Porro Esdrae aequalem aut supparem auctor se deprehendit, cum templi custodiam per eos dies (*b*) iisdem assignat, quos Nehemiae adhuc aetate (*c*) eodem officio functos fuisse novimus. Sed enim Paralipomena ante librum Esdrae certissime edita, eidem aetati atque auctori verisimiliter adiudicanda non inepte inde coniicimus, quod unius libri clausula germanum alterius exordium sit; utque prior illa arctius cum praecedentibus haeret atque connexa est, quam ut aliunde adscita insertaque videatur, ita hoc alterum iisdem pene verbis expressum, nimis abruptum videbitur, atque insuetum (*d*), nisi ponas intermissae pridem

(*a*) Contr. Ap. l. I, § VIII.

(*b*) I. Paralip. IX, 17-18. Vulgatus hebraicum : עַד־הֵנָּה *usque adhuc, etiam nunc*, minus recte vertit : *usque ad illud tempus*.

(*c*) Nehem. XII, 25-26.

(*d*) Nimirum vv. 21-22 individui sunt, et alter alterum declarat, quos ubi secreveris, minus apte priori illo liber absolvetur, et delegatio ad Ieremiam, quae in altero habetur, anceps fiet atque ambigua, saltem satis obscura ne commode in singularis narrationis exordio assumatur. Adde particulam coniunctivam וְ *et* (וּבִשְׁנַת *et in anno*, Vulgatus: *anno autem*, *in anno*), qua vv. 22. cap. XXXVI. lib. II. Paral. et v. I. c. 1. lib. I. Esdrae inchoantur, ut apte in primum illum cadit, ita improprie posteriori congruere, nisi alter hic liber uti praecedentis persecutio habeatur; docent enim optimi hebraicae linguae grammatici (Gesenius, Thesaur. L. Hebr. fasc. II. p. 395, Ewald, Krit. grammat. S. 546.) copulam collocari ab initio eorum librorum quibus antecedentium historiae continuantur, ex. c. Exod. I, 1, III. Reg. I, 1. Nec contra est quod plures historici libri dicendi forma וַיְהִי *et fuit* incipiant; praeterquamquod enim eorum plerique sese mutuo continenter excipiunt (ex. c. Ios. I, 1, Iud. I, 1, II. Reg. I, 1), eadem singularibus etiam atque omnino discretis (Ezech. I, 1, Esth. I, 1) haud inepte praescripta est, quia in hac solemni historica formula, ex usu recepto, וְ *et*

notissimaeque historiae continuari: quod cum a nemine convenientius fieri potuit, quam ab illo qui superiorem illam praescripserat (*a*), tum re ipsa factum fuisse non modo ex intima utriusque libri connexione conclūdimus, quorum alter alterius veluti appendix ac complementum habendus est, verum quam probabiliter inde argumentamur, quod maxima sit in utroque sermonis unitas ac similitudo, gemini ac proprii dicendi modi, qui nusquam (*b*), aut non adeo frequentes alibi occur-

copulativum cum verbo (יְהִי *fuit*) substantivo in unum individuum vocabulum indistincte concreverat, omnemque propterea coniungendi potestatem amiserat, quod laudatae superius dictioni nullatenus convenit.

(*a*) Hunc morem praecedentis clausula librum insequentem exordiendi antiquis receptum fuisse ex Procopii Vandalicorum fine et Gothicorum initio probat Grotius ad h. l.

(*b*) Nonnulla exempla subiicimus: sic כְּפוֹר pro cratere I. Par. XXVIII, 17. Esdr. I, 10, VIII, 27; כְּמִשְׁפָּט generatim pro Mosaicis statutis I. Par. XXIII, 31, II. Par. XXXV, 13, Esdr. III, 4; עַל־יְדֵי דָוִיד II. Par. XXIII, 18. XXIX, 27. Esdr. III, 10; בְּשִׂמְחָה לְהָרִים קוֹל Esdr. III, 12. I. Par. XV, 16; inf. *hopf.* הוּסַד de fundamentis templi Salomonici, II. Par. III, 3, Zorobabelici, Esdr. III, 2; hae tres praepositiones עַד, לְ et מִן simul iunctae עַד־לְמֵרָחוֹק II. Par. XXVI, 15, Esdr. III, 13; נְתִינִים templi mancipia, ἱερόδουλοι I. Par. IX, 2, Esdr. II, 43, alibi, et Neh. passim; מִגְדָּנוֹת praeter Gen. XXIV, 53, nonnisi II Par. XXI, 3, XXXII, 23; Esdr. I, 6 occurrit; הֵכִין לְבָבוֹ לִדְרשׁ יְהוָֹה II. Par. XXX, 19, Esdr. XII, 10.

runt (*a*), eaedem citandi formulae (*b*), germanae, ad verbum saepe, rituum ac festivitatum descriptiones (*c*), haud absimilis stemmatum usus (*d*), eadem denique propemodum scriptoris mens, ipsissimum ingenium; quae omnia indicia cum in alterutro opere universim aeque pateant ac perspicua sint, unum eumdemque utriusque auctorem fuisse efficere videntur; proindeque si horum unus, qui Esdrae nomine inscribitur, huic certissime asserendus est, merito et alter, omni retro antiquitate consentiente (*e*), eidem attribuendus.

(*a*) Ita: הִתְנַדֵּב de oblationibus I. Par. XXIX, 5, 6, 9, 14, 17, Esdr. I, 6; עַמֵּי הָאֲרָצוֹת et מַמְלְכוֹת הָאֲרָצוֹת de populis, et regnis Ethnicis II. Par. XIII, 9, Esdr. III, 3 alibi; נִקְּבוּ בְּשֵׁמוֹת I. Par. XII, 31, Esdr. VIII, 20 alibi; דָּרַשׁ לַיהוָֹה I. Par. XXII, 19, II. Par. XVII, 4, Esdr. VI, 21, alibi; הוֹדוֹת vel הַלֵּל לַיהוָֹה in Paralip. passim, Esdr. III, 11.

(*b*) כַּכָּתוּב בְּתוֹרַת מֹשֶׁה I. Par. XVI, 40, XXII, 13 etc. Esdr. III, 2, vel כְּמִשְׁפָּט I. Par. XXIII, 31, Esdr. III, 4.

(*c*) Cf. ex. c. I. Par. XVI, 40, II. Par. XIII, 11, VIII, 18, XXXI, 3 cum Esdr. III, 2-5; I. Par. XXIII, 2, 3 cum Esdr. III, 8, 9; II. Par. XXX, 35 cum Esdr. VI, 19; plura vide apud Movers Untersuchungen über die Chronik, S. 18-21.

(*d*) Cf. I. Par. I-IX cum Esdr. VIII, X, 20 seq. praesertim VII, 1-5 cum I. Par. VI, 4 seq.

(*e*) Talmudistae, Baba bathra c. I. fol. 15. col. 1. עֶזְרָא כָּתַב סִפְרוֹ וְיַחַס שֶׁל דִּבְרֵי הַיָּמִים עַד לוֹ: « Esdras scripsit librum suum et genealogias libri Chronicorum usque ad seipsum », vel, exponente Buxtorfio, « usque ad וְלוֹ *et ei* »: II. Paralip. XXI, 2. Haec communis criticorum tum Catholicorum, tum Protestantium sententia ad XVII usque seculum obtinuit, quique illam primi deseruerunt Hobbesius, Grotius auctori Esdra antiquiori, non autem posteriori Paralipomena adiudicarunt. V. inf. pag. 413, seq.

Sed et apodicticum videri poterit argumentum, quod scilicet nulla in universo libro vestigia reperire sit quae aliam aetatem, aliumve scriptorem deprehendant, quae vero in contrarium prolata sunt, nedum sententiam nostram convellant, hanc magis magisque confirment. Aiunt nempe, postremum quem in Hebraeorum catalogo obtinet locum, deteriorem sermonem *chaldaismis* inquinatum, novum scripturae, novissimum litterarum genus, remotissimos Zorobabelis posteros, Nehemiae locum pessime descriptum (*a*), daricorum usum sero invectum, et ipsis tamen Davidis temporibus attributum (*b*), erroneam atque recentem annorum captivitatis computationem (*c*), ieiunii consuetudinem non luctus solum ut olim, sed et deprecationis ergo (*d*), Persicam de Satane, ceu praepotenti quodam genio Iehovae adversanti, opinionem (*e*), odium Iudaeorum in Israëlitas, Samaritanorum causa et aemulatione conceptum, mythicum demum narrationis colorem et leviticum scriptoris studium totidem argumenta esse, quae libri compositionem aetati ab exsilio remotissimae assignandam ostendant (*f*). - Sed enim haec talia sunt e contrario, ut vel nobiscum faciant, vel non contradicant; sane qui ex Iudaeorum canone argumentantur, hunc nonnisi II ante Christum saeculo clausum ponunt, quem constat Artaxerxis aetate iam absolutum (*g*); insuper singulos libros per sua quemque tempora fuisse digestos, quod aeque

(*a*) Nehem. XI. coll. cum I. Par. IX.
(*b*) I. Par. XXIX, 7.
(*c*) II. Par. XXXVI, 21.
(*d*) Ib. XX, 3.
(*e*) I. Par. XXI, 1.
(*f*) Ita Bertholdt, de Wette, Gramberg, passim in opp. sup. citt.
(*g*) V. pag. 355. not. (*a*). Argumenta quae a citatis modo *Rationalistis* in contrarium producuntur, quaeque impraesentiarum expendere inopportunum esset, solide refutata videsis apud Hengstenberg, Beytraege I, S. 237. ff

falsum est, siquidem Ruthae liber Psalmis antiquior, hos tamen ordine sequitur, imo adversarii sibimet contradicunt, dum Danielis opus Esdrae libro superiorem ordine, tempore nihilominus posteriorem faciunt (*a*); quod igitur Paralipomena ultimo loco sint haudquaquam probat omnium postrema edita fuisse, sed ideo extremo fine posita videntur (quamquam huius dispositionis multiplex esse potuit ratio, et nulla a nobis reddenda est), quia utpote annalium excerpta et collectanea, non tam novum aliquod opus quam totius collectionis appendix et supplementum habita sunt. - Sermo idem propemodum qui et omnibus circa ea tempora scriptoribus communis est; *aramaeismis* scatet, at plures in Ezechielis (*b*), nec rariores in Danielis aut Esdrae libris, magnam partem chaldaice descriptis, inveniuntur, imo neque in antiquiorum etiam scriptis omnino desiderantur (*c*); sane quae a Grambergio ut recentioris aetatis indicia habita sunt, pleraque longe superioris etiam propria fuerunt, reliqua iam temporibus exsilio proximis competunt (*d*), nec ulla sunt quae Graecorum Asiae dominantium aetatem deprehendant: quae autem haud amplius intellectae a Paralipomenôn auctore hebraicarum quarumdam vocum significationis exempla Gesenius (*e*) et de Wettius (*f*) collegerunt, imperitum quidem facerent

(*a*) Perperam quidem, ut suo loco ostendemus, at iuvabat hoc uti argumento quod dialectici *ad hominem* vocant, et *Rationalistarum* inconstantiam aut incuriositatem (potius sectae quam hominum vitium), demonstrare; haud enim fieri potest ut qui a veritate deflectunt, utut doctissimi atque sollertes, unam eamdemque viam semper insistant, sibique constent.

(*b*) Haevernik, Einleit. I, Abth. I, S. 234.

(*c*) V. Knobel, Ieremias chaldaizans; Hirzel, de chaldaismi biblici origine atque auctoritate historica.

(*d*) Keil, Apol. Vers. über die Chronik, S. 35-38.

(*e*) Geschichte der hebr. Sprache S. 40. ff.

(*f*) Beytraege I, S. 67.

scriptorem, minime vero recentem; quandoquidem inde ab Esdrae temporibus Iudaeorum vulgus chaldaicae assuetum (*a*) hebraeam linguam sensim neglexisse videtur (*b*): ceterum hoc argumentum ut eruditae scriptoris industriae, et hagiographi auctoritati iniuriosum, ita temerarium et falsum esse inferius demonstrabimus (*c*). - Quod de sermone, idem de orthographia dicendum est; nimirum quod matres lectionis (*d*), quibus recta pronuntiatio iuvatur, frequentes adhibeantur, hoc temporibus congruum quibus hebraeus sermo vulgaris esse desierat; at cum hic earum usus omnium post exsilium scriptorum proprius sit, incertus praeterea et inconstans, ita ut eadem vocabula modo *plene*, modo *defective* (pro codicum etiam diversitate) descripta sint, et saepe *defectiva scriptio* occurrat, ubi plena exspectanda fuisset (*e*), nec ipsis demum Machabaeorum temporibus certus fuerit et definitus (*f*), hoc scriptionis genus ad aetatem scriptoris pressius definiendam nihil conducit. - Nec minus inepte hanc recentissimam iidem inde argumentantur quod, parallelis Regum et Paralipomenôn locis una simul collatis, quaedam exsistat dictionum varietas, quae ex novissima tantum litterarum forma (chaldaicam seu *quadratam* כְּתָב מְרֻבָּע appellant) repetenda sit; nam cum eo quod *variarum lectionum* plures nonnisi ex antiquiori, aliae ex hac perinde ac recentiori characterum forma procedere, tum plurimae sunt quae ex neutra oriri potuerunt, quaeque idcirco vel fontium, quos scriptor

(*a*) Secus nec Daniel, nec Esdras plura chaldaice scripsissent.

(*b*) Nehem. VIII, 8. hebr. Hanc proinde frequentibus in scholis pueri edocebantur.

(*c*) V. pag. 389-90.

(*d*) אִמּוֹת הַקְּרִיאָה, litterae quiescentes א,ו,י.

(*e*) Sic quae Ex. VI, 19, II. Reg. III, 2, X, 14, XI, 1, III. Reg. XXII, 7, 15, 18 *plene*, I. Par. VI, 4, III, 1, XIX, 11, 15, XX, 1, II. Par. XVIII, 8, 14, 17 *defective* scripta sunt.

(*f*) V. Gesenius, Lehrgeb. S. 50-52, Ewald, Krit. Gram. S. 60-62.

adierit, diversitati, vel instabili nominum praesertim pronuntiationi (*a*), vel scriptoris consilio, vel demum amanuensium arbitrio ac librariorum culpae acceptae referendae sunt, qui profecto et illarum auctores esse potuerunt, quae ex similium quadratarum litterarum permutatione ortae videntur. Utcumque sit, infirmum omnino est argumentum quod ex characterum usu depromitur, cuius origo incerta est: alii siquidem Esdrae aequalem, contra alii Christo posteriorem faciunt (*b*), quorum neutrum adversarios iuvat; nemo siquidem Paralipomenôn editionem infra Machabaeorum aetatem deprimere ausus est. - I. Par. III, 1-18 continua maiorum Zorobabelis, 19-21

(*a*) Keil, l. cit. p. 51-52.

(*b*) Esdrae temporibus novum scripturae genus apud Hebraeos invaluisse constans totius antiquitatis traditio est (V. Gemar. hieros. tract. Megill. lib. I. c. XI, Sanhedr. f. 21. Origenes apud Montfauc. Hexapl. II, 94; in Ps. II. tom. II. opp. p. 539. ed. de la Rue; Iul. Afr. apud Syncell. Chronogr. p. 83, 87. ed. Paris.; Euseb. Chron. Olymp. 81. ed. arm. Maii et Zorab. p. 52; Hieronym. prol. in lib. Sam. et Reg. etc.); at *quadratos* quos vocant characteres ex Assyriis, cuiusmodi in Palmyrenis inscriptionibus exstant, sensim ac pedetentim *calligraphorum* praesertim usu et industria processisse, ex utrorumque affinitate ac intimo nexu effecisse videntur Koppe (Bilder und Schriften der Vorzeit, B. II. S. 97. ff.), et Hupfeld (in Studien und Krit. von Umbreit, und Ullmann 1830 II. Heft, S. 247, ff. III, 549, ff. IV, 785, ff. 1837, IV, 830 ff.). Litem diu multumque agitatam ita cum Scholzio (Einleit. 1. Th. § 47) decidimus, ut ponamus Hebraeos captivitatis tempore quemadmodum Aramaeorum (Chaldaeorum) linguae, ita et characteribus (hebraicis haud multum absimilibus) assuevisse, qui interim paullatim, ut necessario usuvenit, immutati, et librariorum opera, florentibus scholis, politi atque perfecti tantumdem prioribus (nempe Palmyrenis), nec non antiquioribus hebraicis (in Machabaeorum nummis, et Samaritano Pentateucho descriptis) dissimiles exstiterunt, quantum rursus vetustiores isti a primitivis illis syriacis litteris (σύρια γράμματα Ioseph. Ant. l. XII, c. II, § 1. quarum variae reliquiae sibi quamsimiles in Babyloniis et Ninivitis lateribus, in Laodiceae et Phoeniciae nummis supersunt) distabant, unde et ipsi olim fuerant oriundi.

eiusdem posterorum series ad Ieseiam usque digesta est, qui nequaquam Raphaiae pater fuit ut vertit Vulgatus, nam *filii* בְּנֵי Raphaiae, *filii* Arnan, *filii* Obdiae, *filii* Secheniae totidem familiae sunt patrio nomine designatae, quae utpote conspicuae et Zorobabelicae affines, unaque reduces ab auctore commemorantur; quare Ieseias (v. 21) Zorobabelis, et Oduia (v. 24) Semeiae (v. 22) unius ex Secheniae filiis, et Zorobabeli aequalis pronepotes tum sibi, tum Esdrae coaevi esse potuerunt; sane si Hattus (v. 22) idem ipse est qui una cum Esdra redux fuisse dicitur Esdr. VIII, 1-2, illius nepotes summam huius senectutem videre potuerunt. - De Wettii argumentatio (*a*) qui probare contendit Chronicorum auctorem Nehemiae documentum pervertisse maxime claudicat; posito enim quod alter alterum male descripsisset, multo probabilius Nehemias pravitatis esset arguendus; nimirum mentio Ephraim et Manasses (I. Par. IX, 3), et praesentis temporis notatio (ib.18-25), quae in parallelo Nehemiae loco desiderantur, multo magis a recentiori scriptore, quippe absurda aut supervacua, omissa fuissent; verum, si in nonnullis ambae hae pericopae conveniunt, in multis adeo discrepant (quin tamen sibimet contradicant), ut non ex alterutra descriptae, sed ex communi et uberiori aliquo fonte depromptae videantur (*b*). - Daricorum origo haud ad liquidum est explorata (*c*); fac tamen a Dario Hystaspide primum procusos,

(*a*) Einl. § 187. not. *b*. § 189.

(*b*) Utraque de primis, post exsilium, Solymorum incolis agit. V. Movers, op. cit. p. 233, seqq.

(*c*) Hanc multi probabilius Dario Medo assignant, alii longe antiquiorem faciunt, nec ab ullo Dario monetae etymon ducunt, sed a Persica voce دارا vel دراب quae regem significat (V. Gesen. Thes. I. p. 352-3, Winer Realwoerterbuch, B. I. S. 292); unde Darii nomen non quidem proprium fuisset, sed appellativum (uti Turcarum *Sultan*, et *Khan* Tartarorum), et *darici*, h. e. *regii*, nomine tenus (multo enim maioris pretii) cum hispanis nummis essent comparandi qui *reales* dicuntur.

cum a primo huius regni anno ad septimum Artaxerxis Longimani, quo Esdras in patriam remigravit, quinquaginta minimum anni interfuerint, hoc temporis intervallo in Palaestinam tunc Persis subiectam, proprii horum nummi, de victorum more (*a*), induci commode potuerunt; porro Chronicorum auctor, Davidis opes ad daricos revocatas computans, nequaquam iam tunc usitatos ponit, sed perspicuitatis gratia, monetam recentem antiquatae substituit. - Captivitatis babylonicae durationem nec sero, nec ad Ieremiae vaticinii fidem implendam erronee computatam probant Esdras, Daniel et Zacharias (*b*), qui exsilio aequales nec ipsi decipi, nec coaevos fallere potuerunt; quorum idcirco certa auctoritas dubiis (*c*) neotericorum rationibus potior habenda est. - Ieiunio precibus et sincera ad Deum conversione coniuncto piacularem et deprecativam virtutem ab Hebraeis perpetim assumtam fuisse; nec illud antiquiores uti luctuosam, at mere civilem, recentiores porro ceu religiosam, verumtamen superstitiosam caerimoniam servasse ex pluribus Scripturae locis, ipsisque a Grambergio productis efficitur: revera in pugna contra Beniamitas reliquae tribus ieiunio, precibus et hostiis non tam cladem acceptam defleverunt, quam divinum in re trepida responsum et auxilium deprecatae sunt ac impetrarunt (*d*);

(*a*) Id de Romanis testatur Dio Cassius lib. LII. p. 555. edit. Steph.; de Macedoniis cf. Boeckh, Staatshauskunst der Athenienser I. S. 24.

(*b*) I. Esdr. I, 1-2; Dan. IX, 2; Zach. I, 12. Profecto de tempore recenti omnibus noto ac definito horum postremum fuisse locutum apertissimis verbis declarat c. VII, 5: זֶה שִׁבְעִים שָׁנָה per *hos septuaginta annos*.

(*c*) Leniter et *ad hominem* argumentati sumus; earum enim falsitas cum indubia, tum explorata est; nam a quarto regni Ioakim anno, quo primum Ierusalem a Chaldaeis capta, tributa Iudaeis imposita, et horum pars in exsilium abducta (Dan. I, 1), ad Cyrum usque qui iisdem remeandi potestatem fecit, septuaginta prorsus anni interfuerunt. V. Keil, op. cit. p. 19-31, Hengstenberg, Beytraege I. S. 52. ff 80. ff.

(*d*) Iud. XX, 26, 28, 35.

quod postremum iterum ieiunantes seque accusantes sub Samuele exoraverunt (*a*); imo David ieiunium quod pro puerulo aegrotante, in spem eius sanitatis recuperandae servaverat, hoc demortuo confestim absolvit (*b*); hanc autem perpetuam, minimeque superstitiosam piorum Hebraeorum mentem fuisse, ex Ioëlis, Ionae, Danielis, Zachariae, Esdrae, Nehemiae, necnon Paralipomenôn locis (*c*) apparet, qui dum ieiunii efficacitatem laudant, illud nequaquam a precibus, morumque emendatione seiungunt. - Hebraei opinionem de malo daemone hominibus insidiante a Chaldaeis, si placet, acceperint, num ergo Esdrae temporibus vulgaris esse nequivit? atqui communem prodit parallelus Zachariae locus (*d*); sed enim Chaldaeos iam tum aliquid de daemonibus scivisse, aut Zoroastris placitis imbutos incertum, sed et improbabile est (*e*); summum, haec scita non exoterica, verum acroatica fuissent, absonum propterea despectam Iudaeorum gentem iisdem fuisse initiatam. De cetero, Hebraeorum doctrina et antiquissima est (*f*), tantumque a *Parsismo* distinguitur, quantum *monotheismus* a *dualismo* discriminatur; neque enim Hebraei, ut Persae *Ahrimani*, absolutam atque incohibilem potestatem *Satanae* unquam attribuerunt. - Mutuum Iudaeorum atque Israëlitarum odium antiquum (*g*), regnoque propterea diviso, quamdiu utrumque stetit, inexstinctum permansisse

(*a*) I. Reg. VII, 6, 10.

(*b*) II. Reg. XII, 16, 18.

(*c*) Ioël. III, 8-10; Ion. VIII, 19; Dan. X, 3, 12; Zach. VII, 5, VIII, 19; Esdr. VIII, 21, 23; Neh. I, 4, 19; II. Par. XX, 3-22.

(*d*) Zach. III, 1-2.

(*e*) Munter's Vermuthung in Relig. der Babyl. S. 87. ff. Sane Deorum nomina apud Chaldaeos Persicis absimillima fuisse tradit Gesenius, Comment. über d. Ies. 2.e Beylage.

(*f*) V. Gen. III, 1; Lev. XVI, 8; Iob. I, 6, quibus in locis variis שָׂטָן, עֲזָאזֵל, נָחָשׁ, nominibus unus idemque *κακοδαίμων* designatur.

(*g*) V. sup. pag. 18-19, 221, 233-34.

tota Hebraeorum historia declarat; at absurdum post utriusque excidium, nec tamen ante Alexandri Magni aetatem, Samaritanorum occasione primum exarsisse, qui non quidem ex Israëlitis, sed ex Ethnicis magnam partem erant oriundi (*a*), iamque inde a Zorobabelis temporibus Hebraeis exstiterant infensi (*b*). - Postrema demum criminatio falsa non secus atque importuna est, nec factis, sed praeceptis adversariorum dogmatibus innititur: sane quod ad miracula (haec enim ipsi mythos vocant) plura magisque stupenda in Pentateucho, Iudicum et Regum libris occurrunt, quos nemo unus exsilio posteriores dixit; quod vero ad Levitarum instituta, gemina referunt Esdras et Nehemias, nulla igitur causa est cur Paralipomena recentiori aetati propterea adiudicanda sint. - Gravioribus hisce disiectis iam reliquum est, ut verbo iis occurramus qui Esdrae librum cum Paralipomenis comparantes tantam in utroque opere unitatem deprehendunt, ut unum olim volumen composuisse arbitrentur (*c*), vel e diverso talem discrepantiam quae et scriptoris diversitatem ostendat (*d*). Nos igitur per medium euntes fatemur, nec eumdem omnino scopum, nec eamdem plane utriusque libri compositionem esse, tametsi haec quamsimillima sint, nec narrationem a Chronicorum auctore intermissam (haud tamen abruptam) uno eodemque tenore in Esdrae libro continuari, sed et ab hoc interdum, utpote ex iisdem annalibus haud amplius descripto, nonnihil sermone distare; insuper Esdrae genealogiam, integre, et quidem apposite, exhibere, quam Esdrae liber, obiter insertam, compendiosius exponit (*e*); at inde

(*a*) Cf. IV. Reg. XVII, 24 cum Esdr. IV, 2-10.

(*b*) Esdr. IV.

(*c*) Movers, op. cit. pag. 14; Zunz, die gottesd. Vortraege der Iuden, S. 21, 28, 29.

(*d*) Iahn, Einleit. II. S. 246; Bertholdt, Einl. S. 988; de Wette, Beytraege S. 48.

(*e*) Cf. I. Par. VI, 3 seq. cum Esdr. VII, 1 seq. V. auctores modo laudatos.

libri quidem, neutiquam vero auctoris diversitatem argumentamur, parili enim ratione quis Threnos ex. c. a Ieremiae vaticiniis non solum distingueret, verum etiam eidem abiudicaret. E contrario, cum ea quae simillima sunt non ideo eadem dicenda sint, nihil mirum si Esdras utriusque operis auctor postremum alio tempore, simili at non eodem prorsus consilio, modoque confectum, abruptum praeterea atque incompletum priori (quod ad propositum) integro atque absoluto subiecerit quidem, at non contexuerit; alioquin nemo deinceps ad Iosephi saltem aetatem (*a*), alterum ab altero discernere, atque eadem verba, nonnihil insuper immutata, in unius conclusione et alterius exordio iterare ausus fuisset.

ARTICULUS II.

Explorata documentorum necnon scriptoris fide, narrationis veritas atque divinitas demonstratur.

CXXXIII. Cum Paralipomena non coaevorum facta, sed maiorum seriem et gesta a primis mundi temporibus ad scriptoris aetatem exponant, libri auctoritas ex documentorum fide, quae scriptor adierit, atque ex recto eorumdem usu cumprimis aestimanda est; iamvero quod pertinet ad stemmata atque recensus, illustria et locupletia documenta scriptori non defuisse, nec prudentem eorumdem

(*a*) Ioseph. c. Ap. I. § 8; qui interim una cum Philone Esdrae librum a Paralipomenis aperte distinguit.

usum desiderari, apertissimum arbitramur. Revera quae priori capite recensentur, consulto licet contracta, nec superstitiose descripta (*a*), ea nihilominus manifesto ex Genesis libro depromta sunt (*b*); leves siquidem discrepantiae ex auctoris consilio, temporum hominumque vitio facile explicabiles tanti profecto non sunt, ut documentorum varietatem ostendant, multoque minus eorumdem auctoritatem extenuent. Reliquorum vero quae sequuntur stemmatum pleraque in aliis hagiographorum libris penitus desiderantur (*c*); nonnullorum quaedam tan-

(*a*) Auctor videlicet, ceteris omissis, nuda plerumque nomina digerit; ut enim tale compendium operis instituto plurimum congruebat, ita inutile prorsus fuisset quae omnibus nota atque ad manum erant integre atque ad verbum transcribere; eademque de causa nullum erat periculum ne quempiam in fraudem duceret, si quando in nominum serie aut descriptione ab illustri omnibusque obvio fonte, (quippe auctor, non merus librarius) deflexisset; quare neminem Hebraeorum fallere potuit quod brevitatis caussa Arami filios Hus, et Hul, et Gether, et Mosoch inter Semi filios indistincte recensuerit (I. Par. I, 17), maxime cum בְּנֵי nomine nepotes etiam significentur; neque pariter quod Thamna Eliphazi concubina (Gen. XXXVI, 12), eiusdem filiis indiscriminatim inserta sit (I. Par. I, 36), siquidem nemini dubium esse poterat matrem Amalec nobilitatis causa obiter commemoratam; quamquam, cum Thamna et viri nomen fuerit, (cf. I. Par. I, 51 cum Gen. XXXVI, 40) non repugnaret Eliphazum praeter Amalec alium filium concubinae homonymum ex eadem, vel ex alia quadam uxore suscepisse; nisi mavis hoc librariorum mendum fuisse, quibus et alia plura, frequentes praesertim similium litterarum permutationes, attribuenda sunt. V. Movers, op. cit. p. 65-70, qui harum varietatum plusquam centum recenset, neque tamen omnes mendosae, non paucae enim fluxae nominum pronuntiationi adscribendae.

(*b*) Cf. I. Par. I, 1-4, 5-23, 24-27, 28-54 cum Gen. V, X, XI, 10-26, XXV, XXXVI.

(*c*) V. I. Par. II, 13-17 (coll. cum I. Reg. XVI, 6 seq.), 18-53; III, 16-24; IV, 2-23, 34-43; V, 1-26, 33-36; VI, 1-34.

tum nomina ignotis aliis permixta sparsim occurrunt, ita ut nullomodo credibile sit, exinde tales recensus contextos fuisse; at ex receptissimis tabulis compositos et hoc satis probaret, quod cum aliis Scripturae locis aliquando quidem specie, nunquam tamen reipsa pugnantes (*a*), cum iisdem aperte saepe et directe (*b*), interdum insperate et oblique (*c*)

(*a*) Keil op. cit. p. 167-193.

(*b*) Cf. I. Par. II, 13 cum I. Reg. XVI, 9, XXII, 13; I. Par. II, 21-24 cum Num. XXXII, 42; Deuter. III, 14-15; Iud. X, 3-4; I. Par. II, 20 cum Ex. XXXI, 2; I. Par. III, 9 cum II. Reg. XIII, 1, XV, 16, XX, 3; I. Par. III, 15 cum Ier. XXII, 11; I. Par. IV, 13 cum Ios. XV, 17; Iud. III, 9; I. Par. IX cum Nehem. XI-XII etc.

(*c*) Iuvat exemplis rem illustrare: Sarviam et Abigailem Davidis sorores fuisse compertum habentes (I. Par. II, 16) inde intelligimus cur Abisai, Ioab et Asaël, prioris filii, matris potiusquam parentis nomine vocarentur (II. Reg. II, 18, XXI, 17, XXIII, 18, alibi), et Amasa alterius natus Davidis consanguineus dictus sit (II. Reg. XIX, 14); interim vero cum in cit. Par. loco Abigailis pater non laudetur, quem aliunde constat ex Naaso oriundum (II. Reg. XXII, 25), discimus Davidem et Abigailem uterinos fratres fuisse. Similiter Danitarum excessus a Saraa et Esthaol (Iud. XVIII, 11) inde declaratur, quod illa oppida ab alterius tribus hominibus, Iudaeis nempe (I. Par. II, 53), incolerentur. Quod Zorobabel filius Salathielis (Esdr. III, 2), Phadaiae huiusce fratris filius dicatur (I. Par. III, 17-19) optime est; nam fratrem alterutrum levirum egisse ex Matth. I, 12 coll. cum Luc. III, 27 conficitur. — Cuiatis fuerint figuli a Ieremia (XVIII, 2. XIX, 1-2) et Zacharia (XI, 13) saepius laudati, qui in regiis hortis (cf. Ierem. XIX, 13 cum XXXIX, 4, et IV. Reg. XXV, 4) opificium faciebant, novimus ex I. Par. IV, 33. — Simeonitarum transmigratio in Seir (I. Par. IV, 42) cum Salmanasaris incursione (IV. Reg. XVII, 4-6) concurrit, et *tacitum*, Seiritarum quaestioni, Isaiae *responsum* מַשָּׂא דּוּמָה (Is. XXI, 11-12) declarat. — Beera Rubenis nepos a Theglathphalasare captivus abductus dicitur (I. Par. V, 6), a quo plures ex Galaaditide, Rubenitarum sede, legimus deductos fuisse (IV. Reg. XV, 29): posito autem quod isti sub Saule Agarenos (I. Par. V, 10, 19, seq.) debellaverint (quod ex I. Reg. XIV, 47. et II. Reg. VIII, 3 etiam efficitur, ubi Davidem Adarezeris eorum

luculentissime congruant (quae contradictionis securitas et inaffectatae veritatis significatio scriptoris sinceritatem et auctoritatem commendant); tum etiam ex frequenti allegatione (*a*), necnon coaevorum fide testatissimum est: nimirum cum successionis, Levitarum et regum iura ex sincera stemmatum descriptione penderent, proindeque vel a Mosis aetate (*b*) ad scriptoris (*c*), imo ad extrema reipublicae tempora peculiares quidam probatique viri iisdem curandis ex officio incubuerint, nemo usquam Hebraeis hac in re fucum facere potuisset, multo-

regis conatus amissas possessiones recuperandi irritos fecisse traditur), intelligimus cur inter gentes a Davide subactas non recenseantur (II. Reg. VIII), interim vero eorum aliqui eidem famulati sint (I. Par. XI, 38, XXVII, 31); cumque devicti quidem, atque e nativis sedibus depulsi fuerint, at non deleti, inter acriores Hebraeorum hostes denuo prodire (Ps. LXXXII, 7), ipsisque profanis scriptoribus (Eratosthen. apud Strab. lib. XVI. c. II. § 2; Plin. lib. VI. c. 32; Ptolem. l. V. c. 19) noti esse potuerint. Item Galaaditarum ullos Manahemi infensos a Phul deportatos (I. Par. V, 26), tum IV. Reg. XV, 16, 19, 25, tum Os. VIII, 8 indicari videtur. — Ineunte captivitate Iosedec sacerdotem fuisse (I. Par. VI, 15) ex Aggaeo I, 12, II, 5 apparet. Plura videsis apud Haevernik, Einl. 2. Th. 1. Abth. S. 184-88.

(*a*) I. Par. IV, 33, V, 1, 7, 17, VII, 9, 40, IX, 1, hebraice. Utitur nempe hebraica voce הִתְיַחֵשׂ, cuius eadem est potestas ac graecae ἀπογράφεσθαι, latinae *censeri*. Huiusmodi recensiones, plerasque saltem, et integras et incorruptas auctori patuisse vel ex eo colligimus, quod ipse generatim asserat Iosephi filios, quamquam primogeniti iura iisdem competerent, alio tamen ordine fuisse descriptos I. Par. V, 1; ad illas compendii causa lectores alleget ib. XII, 31, XVI, 41; auctores illarum laudet, XXIV, 6; notet aetatem, V, 17; causam aperiat cur ullae ibi insertae non sint, unde plerasque ipse depromsit XXVII, 24.

(*b*) Ex. V, 6, 10, 14 seq.

(*c*) I. Par. XXIII, 4; II. Par. XIX, 8; XXXIV, 13. Ioseph. c. Apion. lib. I, c. VII; Vita § 1. Talmud, tract. Sanhedrin f. 49, 2.

que minus aetate exsilio posteriori, qua aeternum et gloriosum Messiae regnum omnes praestolati familiarum ac munerum distinctioni, ad antiquas ac probatissimas tabulas recens exactae (*a*), et suis quique iuribus tuendis religiosissime studebant. — Inique propterea Grambergius (*b*) quaecumque aut nova plane, aut iis quae in ceteris historicis libris occurrunt dissimilia hîc deprehendit, ad auctoris libidinem conficta opinatur. Porro cui demum bono (posito quod impune) talia finxisset? Haud sane, ut ille autumat, propter Iudaeorum studium et Israëlis odium, quandoquidem non unius Iudae, sed et aliarum tribuum recensus novis accessionibus auget, nec Iudaeis probrosa (*c*), aut Israëlitis honesta (*d*) praetermittit. Praeterea cum eo quod omnia, quae à reliquis hagiographorum scriptis diversa, aut iisdem contraria specie videntur, studiose refugisset; tum omnes recentiores eadem ratione contexuisset, nec alias prorsus omisisset, alias diversas aut duplices, breviores modo, modo largiores composuisset (*e*), quod argumento est ex variis saepe fontibus religiose fuisse descriptas. — Nec minus temere Moversius (*f*), propterea quod eadem quae

(*a*) I. Esdr. II, 61-62; Nehem. XII, 22-23, XIII, 28-30.

(*b*) Op. cit. p. 51, seq. 67, seq. 71, cui consentiunt Zunz, op. cit. p. 138; von Bohlen, Genesis Einl. S. CXXVI, ff.

(*c*) I. Par. II, 23,30, 32, 34.

(*d*) Ib. IV, 40, seq. V, 9, 18-24, VII, 7, 24.

(*e*) Cf. I. Par. II cum IV; VIII, 1-28 cum VII, 6-12; VIII, 29-40 cum IX, 35-44; V, 30-40 cum VI, 35-38.

(*f*) Op. cit. p. 235, seq.

alibi occurrunt nomina hîc aliis omnino rerum, temporum ac personarum rationibus intexta sunt, aut eaedem personae aliis identidem nominibus donantur, auctorem corruptis tabulis, aut indigestis harum collectionibus usum fuisse suspicatur; nemo siquidem ignorat consuevisse Hebraeos patris (*a*), aut avi (*b*), aut insignioris cuiusdam cognati (*c*) nomina filiis imponere, ut maiorum memoriam perpetuo refricarent (*d*); pluresque apud ipsos bino-

(*a*) V. Tob. I, 9; Luc. I, 59; cf. Ioseph. Antiq. lib. XIV. c. I. § 3.

(*b*) V. Simonis Onomasticon p. 513 sub v. Ioiada; idipsum et nunc apud Ægyptios usu receptum. V. Description de l'Égypte XVIII, 59 seq.

(*c*) V. Luc. I, 61, cf. Lightfoot, Horae hebraicae in h. l. Id et Arabibus aliisque gentibus commune tradit Rosenmüller, A. und N. Morgenland, B. V, S. 58.

(*d*) Quapropter nil mirum quod Aser, Elcana et Abiasaph fratrum nomina (Ex. VI, 24) in prioris filiis alio rursus ordine revixerint (I. Par. VI, 44); sicut et recentior Iehieli (I. Par. XXVI, 22) eodem ac antiquior nomine audierit (Ib. XXIII, 8); nec Mahath Amasai, Ioël Azariae, et Cis Abdi filii Ezechiae aequales (II. Par. XXIX, 12) iidem censendi sunt ac antiquiores homonymi Davidis coaevi (I. Par. VI, 35-36, 44). Pariter cum eadem nomina a variis saepe familiis frequentarentur, Aminadab Core pater (I. Par. VI, 22) ab Aaronis socero (Ex. VI, 25), filii Gersom (I. Par. VI, 20) a fratris filio et nepote (ib. 29) distinguendi sunt; nec rursus confundendi qui I. Par. II. memorantur cum iis de quibus III. Reg. IV, 37 sermo est; cum nec singulorum nomina conveniant, et priores illi ad Levi (cf. Ps. LXXXVII, 1, LXXXVIII, 1; I. Par. VI, 29, XV, 17, 19, XVI, 41, 42, XXV, 1, 5.), alteri ad Iudae tribum pertinuisse videantur — Quod si omnino contendas eosdem fuisse, nulla in eo est repugnantia quod noster, illustriores tantum Zarae nepotes recensens, Michol obscurioris eorum parentis nomen omiserit. — Nec demum desperanda est sanitas loci I. Par. VII, 29-23, neque enim omnes illi Ephraimi filii et nepotes, ipso superstite, aliosque adhuc liberos procreaturo, a Gethaeis interemti sunt, sed illi tantummodo qui in Palaestina prognati ad Gethaeorum possessiones occupandas יָרְדוּ *descenderant*, quod vocabulum ex Ægypto in Chanaan remeantibus nullatenus congruisset.

mines fuisse (*a*): perperam igitur ex nominis tantum similitudine aut varietate eamdem, aut diversam fuisse personam quis inde colligeret, aut arbitrariam nominum compositionem argumentaretur; maxime cum commodius sane fuisset nova confingere, quam antiqua improbo et inani labore undique corradere.

CXXXIV. Quodsi ad ipsum historiae corpus progrediamur, hoc ex multiplici probatoque fonte depromtum comperiemus; laudat enim auctor antiquas historias (*b*), Davidis fastos (*c*), utriusque regni annales (*d*), unde et stemmata eruisse vide-

(*a*) Sic Gedeon Ierobaal (Iud. VI, 32), Ioachaz (IV. Reg. XXIV, 34) Sellum (I. Par. III, 15, Ierem. XXII, 11), Aminadab (I. Par. VI, 22) Isaar (ib. 28) etiam dictus est. At saepe duplicis nominis eadem propemodum significatio, nempe Esbaal (אֶשְׁבַּעַל vir Baalis) Meribbaal (מְרִיב בַּעַל Baalem impugnans) I. Par. VIII, 33-34, idem quod Isboseth (אִישׁ־בֹּשֶׁת vir idoli), Miphiboseth (מְפִיבֹשֶׁת qui idolum exterminat contr. ex מַפְאֶה) II. Reg. II, 8, IX, 6; qua pari ratione Gedeon modo יְרֻבֶּשֶׁת (ib. XI, 21), modo יְרֻבַּעַל (Iud. VI, 32) est nuncupatus; pariter יֹשֵׁב בַּשֶּׁבֶת (II. Reg. XXIII, 8) *tranquille habitans*, idem יָשָׁבְעָם Iesbaam (I. Par. XI, 11) *qui sedet in populo* nominatur, quod ad idem redit (cf. IV. Reg. IV, 13).

(*b*) דְּבָרִים עַתִּיקִים *verba vetera* I. Par. IV, 22.

(c) Ib. XXVII, 24.

(*d*) Nempe *librum Regum Iuda et Israël* II. Par. XXV, 26, XXXII, 32; .....*Israël et Iuda*, ib. XXVII, 7, XXV, 27 et XXXVII, 8 hebraice; *librum et sermones* (דִּבְרֵי) *Regum Israël*, ib. XX, 34, XXXIII, 18; *historicum commentarium* (מִדְרַשׁ סֵפֶר) *Regum*, ib. XXVII, 27.

tur (*a*), ac varia prophetarum scripta (*b*), qui praecipua quique suorum temporum eventa litteris mandarunt. Utrum vero multifarii fuerint huiusmodi annales, an unum idemque opus variis nominibus distinctum (*c*), cui et pleraque ex modo laudatis

(*a*) I. Par. XI, XXVII, 24.

(*b*) *Verba* Samuelis, Nathan et Gad I. Par. XXIX, 29; *verba* Nathan, libros (hebr. prophetiam) Ahiae, visionem Addo II. Par. IX, 29; *libros* (hebr. *verba*) Semeiae, et Addo ib. XII, 15; *verba* Iehu ib. XX, 34; *sermones* Oziae ab Isaia descriptos ib. XXVI, 22; eiusdem *visionem* Ezechiae *sermones* (historiam) enarrantem ib. XXXII, 32; *sermones* Hozai ib. XXXIII, 19.

(*c*) Cum antiquiores Hebraei nullum titulum libris praescriberent, variis saepe synonymis unum eumdemque designabant, sic Pentateuchus passim in V. T. *lex*, *lex Domini*, *lex Mosis*, *liber legis*, *liber legis Domini*, *liber legis Mosis*, *liber Mosis* nominatur; eademque ratione sacri Hebraeorum annales primo liber gestorum (*verba dierum*) *Davidis*, dein *Salomonis*, tum *Iuda aut Israël* (V. sup. pag. 297-298), demum *liber regum Iuda et Israël*, *Israël et Iuda*, *Israël* aut *Regum* tantum, dici potuerunt; quod enim titulus *verba dierum* דִּבְרֵי הַיָּמִים acta diurna, non civilibus tantum sed et sacris annalibus, hagiographo nempe operi historico congruat, apparet ex eodem nomine Paralipomenis hebraice praescripto; quod vero Israëlis nomen latiori significatione Hebraeis in universum, Iudaeis aeque ac Israëlitis competeret, id ex II. Par. XXXIII, 18 colligitur, ubi Israëlis regno iamdudum everso, Iudaei regis gesta atque Iudaeorum videntium verba in *sermonibus* (fastis) *regum Israël* relata dicuntur; *historicum* demum *commentarium Regum*, qui novo ac recentiori nomine dictus est, a *libro* vel *sermonibus Regum Israël* nullatenus differre inde coniicimus, quod ea quae noster ex alterutro hoc libro mutuatur cum iis ad verbum conveniant, quae in parallelis Regum libris descripta sunt, quod probat ex eodem omnino fonte hausta fuisse (cf. II. Par. XXIV, 27 cum IV. Reg. XII, 18). Caveas interim ne cum hisce ipsis multinominem illum librum confundas; auctor siquidem Paralipomenôn ad eum delegat cum illa tradit quae plerumque in Regum libris desiderantur (II. Par. XIII, 11, XXV, 26, XXVII, 7, XXVIII, 26, XXXII, 32, XXXV, 27, XXXVI, 8): et haec causa est cur isti a nostro nunquam laudentur, quippequi et ipsi summatim breviterque perscripti lectores amplioris notitiae

prophetarum scriptis inserta sint (*a*); num antiquiora documenta prae oculis habuerit auctor (quod nemo infitiari poterit, et cum de Esdra agitur verisimillimum est), an alterius operis fide ex iisdem expressi allegaverit (*b*), parum interest definire; quandoquidem non tam numerus testium, quam auctoritas quaeritur, et ex firma supparum fide

cupidos minus iuvassent; neque enim ad fidem faciendam, sed ad sacrae antiquitatis eruditionem promovendam fontes suos aperit historicus.

(*a*) Hoc de verbis Iehu, et visione Isaiae expressis verbis auctor affirmat II. Par. XX, 34, XXXII, 32; hoc de libris Semciae et Addo coniicit Haevernick (op. cit. p. 200) ex vi vocis לְהִתְיַחֵשׂ quasi nempe ad annalium persecutionem conscripti sint; idipsum de reliquis auguratur Movers (op. cit. p. 173-181), arbitratus varia haec nomina singulares unius operis partes designasse, cuius rei exempla Marc. XII, 26, Rom. XI, 2 sibi videre visus est. Utrum verba Samuel, Nathan et Gad, ex quibus Samuelis libros coaluisse probavimus (V. pag. 220), quaeque a nostro citantur (I. Par. XXIX, 29) eos ipsos libros, sane uberiores eorum fontes, vel seorsim exstantes, vel annalibus insertos significent, in medio relinquimus.

(*b*) Haevernick (op. cit. p. 195) *verba dierum Iuda* (quae semel *Davidis* et *Salomonis* etiam dicta sunt), et *verba dierum Israël* quae passim in libris Regum separatim laudantur, duos distinctos annales fuisse putat, ex quibus una simul compactis, pluribusque prophetarum scriptis adauctus *liber regum Iuda et Israël*, alias *liber regum Israël*, alias *historicus commentarius regum* dictus prodierit; auctorem autem Paralipomenôn hoc unice usum cum *verba dierum Davidis* inibi citata deprehenderet, haec ceterum sibi invisa, huius tamen fide allegavisse (I. Par. XXVII, 24). At enim si, ipso fatente, allegationis diversitas libri varietatem non prodit, neque constans distinctio eiusdem simplicitati adversabitur; cum autem annales illi ad exsilii usque tempora perduraverint (quippequibus Regum auctor usus est), confestim dein periisse quis credat? Nempe non de annalibus sermo est, qui in archiviis omnibus abditi servarentur, sed de libris historicis annalium instar digestis, et sacrae Hebraeorum eruditioni destinatis, quod excerpta ipsa testantur.

coaevorum consensum merito argumentamur; illud hercle Grambergio et sociis (*a*) fidenter pernegamus, praeter Samuelis et Regum libros, nulla alia historica documenta auctori praesto fuisse; quaecumque igitur praeterea ab ipso laudantur, et quae facta tamquam exinde depromta referuntur, vel ostentandae eruditionis gratia, vel mentiendi libidine conficta fuisse. Quae temeraria prorsus opinio (*b*), puraque puta calumnia est: nam cum eo quod modestiam et simplicitatem suam apertissimam facit, multa decora eaque notissima praeteriens (*c*), necnon probrosa ab aliis praetermissa producens (*d*); tum omnino incredibile ho-

(*a*) Gramberg, die Chronik u. s. w. S. 26; de Wette, Einleit. 4. Aufl. S. 243.

(*b*) Profecto unicum quod a Bertholdtio (Einleit. B. III. 951) et Grambergio (op. cit. p. 25) producitur argumentum, quod nempe illa documenta canoni secus inserta fuissent, utraque parte claudicat; neque enim omnia uti hagiographa habenda sunt, nec singula cetero in canonem necessario referenda erant, eaque multo minus, quorum vicem excerpta compendiosa commodius praestabant; nimirum qua ratione Apostoli haud omnia Christi facta vel dicta litteris mandarunt, nulla necessitas fuit ut canonis conditores singula hagiographorum scripta colligerent; sed et praeterea multa documenta quae a canone absunt, ad illius aetatem perduravisse et supra vidimus (p. 373. not. *b*), et ex Nehem. XII, 23, II. Mach. II, 1, seq. colligitur, et Bertholdtius ipse de Davidis et Salomonis historia fatetur op. cit. pag. 969, 971.

(*c*) Ex. c. Bella Davidis contra Philisthaeos (II. Reg. XXI, 15-22), huius eucharisticum hymnum ob victorias reportatas (ib. XXII), prudens Salomonis iudicium (III. Reg. III, 16-28), eius ministerium, opes, fastum regalem, incredibilem sapientiam (ib. IV), sanitatem Ezechiae prodigiose restitutam (ib. XX, 1-11) aut paucis attingit, aut ne obiter quidem commemorat.

(*d*) Paschatis puta festivitatem saepius intermissam (II. Par. XXXV, 18), atque ad legis obrussam ne sub piissimo quidem Ezechia exactam

minem cordatum iis temporibus scribentem, quibus summum erat studium antiquitatis, et larga hebraicarum litterarum supellex (*a*), ausum fuisse scripta factave omnino inaudita comminisci, maxime cum de operibus, auctoribus et rebus ageretur, quorum momentum, fama et magnitudo nimia fuissent quam ut ex omnium memoria penitus deleri potuissent; nec minus absurdum fidem impetrasse qui curiosiores quam saepissime ad deperditos fontes delegasset; mitto, neminem auctori qui, ut noster, probabiles narrationis suae fontes aperiat, fidem hac in re denegaturum, nisi cui omnis historica veritas plerumque desperanda sit; sed enim cum externa scriptorum testimonia et interna totius narrationis indicia huiusce veritatem adeo confirment, ut evidens sit ex optimis monumentis expressam fuisse, sequitur ex iisdem quae ab auctore citantur erutam esse, tum quia probabiliora non suppetunt, tum etiam quia probato iam historico integra fides adiungenda est. Re quidem vera pleraeque Paralipomenôn pericopae (*b*) cum parallelis Samuelis et

(xxx, 18), Sacerdotum socordiam, qui perpauci hac occasione semet lustraverunt (xxix, 34), Ioasi (xxiv, 17-22), Amaziae (xxv, 14-19) et Oziae (xxvi, 16-20) crimina unus ipse memorat, candideque fatetur.

(*a*) Eccli. xii, 12.

(*b*) Cf. i. Par.	x, 1-12	cum	i. Reg. xxxi.
	xi, 1-9		ii. Reg. v, 1-10.
	» 10-41		xxiii, 8-39.
	xiii, 1-14		vi, 3-11.
	xiv, 1-7		v, 11-25.
	xvii		vii.
	xviii		viii.
	xix		x.
	xx, 1-3		xi, 1; xii, 30-31.

Regum ita ad verbum propemodum (*a*) conveniunt,

I. Par.	xx, 4-8	cum	II. Reg.	xxi, 18-22.
	xxi			xxiv.
II. Par.	I, 3-13		III. Reg.	III, 4-14.
	» 14-17			x, 26-29.
	II, 2-17			v, 8-18.
	III, IV			VI, VII.
	v-VII, 10			VIII.
	VII, 11-22			IX, 1-9.
	VIII			XI, 15-28.
	IX			X.
	X, I-XI, 4			XII, 1-24.
	XII, 2-11			XIV, 25-28.
	XVI, 1-6			XV, 17-22.
	XVIII			XXII, 2-35.
	XX, 31-37			» 41-50.
	XXI, 5-10		IV. Reg.	VIII, 17-24.
	XXII, 2-6			» 26-29.
	» 10-XXIII, 21			XI.
	XXIV, 1-14			XII, 1-16.
	XXV			XIV, 1-14, 19, 20.
	XXVI, 1-4, 21			» 21-22; XV, 2, 5.
	XXVII, 1-3			XV, 33, 35.
	XXVIII, 1-4			XVI, 2-4.
	XXIX, 1-2			XVIII, 2-3.
	XXXII, 9-21			XXIII, 17-37.
	» 24-31			XX, 1-19.
	XXXIII, 1-10			XXI, 1-10.
	» 21-25			» 19-24.
	XXXIV, 1-3, 8, 28			XXII.
	» 29-33			XXIII, 1-20.
	XXXV, 18, 20-25			» 22-23, 29.
	XXXVI, 1			» 30.
	» 2-4			» 31-34.

(*a*) Dixi *propemodum;* siquidem non modo quod ad orthographiam atque grammaticen saepe distant, quippe recentius (V. sup. pag. 360), non raro accuratius (ex. c. סוֹבֵב II. Par. xxi, 9, מֵבִיא I. Par. xi, 2, כִּסֵּא II. Par. ix, 18, loco סָבִיב IV. Reg. viii, 21, מֵבִי II. Reg. v, 2, כִּסֵּה III. Reg. x, 19) scriptionis genus noster aut librarius secutus est, non solum vocibus obsoletis, obscuris, atque (exstincta prisca simplicitate) subturpibus nova ille, clariora et honestiora suffecit (cf. hebraice I. Par. xxi, 2 cum II. Reg. xxiv, 2; II. Par. ix, 12 cum III. Reg. ix, 7; II. Par. xvi, 4 cum III. Reg. xv, 20; I. Par. xx, 4 cum II. Reg. xxi, 18; II. Par. xxviii, 3 cum IV. Reg. xvi, 3; I. Par. xix, 19 cum II. Reg. x, 19; I. Par. xvii, 11 cum II. Reg. vii, 12; I. Par. xix, 4 cum II. Reg. x, 4

ut dubium quidem esse possit num inde descriptae, nullatenus vero an ex eodem saltem fonte utraeque fuerint depromtae (*a*); si primum illud teneas, quae librorum Regum eadem et Paralipomenôn, maximam partem, erit auctoritas; si alterum, et hoc insuper consequetur, integram prorsus fidem ceteris etiam quae supersunt, esse adiudicandam; qui enim historicus, Regum libris inevolutis, cum iisdem quod ad plurima apte consentit, suam et documentorum (quorum antiquiores ipsas, dudum

etc. V. Movers, op. cit. p. 200-212); sed nonnunquam quae supervacanea videri poterant, omisit (I. Par. x, 3 coll. cum I. Reg. xxxi, 3; II. Par. v, 2 coll. cum III. Reg. viii, 1); frequentius voces, dictiones et commata narrationi declarandae, perficiendae perutiles aut necessarias adiecit (cf. I. Par. x, 10 cum I. Reg. xxxi, 10; I. Par. xi, 6-8 cum II. Reg. v, 7, 9; I. Par. xi, 23 cum II. Reg. xxiii, 21; I. Par. xiii, 9 cum II. Reg. vi, 6; I. Par. xiv, 16-17 cum II. Reg. v, 25; I. Par. xviii, 3 cum II. Reg. viii, 3; I. Par. xx, 2 cum II. Reg. xii, 30; II. Par. vi, 6, 13 cum III. Reg. viii, 16, 22; II. Par. viii, 11 cum III. Reg. ix, 24; II. Par. xxi, 10 cum IV. Reg. viii, 22; II. Par. xxv, 27 cum IV. Reg. xiv, 19; II. Par. xxvi, 19 cum IV. Reg. xv, 5); interdum, raro tamen, narrationem ita perstrinxit, ut ex Regum libris illustranda sit (cf. I. Par. x, 12 cum I. Reg. xxxi, 12; II. Par. viii, 10 cum III. Reg. ix, 23). Quare confici posse videtur ex iisdem fontibus unde uberiora ipse depromsit, et integram narrationem suam hausisse, cumque in eorum gratiam illam perscriberet qui ab iis eventibus quam longissime distabant, fieri nequivisse quin clarius atque apertius illa exponens quae in Regum libris pleraque iam fuerant digesta, hos ipsos vel oblique illustraret.

(*a*) Utrum prudens an nescius Regum libros noster declaraverit, non definimus; illos enim agnovisse oppido certum, at ad operis compositionem adhibuisse haud ita liquidum est; affirmant Movers, op. cit. pag. 95, seq., auctor dissertationis in Tubinger Quartalschrift 1831, S. 21. ff., necnon Gramberg, de Wette (v. sup. pag. 275. not. *a*); negant Eichhorn, Einleit. III. B. S. 585. ff., Bertholdt, Einl. III. B. S. 969. ff., Keil, op. cit. p. 206, seq., Haevernick, Einl. II. Th. I. Abth. S. 201. ff.

licet improprias formulas (*a*) identidem religiose descripsit) fidem satis superque probavit, quin opus sit reliqua ad severiorem trutinam revocare, quod tamen morosiorum ergo facere non dubitamus. Scilicet quod de recensibus ac genealogicis tabulis aliunde quam ex libris canonicis ab auctore nostro desumtis superius (*b*) dictum est, perinde cadit in ea quibus ipse descriptam in Regum libris historiam interdum auxit, amplificavit; quandoquidem non solum rerum ac personarum rationibus maxime consentanea, secum invicem et cum universa Hebraeorum historia apte connexa, nulloque partium studio selecta, modo genti honesta, modo probrosa sunt, sed aliis hagiographorum, necnon profanorum scriptorum locis tum nunquam adversantur, tum saepe, praeter lectoris spem et scribentis consilium, aut lucem affundunt, aut inde mutuantur.

Sane hymnus in arcae translatione decantatus (*c*) huic solemnitati (*d*) et Davidis temporibus (*e*) convenientissimus est; v. autem 35 non de captivitate, sed de perpetua inde ab Abraham temporibus Hebraeorum e gentibus redemptione intelligendus. - Strages Idumaeorum quam Abisai in

(*a*) I. Par. IV, 41-43; II. Par. V, 9, VIII, 8, XXI, 10 etc.
(*b*) V. pag. 367-72.
(*c*) I Par. XVI, 8-36.
(*d*) Cf. praesertim vv. 11, 27.
(*e*) Cf. v. 23 cum Ps. XCV, I, XXXII, 3; Is. XLII, 10; v. 8 ab Isaia XII, 4, v. 34 a Ieremia XXXIII, 11, uti solemnes atque antiquae dicendae formae referuntur.

valle Saliparum edidit (*a*), tum Psaltae (*b*) testimonio roboratur, tum alterius loci (*c*) sanitatem confirmat; nec refert quod in variis hisce locis occisorum numerus diversus sit, et victoria modo Davidi, modo Ioabo, modo Abisai tribuatur; haec enim tum priori tamquam regi, tum alteri ut summo militiae duci, tum postremo, quippe a fratre praemissus (*d*) hostes prostraverit, merito potuit adiudicari; maior autem aut minor *caesorum* numerus ex varia vocis הִכָּה *cecidit* acceptione, prout nempe interemti, aut profligati intelliguntur, repetendus est. Quam apte cum libris Regum consentiant, quae Davidis apparatus et sumtus ad templum adornandum spectant (*e*), iam supra dictum est (*f*). - Quae de Levitis in plures classes per Davidem distributis, variisque muneribus eorum singulis assignatis traduntur (*g*), verisimillima sunt; nam Esdras et Nehemias haec ipsa instituta ut antiquissima ponunt (*h*), partim Mosi, partim Davidi attribuunt (*i*), dumque eadem student instaurare, ad vetera atque probata documenta provocant ut spurios ministros expungant (*k*); porro *principes sanctuarii* Isaias (*l*), gazophylacia ipsis atque cantoribus constituta memorant Ieremias et Ezechiel (*m*); quodsi haec multiplex officiorum distributio

(*a*) I. Par. XVIII, 12.

(*b*) Ps. LIX, 2.

(*c*) II. Reg. VIII, 13; temere propterea textum emendarunt qui (ut Hahnius in h. l.) אֱדֹם pro אֲרָם posuerunt; capta enim Syria, David Edom debellavit.

(*d*) Cf. II. Reg. X, 10.

(*e*) I. Par. XXII.

(*f*) V. Pag. 322. not. (*a*).

(*g*) I. Par. XXIII-XXVII.

(*h*) Esdr. II, 36-43, VII, 7, 24, X, 18, 23-24; Neh. VII, 39-46, X, 28, 38-39, XI, 17-21, XII, XIII, 5.

(*i*) Esdr. VI, 18, VIII, 20.

(*k*) Esdr. II, 61-62; Neh. VII, 63-64.

(*l*) Cf. I. Par. XXIV, 5 cum Is. XLIII, 28.

(*m*) Ier. XXXV, 4; Ezech. XL, 44.

iamdiu ante exsilium obtinuit (*a*), cur Davidi acceptam non referemus, cuius egregia in rem sacram, poësim praesertim atque musicen merita testatissima sunt (*b*)? Atqui alii aetati commodius nequit assignari; ut enim haec certam sanctuarii sedem postulat, quae, pace per Davidem parta, primum ab ipso definita est; ita eiusdem successores cultui interdum ad eius exemplar (*c*) instaurando, nunquam perficiendo incubuerunt. - Bellum inter Abiam et Ieroboamum hîc speciatim descriptum, et alibi indicatur (*d*); quod vero Bethel revera a Iuda capta sit (*e*), licet postea in Israëlis potestatem iterum devenerit (*f*), colligimus ex Baasae consilio, qui ut illius securitati provideret Rhamam munivit, quae iter a Ierusalem ad Bethel intercipit (*g*). - Praelium inter Roboamum et Sesac a Regum libris (*h*), et ab Ægyptiis monumentis comprobatur; Sesac enim שִׁישַׁק aetate ac nomine cum principe XXII^ae^ dynastiae Bubastitarum convenit, qui a Manethone Σεσόγχις vel Σεσόγχωσις, in Thebarum (*Karnak*) monumentis ϢϢϣпк *Scisционе* appellatur, ibique inter alios captivos et Iudaeum regem ad *Trinitatis* Thebanae pedes raptans describitur (*i*); nec contra est, quod Roboam patria abductus non sit, nam

(*a*) Cf. IV. Reg. XXXIII, 4.

(*b*) V. II. Reg. VI, 5; Eccli. XLVII, 9-12, multorum psalmorum titulum לַמְנַצֵּחַ לְדָוִד, Amos, VI, 5; Esdr. III, 10; Neh. XI, 17, 22-23, XII, 34-35, 44-45.

(*c*) II. Par. XXIX, 25.

(*d*) Cf. II. Par. XIII, 2, seq. cum III. Reg. XV, 7.

(*e*) II. Par. XIII, 19.

(*f*) IV. Reg. X, 29.

(*g*) III. Reg. XV, 17.

(*h*) Cf. I. Par. XII, 2, seq. cum III. Reg. XIV, 25.

(*i*) V. Usser. Annales p. 33. Champollion, Précis du système hiéroglyphique p. 203-205. Greppo, Essai sur le syst. hiérogl. p. 173, seq. Rosellini, Monumenti storici tom. II. p. 78-80.

pictor regis captivitate gentis subiectionem significavit (*a*). - Victoria, quam Iosaphat de Moabitis, Ammonitis et Syris prodigialiter reportavit (*b*), Ioëli materiem praebuit qua poenas teterrimas allegorice adumbraret, quas olim Deus de theocratiae hostibus sumturus foret (*c*): similis namque populorum multitudo (*d*) in eamdem vallem (*e*) confluentium; utrobique Iehova dux praelii et auctor victoriae, quam beatissima tempora consequuntur (*f*); canticum hac occasione decantatum exhibet nobis Ps. XLVII (*g*). - Philisthaeos et Arabes Iorami temporibus in Palaestinam irruentes Ierusalem diripuisse, incolas deduxisse noster cum aliis tradit (*h*), et tanti moliminis probabilem causam et proximos eventus unus ipse pandit (*i*): ab ipso enim discimus Philisthaeos antea a Iosaphato tributarios factos,

(*a*) Sane in regis captivi clypeo cum *determinativo* regionis haec integra verba IVDHMALK leguntur, nempe *Iudae regnum.* Trium etiam Palaestinae locorum nomina in eodem prostypo deprehenduntur, Magdo (Mageddo) Baithoron (Bethhoron), Mahanaim, locorum scilicet, ubi Pharao praelium secundum adversus Hebraeos fecisse videtur. V. Champollion, Gram. Égypt. I. p. 160, seq.

(*b*) II. Par. XX, 1-30.

(*c*) Ioël. III. hebr. IV.

(*d*) II. Par. XX, 2, 15 הֲמוֹן רָב multitudo magna; Ioël. IV, 14 הֲמוֹנִים הֲמוֹנִים populi, populi.

(*e*) II. Par. XX, 26 לְעֵמֶק בְּרָכָה ad vallem benedictionis; Ioël. IV, 14 בְּעֵמֶק הֶחָרוּץ in valle decisionis, laeti nempe successus.

(*f*) II. Par. XX, 17, 27 coll. cum Ioël. IV, 11, 18, seq.

(*g*) Cf. praesertim vv. 5, 7, 10-15; v. 8 subita multorum regum clades coaevae Tharsensis classis ruinae comparatur (III. Reg. XXII, 45), quod duplex adiunctum ostendit hunc psalmum ad Sennacheribi exercitus stragem haudquaquam respicere. Cf. etiam Ps. XXXII, 5, 13 cum II. Par. XX, 11-12.

(*h*) Cf. II. Par. XXI, 16-17 cum Ioël. III, 5-6, 17. Amos I, 6, seq. IV. Reg. XII, 13, unde colligitur et vasa templi direpta fuisse.

(*i*) II. Par. XVII, 11.

quod aegre ferentes, vindictae et libertatis cupidos rebellasse; at postmodum ab Ozia cum ingenti exercitu devictos eidem iugo iterum subiectos fuisse, eorum munitionibus subrutis, aliisque tum ab ipso, tum a Ioatham eius filio in Iudaea excitatis (*a*), cuius conditio sub duobus hisce regibus a nostro atque ab Isaia aequaliter exhibetur (*b*). - Philisthaeos incussae iterum ab Ozia servitutis impatientes hanc denuo exuisse, pluresque Iudaeae urbes occupasse indicat etiam Isaias (*c*), fallacem atque praeproperam eorum laetitiam damnans, quippe ab Ezechia paullo post iterum subigendi (*d*). - Ioasi, Ioiada defuncto, apostasia (quam impia regis cognatio multo verisimilem facit) oblique significatur, cum ille recte sapienterque fecisse dicitur, quoad in huius disciplina permansit (*e*); Zachariae porro necem memorat Christus (*f*). - Hebraicae reipublicae conditio sub Ezechia, cultus, rituum, solemnitatum restitutio non modo cum praecedenti historia intime cohaerent, cum Mosaicis institutis apte consentiunt, et temporum ac rerum adiunctis apprime respondent (*g*), sed et summatim carptimque aliunde comprobantur (*h*); munitiones autem et praesidia quibus Ezechias Ierusalem a Sennacheribi obsidione tuitus est, locorum naturae (*i*) haud secus ac Isaiae descriptioni (*k*) consona sunt. - Quae de Manasse specialiter a nostro enarrantur tum per se probabilia sunt, tum alio-

(*a*) II. Par. XXVI, 6, 9-15, XXVII, 4 coll. cum Os. I, 7, VIII, 14.

(*b*) Cf. Is. II-IV, speciatim vero II, 7, 14, seq. cum II. Par. XXVI, 6-13, XXVII, 3-6.

(*c*) Cf. II. Par. XXVIII, 18 cum Is. XIV, 28-32.

(*d*) IV. Reg. XVIII, 8.

(*e*) Cf. IV. Reg. XII, 2 cum II. Par. XXIV, 17, seq.

(*f*) Cf. Matth. XXIII, 34-35 cum II. Par. XXIV, 19-21.

(*g*) V. Scholz, Einleit. II. Th. S. 427-432.

(*h*) Cf. II. Par. XXIX-XXXI cum IV. Reg. XVIII, 3-6, II. Par. XXIX, 15-27 cum Is. XXIX, 32.

(*i*) V. Scholz, Reise in Ægypten, Palaestina und Syrien, S. 135. ff. 197.

(*k*) Cf. II. Par. XXXII, 3-5 cum Is. XXI, 8-11.

rum etiam testimonio roborantur: ab Assyriorum principibus captivus Babylonem abductus dicitur (*a*); quae reapse Assyriis denuo regibus tum temporis parebat, Assarhaddoni scilicet Sennacheribi filio et successori (*b*); nunc igitur qui afflictam Assyriorum potestatem restituendi cupidus Ægyptum et Coelesyriam subegerat (*c*), quoque magis devictum Israëlis regnum subiectum haberet novas in Samariam colonias deduxerat (*d*), et proximum Iudae regnum invasisse, et captivitatem regi intulisse (*e*) nec abhorret a fide, nec a Chaldaeorum aut Assyriorum consuetudine alienum; at enim cum Assarhaddoni demortuo Chaldaei iterum principes successerint, Saosduchin nempe et Kiniladdan (*f*), Assyriae fortassis proreges, Manassis per alterutrum liberatio aeque verisimilis est; quandoquidem tantumdem horum intererat Assyriae hostes amicos sibi conciliare, quantum antea Merodach Baladan interfuerat (qui primus ipse plenam potestatem affectaverat) Ezechiae gratiam inire (*g*); nemo autem mirabitur Iudaeum regem hac calamitate eruditum, et prophetalium comminationum veritatem (*h*) expertum ad saniora consilia rediisse. - Neque tandem, ut modum aliquem et finem huic demonstrationi faciamus, minus credibile Nechaonem (*i*) oraculi monitu

(*a*) II. Par. XXXIII, 11.

(*b*) V. excerptum Alexandri Polyhistoris apud Euseb. Chronic. arm. lat. edit. Venet. p. 42-43.

(*c*) Ib. pag. 54.

(*d*) IV. Reg. XVII, 24; Esdr. IV, 2.

(*e*) Difficultates e temporum rationibus petitas egregie solvit Hoffmann in op. *Die 70 Iahre des Ieremias u. s. w. Nürnberg* 1836. pag. 35, seq.; hic enim Assarhaddonem XXXII annos regnavisse demonstrat.

(*f*) Id. ib. p. 32. Leo, Universal-Geschichte I. S. 119.

(*g*) Is. XXXIX, 1.

(*h*) Cf. II. Par. XXXIII, 18-19 cum IV. Reg. XXI, 10, seq.

(*i*) Neco נְכוֹ, in Ægyptiis monumentis ⲚⲔⲰ Psammetichi filius, VI iuxta Eusebium, iuxta Iulium Africanum V rex XXVI dynastiae, h. e. Saiticae II.

adversus immortalem Ægypti hostem (*a*) Circesium (*b*) dimicatum properaturum, et Iosiam frustra obsistentem (quem Hebraei diu multumque defleverint) ad Megidduntem devicisse, et usque progressum Hierosolyma occupasse (*c*); utriusque namque expugnationis meminit Herodotus (*d*), oraculi responsum Ægyptiorum moribus (*e*), festinatio temporum conditioni respondet, qua extremum exitium undique Assyriorum imperio imminebat; porro Pharaonis expeditio, Iosiae clades et lamentata funera aliorum etiam hagiographorum consensu firmantur (*f*).

(*a*) בֵּית מִלְחַמְתִּי h. e. familiam hostilem quacum perpetuum mihi est bellum.

(*b*) Hebr. כַּרְכְּמִישׁ, Vulg. Charcamis, Κιρκήσιον, oppidum munitum ad Euphratem.

(*c*) II. Par. XXXV, 20-XXXVI, 3.

(*d*) Lib. II. c. 159, nisi quod Mageddo מְגִדּוֹ urbem ad montem Carmelum sitam (cui proxima Esdrelonis planities, ubi praelium commissum, ex Ægypto Assyriam petenti permeanda) cum מִגְדֹּל, Μαγδόλῳ, Magdolo, urbe in Ægypti finibus posita (Ex. XIV, 2, Ierem. XLIV, 1) ipse interiorum Palaestinae tractuum haud satis peritus confundit, et Ierusalem vocat Kadytin Κάδυτιν corrupto nomine a קְדוֹשָׁה קַדִּישָׁתָה (uti רַבָּתָא apud Ioseph. Arch. l. IV. c. V, § 3 = רַבָּה Ammonitarum metropoli) *urbem* nempe *sanctam* quo eodem nomine etiamnum ab Arabibus اَلْقُدْس appellatur.

(*e*) Herod. II. c. 54, seq. 82, 83, 139, 152, qui praeterea ipso loco supra laudato et oraculum memorat (c. 158), et qua veste indutus Necos eas res gesserat, eamdem Apollini deinceps dedicasse tradit (c. 159). Recens etiam declarata Ægyptiorum monumenta hanc Nechaonis expeditionem illustrant. V. Rosellini, Monumenti dell'Egitto II. p. 132, segg. 192 segg.

(*f*) Cf. IV. Reg. XXIII, 29-30, Ierem. XLVI, 2. Crebras multorum super piissimi (Ier. XXII, 15-16) Iosiae funere lamentationes memorant Ieremias XXII, 10, 18, XXIV, 5 et Zacharias XII, 11, ex quo patet inique falsitatis nostrum reprehendi eo quod earum auctorem faciat Ieremiam, cum tamen in eius Threnis desiderentur; neque enim omnes eiusdem, eoque minus aliorum vatum elegiae inibi relatae sunt.

Quae cum ita sint, nemini mirum videri poterit quod *Rationalistarum* audaciores, rei veritate victi, palinodiam canere incipiant, nec omnem prorsus fidem iis etiam quae Chronographi tantum propria sunt, iam audeant abnegare (*a*); nec ullus sapiens iniquam habebit Hieronymi sententiam, qui librum Paralipomenôn ad Scripturarum scientiam assequendam non modo perutilem, sed maxime necessarium iudicavit (*b*); nec demum, explorata adeo historici auctoritate, prudenti cuilibet minus certa, minusque firma forent quae aliunde specialiter non confirmantur, nisi praeterea totius narrationis veritas palmari atque invictissimo argumento demonstraretur; unanimi scilicet atque perpetua Hebraeorum et Christianorum consensione, qui hunc librum uti verum atque divinum iugiter habuerunt; hoc nimirum Iosephus tamquam vero atque divino hebraicae historiae fonte usus est (*c*); nonnulla Chri-

(*a*) De Wette, Einleit. 6. Aufg. S. 276: Dabey muß zugestanden werden daß auch manche glaubwürdige Nachrichten vorkommen.

(*b*) « Paralipomenôn liber, idest Instrumenti Veteris epitome tantus » et talis est, ut absque illo siquis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, seipsum irrideat. Per singula quippe nomina; » iuncturasque verborum et praetermissae in Regum libris tanguntur » historiae, et innumerabiles explicantur Evangelii quaestiones. » Ep. ad Paulin. opp. tom. I. p. 279. ed. Wallarsii. Et in Praef. in lib. Paralip. ad Domnionem et Rogatianum: « Quod omnis eruditio Scripturarum » in hoc libro continetur; et historiae vel quae praetermissae sunt » in suis locis, vel perstrictae leviter, hic per quaedam verborum » compendia explicentur ».

(*c*) Archaeol. praesertim lib. VII-X.

stus (*a*) et Apostoli (*b*), uti ex aliis S. Scripturae libris, ita ex hoc ipso depromserunt; Synagoga vero et Ecclesia eumdem in sacrorum librorum canonem inserentes certissimae suae persuasionis solemne et irrepugnabile testimonium ediderunt.

ARTICULUS III.

Eadem propositio disiectis adversariorum criminationibus confirmatur.

CXXXV. Auctorem documentis antiquioribus publicis ac testatissimis ingenue atque sollerter usum, plenamque fidem a coaevis haud secus atque a posteris, uti modo probavimus, assecutum, nescium saepe, frequentius prudentem, impune semper erravisse ii dumtaxat sibi persuadere queunt, qui studio partium abrepti de alicuius libri auctoritate ex praesumta opinione sententiam ferunt, talemque illum idcirco deprehendunt, qualem animo praeceperunt. Hac mente *Rationalistarum* plures (*c*) sacrum hunc librum pervolventes tot absurda, pu-

(*a*) Cf. Matth. xxiv, 6-7, Luc. xxi, 9-10 cum ii. Par. xv, 5-6; Matth. xxiii, 34-35 cum ii. Par. xxiv, 19-21.

(*b*) Cf. Matth. i, Luc. iii cum i. Par. i-iii; Act. vii, 48, xvii, 24 cum ii. Par. vi, 18; i. Petri i, 17 cum ii. Par. xix, 7; Apoc. v, 12-13 cum i. Par. xxix, 11-12.

(*c*) Quos inter eminent de Weltius et Grambergius opp. citt.

gnantia, contradictoria inibi videre visi sunt, ut eiusdem auctoritatem conclamatam putaverint. Verum iniquos se iudices praestiterunt, et irriti eorum conatus non modo historicam, sed et divinam libri fidem apertissime comprobarunt; cum enim exploratum sit varios eiusdem aut alterius aevi scriptores eadem facta describentes, probatae licet fidei, in pluribus tamen diversos semper abire, imo et aperte identidem sibi contradicere (quin historiae summa de veritate periclitetur); haud fieri potuisset ut noster tam apte cum aliis et secum invicem consentiret (ut supra probatum est), nec in ullo manifesto aut dubio saltem errore prolaberetur (quod actutum demonstrabimus), nisi supernum aliquod numen eius mentem illustrasset, eiusque calamum rexisset. – Ut igitur hoc apodicticum argumentum bono in lumine collocetur, operae pretium erit adversariorum criminationes expendere ac refutare.

Nimirum historicum tum ignorantiae, tum falsitatis accusant, quippequi hebraici sermonis, geographiae, temporum rationis haud satis peritus, indiligens praeterea et incuriosus, in documentis describendis plura saepe omiserit, contraxerit, depravaverit, perverterit, aut iisdem contradixerit, saepius dolose plurima praetermiserit, auxerit, commentus sit quo rem sacram atque civilem fucato splendore atque ementita admirabilitate exornaret, consodalibus Levitis, necnon Iudaeis, a quorum partibus stabat, assentaretur, exosos autem Israëlitas in summam invidiam adduceret. - Facto locorum delectu allatas criminationes ordine repellimus.

Ignorantia linguae. Satis temerarium et audax arbitramur, hominem antiquum hebraeo sermone iis temporibus scribentem, quibus hic vix aut non ita pridem vulgaris esse desierat, in maiorum autem monumentis versandis exercitatissimum, quae integra etiam tum aut plurima saltem exstabant, hebraicae linguae ignoratione a neotericis conveniri cum haec iamdiu obsolevit, et pauca admodum ex tot Hebraeorum scriptis (*a*) supersunt; nec minus aequitatis ac critices legibus adversum, interpretis fidem in obscuris aut perplexis dictionibus declarandis saepe probatam (*b*), propter dubia quaedam loca debilitare, quae ceterum nec dubia sunt, et potius criticorum temeritatem, quam auctoris inscitiam produnt. Sane apparens dictionum varietas quae in parallelis Samuelis, Regum et Paralipomenôn libris deprehenditur, partim ex fontium diversitate repetenda est, partim ex Chronographi consilio, cui magis cordi fuit sensum fideliter reddere, quam verbum de verbo exprimere; sic pro אֶשֶׁל tamarisco (*c*) posuit אֵלָה, quae vox speciatim quidem terebinthum, at generatim, quemadmodum et prior illa, maiorem quamvis arborem necnon arboretum, nemus, lucum significat (*d*); item loco עֲדָשִׁים lentium, scripsit שְׂעוֹרִים (*e*), quod vocabulum singillatim hordeum, at auctoris aetate quaelibet sata significabat: pariter generali aut figuratae locutioni propriam atque communem sufficiens מַלְכֵי הָעֶרֶב *reges auxiliorum* vocat מַלְכֵי עֲרָב *reges Arabiae* (*f*); neque enim alii quam auxiliares huius regionis principes Salomoni foederati intelli-

(*a*) Eccl. xii, 12.
(*b*) V. sup. pag. 377-78 not. (*a*).
(*c*) Cf. i. Reg. xxxi, 12 cum i. Par. x, 12.
(*d*) V. Gesenii Thesaur. ad utramque v.
(*e*) Cf. ii. Reg. xxxiii, 11 cum i. Par. xi, 13.
(*f*) Cf. iii. Reg. x, 15 cum ii. Par. ix, 14

gendi sunt (*a*); per synecdochen אֶת־מֶתֶג הָאַמָּה *frenum capitis* (metropolis) scilicet imperii habenas reddit אֶת־גַּת וּבְנֹתֶיהָ *Geth et filias eius*, urbem nempe et suburbana (*b*), quia David hisce in suam potestatem redactis Philisthacorum nervos recidit, eisque dominatus est; אָז תֶּחֱרָץ *tunc expeditus eris*, vertit אָז תֵּצֵא בַמִּלְחָמָה *tunc ad pugnam egredieris* (*c*), quod ad idem redit, est enim hîc חָרַץ (coll. arab. حرض coni. II[a] *instigavit*, *accendit ad pugnam*) proprie ad aciem properare; וַיָּסֹבּוּ עָלָיו non *circumdederunt eum* (quod est censoris Grambergii peccatum), sed *se converterunt ad eum* significat, perinde ac וַיָּסֻרוּ עָלָיו (*d*); Philisthaeis ingruentibus, David contra ipsos progressus ex arce Sion in castellum montanum, in vicinia vallis Rephaim (ubi hostes consederant) situm, descendit; noster hoc adiuncto brevitatis ergo praetermisso, tantum ad eos prodiisse tradit (*e*), quare וַיֵּרֶד אֶל־הַמְּצוּדָה *descendit in praesidium*, et וַיֵּצֵא לִפְנֵיהֶם *egressus est obviam eis* haud sibi adversantur; nec demum vim derivativi הַשַּׁל ignoravit qui eiusdem radice alibi usus est (*f*), sed opportuna paraphrasi Ozae crimen clarius expressit (*g*).

(*a*) Ierem. xxv, 24, ubi utraque vox de iisdem usurpatur; ceterum prioris illius vocabuli potestatem nostrum haud latuisse inde etiam argumentamur, quod in recentiori libro Iudith iuxta LXX versionem I, 16, II, 20 idem occurrat; graecus enim interpres vocabulo ἐπίμικτος, σύμμικτος hebraicum עֵרֶב vel הָעֵרֶב reddere solet, cf. Ex. XII, 38, Neh. XIII, 3; Ier. XXV, 20, 24, L, 37; Ezech. XXX, 5.

(*b*) Cf. II. Reg. VIII, 1 cum I. Par. XVIII, 1.

(*c*) Cf. II. Reg. V, 24 cum I. Par. XIV, 15.

(*d*) Cf. II. Par. XVIII, 31 cum III. Reg. XXII, 32.

(*e*) Cf. II. Reg. V, 17 cum I. Par. XIV, 8.

(*f*) II. Par. XXIX, 11.

(*g*) Cf. II. Reg. VI, 7 cum I. Par. XIII, 10. - Loca I. Par. XIII, 8 et XX, 5, tantum abest ut parallelis II. Reg. VI, 5 et XXI, 19 adverseutur, ut imo probabiliorem exhibeant lectionem, iuxta quam haec emendanda sint.

Geographiae imperitia. Instar omnium hoc unum eiusdem exemplum sit: nescius historicus הַסֶּלַע Petram Idumaeorum metropolim designare, hoc vocabulum de certa quadam petra interpretatus est (*a*). Falso: nam cum haec urbs ex parte in rupem esset incisa, altissimisque rupibus cincta (*b*), captivi ex harum ulla praecipites dati haud secus ex petra quam ex Petra (quae duplex vocis hebraicae significatio) deturbati sunt. - Confer praeterea quae de Tharsis et Ophir, deque Tyriorum et Hebraeorum illuc navigatione superius (*c*) disseruimus.

Anachronismi. Asa rex Iuda ad annum usque xxxv regni sui perpetuam pacem agitavisse dicitur, et proxime sequenti adversus Baasam regem Israël dimicasse (*d*); interim tamen et hic iamdiu occubuerat, quippequi tertio anno regni Asae rerum summa in Israële potitus, tantum quatuor super viginti annos regnavit; et Asa iam antea semel cum Æthiopibus, cum Israëlitis iugiter conflixerat (*e*): quare historicus non modo contra temporis rationem peccat, sed et sibimet adversatur. Pariter eidem peccato adiudicandae sunt commentitiae litterae ad Ioramum ab Elia vita defuncto conscriptae, vel caelitus missae, quibus impius rex malorum facinorum argutus imminentis poenae gravissimae admonitus sit (*f*). Verum, ut hinc exordiamur, litterae quidem Eliae ad Ioramum allatae, haudquaquam tamen tunc primum a propheta aut scriptae, aut missae feruntur (*g*); iam enim non repugnat qui Achabi domus

(*a*) Cf. iv. Reg. xiv, 7 cum ii. Par. xxv, 12.

(*b*) V. Plin. hist. nat. lib. vi. c. 32; Burckhardt, Reise in Syrien S. 703. f. 1068; Léon de Laborde, Voyage de l'Arabie Pétrée tab. 34-60.

(*c*) V. pag. 315-17 not. (*f*) (*g*).

(*d*) ii. Par. xv, 19, xvi, 1.

(*e*) Cf. iii. Reg. xv, 32-33 cum ii. Par. xiv, 9, xv, 8.

(*f*) ii. Par. xxi, 12, seq.

(*g*) Ceterum tempus quo Ioram rex creatus sit, quoque Elias in caelum raptus aeque incertum; et multorum, nec absurda opinio est

excidium, Iehu et Hazaëlem reges creandos multo ante praeviderat, et inungendos Eliseo mandaverat (*a*), eumdem ante suum excessum Iorami scelera et miserrima supplicia divinitus praesensisse, scriptoque consignata cuivis ex prophetarum discipulis tempore renuntianda commisisse. Quod ad Asam, hic post pacem decennalem praelium cum Zara, et ut videtur, cum Israële commisit (*b*), quibus devictis, re sacra atque civili egregie perinde composita, continuo iterum quievit ad xv regni sui annum, xxxv a regno inter Iudam et Israëlem discisso (*c*); exinde novae et perpetuae cum Israële contentiones exortae sunt (*d*): omnia igitur sibi constant, nisi quod historicus haud unam temporum rationem secutus modo hac, modo illa pro fontium quos religiose describebat, varietate usus est. Quid vero si amanuenses in numerorum notatione, ut alibi (*e*), et hîc etiam erravissent? Divina libri auctoritas nequaquam ideo periclitaretur.

Omissa et *contracta*. Sed enim illa aut claritatis causa praetermissa, ut nomina Helam (*f*), Seira (*g*), Ethanim (*h*), iamdiu obsoleta; vel per ellipsim subaudienda (*i*); aut ex

Eliam qui sub Ochozia (IV. Reg. I, 15, seq) vitam certo agitavit, eadem et sub Ioramo frui potuisse.

(*a*) Cf. III. Reg. XIX, 16-17 cum IV. Reg. VIII, 13, IX, 1.

(*b*) II. Par. XIV, 1, 5, 6, 9, XV, 8.

(*c*) Ib. XV, 10, XVI, 1.

(*d*) III. Reg. XV, 32.

(*e*) Sic ex. c. cum Iorami quadragenarii defuncti (II. Par. XXI, 20) successor filius Ochozias id aetatis et ipse habere nequiverit, librarios II. Par. XXII, 2 כ״ב cum מ״ב commutantes vicenarium quadragenarium fecisse probabiliter coniicimus.

(*f*) Cf. I. Par. XIX, 17 cum II. Reg. X, 17.

(*g*) Cf. II. Par. XXI, 9 cum IV. Reg. VIII, 21.

(*h*) Cf. II. Par. V, 3 cum III Reg. VIII, 2.

(*i*) חָרָשֵׁי קִיר *structores* I. Par. XIV, 1 pro חָרָשֵׁי אֶבֶן קִיר *lapidarii structores* II. Reg. V, 11. מָצָא *invenit* I. Par. XVII, 25 pro מָצָא אֶת־לִבּוֹ *invenit animum suum*, h. e. animum sumsit II. Reg. VII, 27.

praemissis colligenda (*a*); vel potius amanuensis quam scriptoris vitio adiudicanda (*b*); vel demum salva auctoris fide brevitatis ergo praetereunda (*c*); quippequi neutiquam sibi proposuerit singula superioris temporis facta et vel minima horum adiuncta integre accurateque describere; sed de hagiographorum more eorum delectum agere, neque tam facta ipsa quam (παραινετικὴν) monitoriam ac politico-religiosam eorumdem significationem exhibere: quare non minus opportune nonnulla aut omnino praeterit aut levius attingit, quam nova interdum producat, aliaque plenius perscribat (*d*), ita ut eius narratio modo copiosa, modo constricta lucem aliis hagiographorum historiis perinde afferat, ac inde mutuetur; proptereaque fieri nequit ut negligentiae et incuriae nomine ista insimuletur quin et eadem nota illis appingatur. Revera iis ipsis in locis quos brevitatis causa ipse perstrinxit, nonnulla saepe inseruit quae historiae integritati conducunt et in parallelis Regum locis desiderantur: sic Saulis cadaver, capite praeciso, muris Bethsan appensum, indeque a Iabesitis demissum silentio transit; at enim dissectam cervicem Dagonis templo affixam unus ipse memorat (*e*): nec aliunde discimus Iehu Ochoziam Samariae delitescentem perquisivisse atque ad se adductum enecasse: quod adiunctum descriptam in

(*a*) Cf. I. Par. XIV, 13 cum v. 9, necnon II. Reg. V, 22; I. Par. X, 7 cum v. 1, necnon I. Reg. XXXI, 7; vocabulum enim בָּעֵמֶק cum articulo finito vallem iam antea memoratam aut circumscriptam designat.

(*b*) Omissio נְצִיבִים *praesidii* I. Par. XVIII, 6 coll. cum II. Reg. VIII, 6.

(*c*) Cf. I. Par. XXI, 4 cum II. Reg. XXIV, 4-8; I. Par. XX, 1, 3 cum II. Reg. XII, 27-29, 31. — I. Par. II, 13-15 coll. cum I. Reg. XVI, 10, XVII, 12 unus ex Isai filiis omittitur, quia fortassis absque liberis denatus; hi siquidem in tabulas non referebantur: contra I. Par. III, 5 eorum plures Bethsabeae perperam non subiiciuntur, nam Prov. IV, 3 יָחִיד metonymice est *carissimus*, iuxta LXX ἀγαπώμενος.

(*d*) Cf. I. Par. XVIII, 3 cum II. Reg. VIII, 3; I. Par. XIX, 5 cum II. Reg. X, 5; II. Par. VI, 5-6 cum III. Reg. VIII, 16. V. sup pag. 9. not. (*b*).

(*e*) Cf. I. Par. X, 9-10 cum I. Reg. XXXI, 9-13.

Regum libris historiam et illustrat et perficit; hinc enim intelligimus Ochoziam, frustra Iehu militibus eum insequentibus, Samariam effugisse, ibique aut in eius vicinia latitasse, detectum ac profugientem, in ascensu Gaver telo percussum, ad Mageddo usque progressum tandem constitisse, apprehensum atque ad regem supervenientem deductum ibidem eius iussu fuisse interemtum (*a*).

Depravata, perversa. Insigne horum exemplum deprehendit de Wettius (*b*) in narratione templi per Iosiam restaurati. At enim haec expositio altera librorum Regum multo clarior et locupletior censoris temeritatem et Chronographi industriam ostendit (*c*): ipse nimirum scribae, cuius munus erat pecuniam cogere, civitatis praefectum et regis cancellarium socios adiungit, quippe instaurationis promovendae curatores; a quibus collata, et per quos collecta pecunia sit, tradit (*d*); operis demum praefectos ab operariis nominatim distinguit (*e*): falsum porro est, quod de Wettius opponit, eumdem scilicet antiqui operis persecutionem ut recens inceptum exhibere; nam et Ioasum id antea suscepisse et arculam in templo apponi curasse, cui oblaticia in hunc finem pecunia inferretur, noster etiam superius memoraverat (*f*); at hic neuter historicus ad id alludit; nam spatio ducentorum et amplius annorum, sacro thesauro

(*a*) Cf. II. Par. XXII, 9 cum IV. Reg. IX, 27. Haec utriusque loci compositio, nullo licet Interpretum suffragio communita, una nobis probabilis videtur, ipsaque locorum positione confirmata, quos scriptor probe perspectos habuisse novimus. Cf. I. Par. VII, 29, II. Par. XXXV, 22.

(*b*) Beytraege S. 67. ff.

(*c*) Cf. II. Par. XXXIV, 8-15 cum IV. Reg. XXII, 3-8.

(*d*) II. Par. XXXIV, 8-9.

(*e*) Ib. 10-11. Contra nisi IV. Reg. XXII, 5 eodem nomine עֹשֵׂי הַמְּלָאכָה primum praefectos, dein operarios, qui et חָרָשִׁים v. 6. dicuntur, intelligas, absurda erit locutio, nisi forte ad nostri lectionem textum emendaveris, et pro *dativo* לְעֹשֵׂי *rectum* עוֹשֵׂי posueris.

(*f*) Cf. II. Par. XXIV, 8, seq. cum IV. Reg. XII, 7, seq.

identidem direpto (*a*), illius templi reparationem, sub impiis praesertim Manasse et Ammone, saepius intermissam, idemque ex toto, vel magna ex parte, reficiendum fuisse admodum verisimile est, indeque etiam colligitur quod Ioas nonnisi anno octavo decimo regni sui id fuerit molitus. Falsum similiter, dum Heleias una cum Saphano arculam reseraret, quemdam legis librum scribae invisum inibi reperisse; neque enim quoddam (*b*) legis volumen in arca inventum, aut inde ab Heleia sublatum fuisse legimus, sed dum regis legati pecuniam educerent, ipsum legis Mosaicae corpus a Pontifice alicubi repertum, scribaeque traditum, regi deferendum. - Idem esto iudicium de ceteris quae subiiciuntur: nempe propterea quod narratio arcae Ierusalem transvectae ob trimestrem eiusdem apud Obededom mansionem intercepta sit (*c*), inique quis inde conficeret, quae interiiciuntur hoc praecise temporis intervallo contigisse, eodemque proinde Davidem arcae locum praeparasse, sibique domos exstruxisse; nullus siquidem hagiographorum hanc perpetuam temporis rationem religiose persequitur. - Pariter geminatam Salomonis equitatus descriptionem nec inopportunam, nec nostri tantummodo propriam (*d*); *omnem domum* Saulis non integram

(*a*) V. IV. Reg. XIV, 14, XVI, 8, XVIII, 15.

(*b*) Norunt hebraicae grammatices tirones articulum unum et alterum nomen, in *statu* quem vocant *constructo*, definire, licet secundo tantummodo praeponatur (Ewald, Hebr. Gram. § 304); male propterea de Wettius et Grambergius סֵפֶר הַתּוֹרָה (IV. Reg XXII, 8) vertunt ein Gesetzbuch *un libro, un esemplare di legge*, pro das Gesetzbuch *il libro della legge*; hic autem haud alius esse potuit ac סֵפֶר תּוֹרַת־יְהוָה בְּיַד־מֹשֶׁה *liber legis Domini per manum Moysi* (II. Par. XXXIV, 14); neque enim aliam unquam legem praeterquam a Mose datam agnoverunt Hebraei.

(*c*) Cf. I. Par. XIII, 14 - XV, 1 cum II. Reg. VI, 11-12.

(*d*) Cf. I. Par. I, 14, IX, 25 cum III. Reg. IV, 26, X, 26.

eius sobolem, sed quotquot ex eius domesticis (כָּל־בֵּיתוֹ = כָּל־אֲנָשָׁיו) pugnae interfuerant, designare (*a*); tandem praeposteram vocabuli לַהֲפֹךְ *ut revertantur* (Vulg. *investigent*), collocationem (*b*) librariis adiudicandam (*c*), aequo cuivis lectori apertissimum existimamus.

Pugnantia. En praecipua: Salomon acceptis Hirami legatis qui ad ipsum gratulatum venerant, suos ad eumdem remittit, cedros in templi exstructionem una postulaturos; annuit iste sub ea conditione ut commeatus sibi aulicisque suppeditetur, quem Salomon in singulos annos spondet se provisurum; idem, praeter operarios ex advenis colonis delectos, triginta millia Israëlitarum servis operis praestandis obnoxios facit (*d*); at noster nec hos, nec Tyrios legatos memorat, et Salomonem tum peritum artificem, tum ligna pinea (אַלְגּוּמִּים thyina) ex Libano deferenda postulantem inducit, cui petitioni per litteras Hiram assentit,

(*a*) Cf. I. Par. X, 6 cum I. Reg. XXXI, 6.

(*b*) Cf. I. Par. XIX, 3 cum II. Reg. X, 3.

(*c*) Caveas tamen ne existimes hisce librariorum mendis hunc prae ceteris V. F. libris inquinatiorem esse; maxima siquidem, locorum praesertim et personarum, nominum varietas ex multiplici eorumdem usu aut continua mutatione, potiusquam ex amanuensium incuria repetenda est; insuper nec omnis diversitas est contradictio, sic II. Par. V, 9 מִן־הָאָרוֹן i. e. ac III. Reg. VIII, 8 מִן־הַקֹּדֶשׁ; et illic singularis יְהִי ad arcam respiciens, non adversatur plurali יִהְיוּ qui hîc ad vectes refertur; qua pari ratione II. Par. IX, 18 מָאֳחָזִים de solii gradibus atque scabello usurpatum non repugnat III. Reg. X, 19 מֵאַחֲרָיו quod de eiusdem dorso intelligendum est. Quodsi nonnulla errata ut in aliis (ex. c. II. Reg. XXIII, 20 אִישׁ־חַי loco אִישׁ־חַיִל, III. Reg. XXII, 49 עָשָׂר pro עָשָׂה), ita in hoc quoque deprehenduntur, non paucae lectiones sunt quae parallelas sanitati restituant; cf. ex. c. I. Par. II, 17 cum II. Reg. XVII, 25; I. Par. XI, 6 cum II. Reg. V, 8; I. Par. XVII, 21 cum II. Reg. VII, 23.

(*d*) III. Reg. V, 1-2, 6-11, 13.

nec sibi suisque, sed operariis, aliaque specie atque mensura, victum reposcit (*a*); re confecta tantum abest ut Salomon viginti oppida Hiramo largitus sit, ut totidem ab eo urbes dono acceperit (*b*). Idem historicus Asam (*c*) et Iosaphat (*d*) excelsa lucosque succidisse modo affirmat, modo negat; asserit Ioram diro morbo confectum seorsum a patribus tumulatum, Ioachim catenis vinctum Babylonem adductum, quos novimus placida morte defunctos Ierusalem in maiorum sepulcro conditos fuisse (*e*); narrat Hazaëlis copias Ierusalem occupasse, unde muneribus a Ioaso prohibitas fuisse constat (*f*); Zechri Maasiam in praelio occidisse cui iste puerulus interesse nequivit (*g*); Theglathphalasar Achazum quin iuvaret, diripuisse, cui e diverso suppetias contra regem Israël tulisse exploratum est (*h*); Ezechiam a Sennacherib bello petitum Solymam munitionibus firmasse atque exercitum instruxisse, quem contra ab hoste vix adventante pacem donis datis novimus exquisivisse (*i*); Iosiam nunc XII, nunc XVIII regni sui anno sacra emendavisse (*k*), et solemnitate inde a Samuelis temporibus inaudita Paschalia festa celebrasse, immemor hoc postremum de Ezechia praedixisse (*l*). - Paucis haec dissolvuntur. Quae omittuntur non ideo negantur; porro Hirami gratulatoriam legationem antiqua eiusdem cum Salomonis parente necessitudo valde

(*a*) II. Par. II, 2, seq.
(*b*) Cf. II. Par. VIII, 2 cum III. Reg. IX, 10-13.
(*c*) II. Par. XIV, 2, seq., XVII, 6.
(*d*) II. Par. XV, 17 (coll. cum III. Reg. XV, 14) XX, 33.
(*e*) Cf. II. Par. XXI, 18-19, XXVI, 6 cum IV. Reg. VIII, 24, XXIV, 1-5.
(*f*) Cf. II. Par. XXIV, 23 cum IV. Reg. XII, 17.
(*g*) II. Par. XXVIII, 8.
(*h*) Ib. 20-21 coll. cum IV. Reg. XVI, 7-9.
(*i*) Cf. II. Par. XXXII, 2, seq. cum IV. Reg. XVIII, 14-15.
(*k*) Cf. II. Par. XXXIV, 3-7 cum 33 et IV. Reg. XXIII, 4, seq.
(*l*) Cf. II. Par. XXXV, 8 cum XXX, 26.

probabilem facit, nec minus verisimilis litterarum missio per nuntios (*a*), aut minus certa Tyrii artificis opera (*b*); minusque explorata thyinorum lignorum comparatio (*c*); neque propterea quod auctor haec una cum cedrinis et arceuthinis in Libano provenientibus memorat, omnia pariter uti ibidem progenita habuisse existimandum est; nec enim omnium origo distinguenda erat, nec thyinorum eidem ignota fuit (*d*), sed ex Ophir Tyrum avecta inde per Libanum ad Salomonem deferenda fuissent, nisi ipse, classe cum Tyriis in Erythraeo adornata, illinc ea sibi comparasset. Similiter servas operas, et duriores quidem, CLV (*e*) advenis impositas fuisse uterque tradit (*f*); qui vero Israëlitarum insuper triginta millia ad leviora opera alternatim praestanda conquisita fuisse transit, hoc non infitiatur. -- Urbes ab Hiram Salomoni traditae eaedem ne ac illae quas hic alteri dudum obtulerat? Cum aliae, alioque tempore traditae esse potuerunt, tum demus easdem fuisse quas Salomon in sua ditione positas, verumtamen ab aliis quam Hebraeis inhabitatas, Hiramo concesserat, ab isto contemptas, mox dimissas tum instaurasset (*g*), tum He-

(*a*) V. II. Reg. XI, 14.

(*b*) III. Reg. VII, 13, seq.

(*c*) Cf. II. Par. IX, 10 cum III. Reg. X, 11.

(*d*) Ib.

(*e*) Frustra Grambergius (op. cit. pag. 214) ex hac summa mulieres, pueros ac senes subducendos putat, qui in eadem haud fuerant comprehensi. Quod III. Reg. V, 16 3300 operarum praefecti enumerentur, II. Par. II, 2, 17 3600; item III. Reg. IX, 23 alii 550; II. Par. VIII, 10 nonnisi 250; ratio est quia prioribus illis 3300, inferioris ordinis atque ex advenis delectis, alii 300 ex 550 superioris ordinis adnumerandi sunt, qui et advenae ipsi a reliquis 250 merito distinguuntur; erit itaque 3300 + 300 = 3600; similiter 550 — 300 = 250: et utrinque supputando 3600 + 250 = 3850.

(*f*) Cf. II. Par. II, 17-18 cum III. Reg. V, 15-16.

(*g*) Haec vis vocis בָּנָה Ios. VI, 26; III. Reg. XVI, 34; IV. Reg. XIV, 22, Ps. CXLVI, 2; Amos IX, 14. Non igitur eversas iterum aedificavit, sed nutantes refecit.

bracos in easdem deduxisset (*a*). - Quid, si Asa et Iosaphat excelsa diruenda curaverint, populus interea reluctatus sit? etiam optimi principes non statim omnia quae improbant, corrigere possunt, et quibusdam flagitiis impares sunt; ceterum Asa et Iosaphat lucos succiderunt in idolorum honorem excultos, iis intactis qui vero Deo fuerant consecrati, quod nefas quidem, at nullatenus idololatriae comparabile. Ioram et Ioakim *cum patribus dormiisse* merito dicuntur, quandoquidem haec loquendi formula de iis etiam usurpatur, qui non sua morte moriuntur (*b*); nec vero in decessorum tumulo, sed in eadem cum illis urbe Ioram conditum legimus (*c*). Ioakim catenis quidem vinctus est quasi Babylonem cum ulla templi gaza (*d*) deducendus (לְהֹלִיכוֹ בָּבֶלָה), verum posteaquam altiores eius spiritus per hanc contumeliam Nabuchodonosor compresserat, eumdem ad regis tributarii conditionem redactum vel illico liberavit, et Hierosolymis non abduxit (*e*), vel illuc post breve temporis intervallum ex Babylone dimisit; cum vero hic paullo post rebellaret, ille aliis negotiis distentus nonnullas interim Chaldaeorum et Syrorum turmas Moabitis et Ammonitis foederatas contra eumdem immisit (*f*); a quibus Ioakim in praelio peremtum atque insepultum derelictum, plures existimant; nobis verisimilius videtur, Ierusalem post tres menses iterum a Nabuchodonosore occupata (*g*), illius cadaver in rebellionis poenam e sepulcro erutum, extra muros ferarum pabulo proiectum, Ieremiae oraculi veritatem (*h*) ad unguem confirmasse. -

(*a*) De harum urbium situ legendus Ritter, Erdkunde B. II. S. 384.
(*b*) Cf. III. Reg. XXII, 34 cum 40; IV. Reg. XIV, 18 cum 22.
(*c*) II. Par. XXI, 18-19, XXIV, 25, cf. XXVIII, 27.
(*d*) II. Par. XXXVI, 6-7 coll. cum Dan. I, 2; IV. Reg. XXIV, 1.
(*e*) Quae fuit Ieremiae conditio Ierem. XXXIX, 18 - XL, 1.
(*f*) II. Reg. XXIV, 1-2.
(*g*) Cf. II. Par. XXXI, 9-10 cum IV. Reg. XXIV, 10-17.
(*h*) Ierem. XXII, 18-19, XXXVI, 30 (Cf. Ios. Flav. Antiq. lib. X. c. VI, §3).

Negamus in praelio Maasiam occubuisse, quem Zechri unus ex regis Israëlis eopiarum dueibus, huius mandato uspiam deprehensum interfeeit. - Achaz a Syris et Israëlitis divexatus, Assyriorum opem quaesivit, at frustra: nam isti, ut solent externi liberatores, a praesenti quidem exitio illum liberarunt, at proximum intenderunt; eo enim eonsilio hostes profligarunt, ut primum horum spoliis ditarentur, ea deinceps direpturi a quibus istos prohibuerant; nee idcirco nisi donis cumulati a Iudae regno diutius depopulando abstinuerunt. - Sennaeheribo Iudaeam invadente, Ezechias, inito cum optimatibus consilio, munitionibus et bellieo apparatu hostem Hierosolymis repellere aggreditur; at eum victor exercitus, plerisque Iudaeae urbibus eaptis, proximam iam Lachis obsideret, defensionem desperans legatos ad Assyriorum regem mittit pacem impetraturos; hac non obtenta, tarde, nec sero tamen, ad Dei clementiam eonfugit et prodigialiter liberatur. Vides quam apte altera narratio alteram perfieiat, quin utra alteri eontradicat! - Iosiam ante XVIII regni sui annum, needum reperto pretiosiore legis volumine, cultus restaurationem suscepisse, nisi certo (*a*) constaret, e re ipsa argumentaremur; neque enim longum ac perdiffieile opus superstitionem funditus delendi, depravata emendandi, mores non Iudaeorum tantum sed et Israëlitarum eorrigendi, uno eodemque anno inehoari et perfiei potuisset; quare credibile est, qui vel a puero pietate in Deum exeelluit, utque integer vitae laudatur (*b*),

- Similiter Iechoniae orbitas (Ier. XXII, 30) ex IV. Reg. XXIV, 15 praesumitur, et I. Par. III, 17-18 haud impugnatur; nec enim eius naturales sed leviri filii hîc describuntur; ib. אַסִּר *capticus* non filii nomen sed adiectivum est patris; nec demum אָחִין (I. Par. XXXVI, 10), latiori sensu, דֹּדוֹ (IV. Reg. XXIV, 17 coll. cum II. Par. III, 15-16) repugnat; sicut nec Ochoziae אַחֵי agnati (IV. Reg. X, 13) cum eius germanis (II. Par. XXII, 1) confundendi. Cf. pag. 199.

(*a*) Cf. II. Par. XXXIV, 2-8 cum III. Reg. XXII, 2-8, unde apparet templi ac religionis restitutionem antea inceptam quam liber ille repериretur.

(*b*) II. Par. XXXIV, 2, IV. Reg. XXII, 2.

cum primum sui iuris atque arbitrii esse coepit, religionis morumque restitutioni studuisse, qua sat pulcre procedente, perlecto reperto Mosis autographo (*a*), maiori adhuc nisu una simul cum populo operi perficiundo intendisse, nec unquam dein ab eodem persequendo cessasse. - Paschali solemnitati Ezechiae temporibus celebratae nulla alia post Salomonis aetatem comparabilis fuit, sive eiusdem diuturnitatem spectaveris, sive coëuntium universitatem; tunc enim primum, post regnum discissum, Iudaei et Israëlitae una simul ad eamdem convenerunt; hac tamen illa quae sub Iosia acta est cum in aliis dissimilis, tum praecipue perfecta legis observantia (*b*) longe praestantior fuit. Ceterum haec per hyperbolem dicta sunt (*c*), nec adeo praecise atque absolute propterea intelligenda.

Mirabilium inventio aut exquisitio. Verum cum eo quod antiqua Hebraeorum historia absque prodigiis nedum credibilior absurda fit, omnia autem sincero philosopho aeque stupenda, iamque explorata scriptoris auctoritate perinde certissima sunt; hic multa praeterit iis quae narrat specie mirabiliora (*d*), quaeque adiicit vel explicat tum Deo digna et rerum adiunctis congrua, tum plerumque potius rem declarant quam eius augeant admirabilitatem. Sane clarius apparet quomodo Angelus arcae Areunae proximus, manu super Ierusalem protensa, stragis auctor Davidi visus sit, si caelo medius sublimis eminens gladium evaginatum, exitii signum, in urbem intenderit (*e*); nec dubitari

(*a*) Legis autographum repertum, haud vero legem ipsam suppositam fuisse evidens est; alioquin nec tot tantaque convenienter antea emendari, nec illico Paschalis solemnitas ad legis obrussam ab universa populi multitudine celebrari potuisset; falso igitur Grambergius aliique legis Mosaicae corpus tunc primum subiectum autumant.

(*b*) Cf. II. Par. XXX, 13, 18, 22-23, 24 cum XXXV, 1, 17, 18, 7-9.

(*c*) Cf. IV. Reg. XXXIII, 25 cum XVIII, 5 coll. cum praec. v. 3.

(*d*) Cf. ex. c. IV. Reg. XX, 1-11 cum II. Par. XXXII, 24. V. pag. 365.

(*e*) Cf. II. Reg. XXIV, 16 cum I. Par. XXI, 16.

poterit quin alter, qui centum octoginta millia Assyriorum percussit, praeter strenuos quosque milites, et tribunos et duces interemerit (*a*); similiter quod Syriae regis armigeri Iosaphatum prementibus, propterea quod Israëlis regem crederent, eius autem voce exaudita aetutum deflexerint, id divina providentia exitum moderante evenisse pius quilibet persuasum habebit (*b*); sicut et vanissimum Davidis consilium (*c*) ab antiquo superbiae magistro repetendum esse non infitiabitur. Porro sacrilega Oziae temeritas cum eiusdem fastu atque iactantia, haec cum prospera eiusdem fortuna consentit (*d*); poena culpae proportionata (*e*); uberior itaque nostri expositio breviorem alteram librorum Regum illustrat, nec eidem adversatur; pariter templi descriptio manu Domini exarata, ignis caelestis holocausta, occasione templi dedicationis, absumens (*f*) cum tabernaculi constructione et consecratione apprime conveniunt, eique respondent (*g*). Tandem Asa non ideo arguitur, quod medicorum opera ad valetudinem recuperandam usus sit (*h*), sed quod Dei immemor vixerit, nec unquam inter varia vitae discrimina, et ne gravissimo quidem morbo tentatus resipuerit, eius clementiam et virtutem veneraturus, a quo *omnis medela est*, qui *medicum et medicamenta creavit* (*i*), qui *percutit et sanat, occidit et vivere facit* (*k*).

(*a*) Cf. IV. Reg. XIX, 35 cum II. Par. XXXII, 21.

(*b*) Cf. III. Reg. XXII, 32-33 cum II. Par. XVIII, 31.

(*c*) I. Par. XXI, 1. Cf. pag. 364. not. (*f*).

(*d*) Cf. II. Par. XXVI, 6-21 cum IV. Reg. XV, 5.

(*e*) Num. XII, 10.

(*f*) I. Par. XXVIII, 11, 19; II. Par. VII, 1.

(*g*) Exod. XXV, 9, 40, XXVI, 30; Lev. IX, 24. Cf. praeterea, analogiae causa, Iud. VI, 21; III. Reg. XVIII, 38; I. Par. XXI, 26.

(*h*) II. Par. XVI, 12.

(*i*) Eccli. XXXVIII, 1-15.

(*k*) Deuter. XXXII, 39.

Numerorum immanitas. Hos nempe ad Iudaeorum res potissimum amplificandas identidem exaggerasse historicus incusatur; at quos praeter modum adauctos adversarii ponunt, tales plerique non sunt (*a*); imo iis saepe minores qui in parallelis librorum Regum locis inveniuntur (*b*); qui vero iusto maiores videntur, cum iis grandiores sint, qui ab auctore in celebriorum regum copiis enumerandis adhibentur (*c*), manifestum est haud consulto auctos fuisse; cumque scriptoris diligentia ceterum testatissima sit, nil iam reliquum est nisi ut pro veris habeantur (*d*), aut eorum magnitudo amanuensium vitio attribuatur; eo vel maxime quod frequentem et lubricam errandi occasionem praebuerit litterarum (*e*), et fortassis numeralium etiam notarum (*cifre*) pro numeris usus (*f*), unde fieri potuit ut similibus litteris, notisve permutatis, geminatis, omissis, aut perperam intellectis (*g*), ulla interdum numerorum falsitas exsisteret.

(*a*) Sane cum Xerxes quinquagies centena hominum millia in aciem produxerit (V. Herod. l. VII, § 186), potuit Sesac sexaginta equitum millia, et mille ducentos currus, Zara decies centena peditum millia, uterque ingentem Æthiopum, Troglodytarum, Lybium multitudinem cogere, Asa autem exercitum quingentûm octoginta hominum millium ex Iudaeis, Beniamitis necnon Israëlitis profugis congregare (II. Par. XII, 3, XIV, 9 coll. cum XVI, 8; XIV, 8). Cf. Baehr, ad Herod. tom. III. p. 731, Heeren, Ideen I, 1. S. 501, 515. V. sup. pag. 255-256.

(*b*) Cf. I. Par. XI, 11 cum II. Reg. XXIII, 8; I. Par. XXI, 12 cum II. Reg. XXIV, 13; I. Par. XXI, 5 cum II. Reg. XXIV, 9; II. Par. IX, 25 cum III. Reg. V, 6.

(*c*) Cf. II. Par. XIII, 3, 17, XVII, 14-18 cum I. Par. XXVII, 1-15.

(*d*) Hanc sane ingentem militum et occisorum multitudinem nec incredibilem, nec inauditam existimandam esse, productis similibus profanae antiquitatis testimoniis, ostenderunt Calmet et Dereser, Comment. in h. l. Cf. sup. pag. 255-56.

(*e*) V. De Rossi, Var. Lect. vol. IV. diss. praelim. p. 14; Eckhel, de doctrina num. vet. tom. III. p. 468.

(*f*) Ut Phoenicibus et Arabibus usuvenit. V. Gesenius, Monum. Phoenic. p. 85-89.

(*g*) Ex. e. א 1 cum א̈ 1000, נ 50 cum נ̈ 50000, ד 4 cum ר 200, ה 5 cum ח 400 facile commutantur. Plura de hisce erratis videsis apud Movers op. cit. p. 60-63.

Partium studium, conniventia, superstitio. Hae criminationes a scriptoris conditione, consilio, ingenuitate repelluntur; hunc enim quippe Levitam, et antiquum religionis splendorem, quoad eius fieri posset, restaurandi sollicitum, quaecumque rem sacram propius attingerent, maiori prae ceteris studio enarrare tum iuvabat, tum etiam decebat; quare in muneribus proprio nomine distinguendis accuratissimus, nunquam nomen נָבִיא aut כֹּהֵן (*a*) nisi de proprie dicto propheta aut sacerdote usurpat: in locis rebusque sacris definiendis diligentissimus, postquam Davidem, prophetae divinitus per Angelum admoniti mandatu, in edito loco dixerat immolavisse, quem Angeli apparitio, et ignis caelitus delapsus consecraverant, subdit tabernaculum (ab arca, quae Ierusalem erat, secretum) tum in *excelso* Gabaon fuisse; ibi Sadoc sacerdotem a Davide praestitutum; Salomonem sacra obtulisse, ac superna visione fuisse dignatum; proindeque collem illum *excelsi maximi* nomine donat (*b*): locum ubi dein Salomon in templo Deum solemniter est deprecatus, minutius describit (*c*). Haec autem accuratior rerum sacrarum descriptio scriptoris conditioni accommodatissima, simul etiam illorum temeritatem ostendit, qui hanc falsitatis accusant; quae enim utpote antiqua

(*a*) V. pag. 95, 281. Nam et Arabis كَاهِن non modo sacerdos, sed ingeniosus quilibet audiit (V. Abulfeda, hist. Anteisl. p. 136, 10 ed. Fleischer), et superioribus temporibus *cherico*, *clerc* generatim litteratum atque eruditum virum nostratibus et Gallis significabat.

(*b*) I. Par. XXI, 18, 19 (coll. cum II. Reg. XXIV, 19), 29; XVI, 39; II. Par. I, 3-7; הַבָּמָה הַגְּדוֹלָה potius iustam loci celebritatem quam altitudinem designat; hîc porro sacra fieri fas fuisse, ceteris missis, ex divina approbatione confirmatur ib. v. 7 coll. cum III. Reg. 4-5; quid vero si et alibi praeter legem Salomon fortassis una cum populo immolavisset (III. Reg. III, 2-3)? Id quidem damnabile, sed iis in rerum adiunctis quadantenus ignoscibile foret (V. pag. 281).

(*c*) II. Par. VI, 13 coll. cum III. Reg. VIII, 22.

diuque intermissa (minus propterea aequalibus pervulgata, hisce tamen perinde ac sibi acceptissima) prolixius persequitur (*a*), alia ab iis non sunt, aut iisdem saltem non adversantur, quae superioris aetatis historicus vel quia notissima praeteriit, vel quod ab re essent, obiter attigit: quas nempe solemnitates hic generatim nominaverat, speciatim noster distinguit (*b*); ille tabernaculorum festo septem dies assignaverat, octo ipse attribuit (*c*), sabbato quod solemnitatem claudebat computato, vel singularis festivitatis instar habito. Pariter in arcae translatione enarranda, auctor II Samuelis egregium regis exemplar posteris exhibiturus, Davidis hac in re partes potius persequitur quam pompam ipsam, aequalibus nec omnino insuetam nec inauditam; Chronographus contra et huic describendae cumprimis immoratur, et Levitarum partes illustrat (*d*), quin tamen illos, ingenuus quippe, solemnitatis auctores aut consiliarios faciat (*e*), aut alterius narrationi quoquomodo contradicat; quod enim Levitae et Sacerdotes una cum reliquis ex Israël primum convocati, sacrificiis musicisque concentibus operam dantes, arcam plaustro vehendam aliis permiserint, postque imprudentis Ozae interitum, domum Obededom delatam inde humeris gestandam abduxerint, cum altero Samuelis libro consentit (*f*); hostiae porro eucharisticae a Levitis transacta pompa mactatae a convivalibus distinguendae, quae Davidis iussu, statis intervallis, pompa interim procedente, a destinatis Sacerdotibus immolabantur (*g*). Similiter Ioabum impium Davidis mandatum po-

(*a*) I. Par. XV, II. Par. V, 11, seq., VII, 4, seq., XXIX-XXX, XXXV.

(*b*) Cf. II. Par. VIII, 12-13 cum III. Reg. IX, 25 coll. cum Ex. XXIII, 17, Deuter. XVI, 16-17.

(*c*) Cf. III. Reg. VIII, 65-66 cum II. Par. VII, 8-10.

(*d*) Cf. II. Reg. VI, 5, 8-9, 12-22 cum I. Par. XIII-XV.

(*e*) I. Par. XIII, 1-2.

(*f*) Cf. I. Par. XIII, 2-7, 9-14, XV, 1-3 cum II. Reg. VI, 2-3, 6-11, 12.

(*g*) Cf. I. Par. XV, 26 cum II. Reg. VI, 13.

pulum universum militiae causa, propterea que non Sacerdotum, sed tribunorum opera describendi, ceu peccatum genti exitiale frustra primo reprobantem, dein segniter adeo exsequentem inducit, ut non modo tribus Levi militia secundum leges (*a*) immunis, sed et Beniamin postrema, quippe minima aut metropoli proximior, adhuc esset recensenda, cum iam universum Israëlem pestis incesserat; quo fato Davidem sero licet commotum et poenitentem census persecutioni, nondum exauditis prophetae comminationibus, illico supersedisse tradit: iamvero uberior haec Chronographi expositio breviorem alteram (*b*) perficit, non impugnat; cum enim descriptionis non Levitae tantum, sed etiam Beniamitae (*c*), neutri vero pestis immunes fuisse dicantur; cumque haud improbabile sit impium ceteroquin ducem (mitto istos plerumque superstitiosiores esse) regem pientissimum a fatali proposito potius pietatis quam civilis prudentiae nomine deterrere voluisse; nulla falsitatis suspicio, nullum remanet indicium. Item, aliis in sacrum ministerium a Ieroboamo assumtis, Levitas in Iudaeam exulasse (ubi revera imposterum unice deprehenduntur) apposite noster memorat, nec minus apte alter praeterierat (*d*). Ita etiam Ioasi in regem Iudae inauguratio diverse, neque tamen contrarie a duobus historicis enarratur; quod enim unus praetermittit, supplet alter: ille prodigiosam regiae stirpis conservationem Ioiadae in primis, centurionibus atque militibus attribuit; hic tum Ioiadae cognationem, tum praeclara illius in rem publicam merita disserens, et Levitarum meminit, quos utpote destinatos templi custodes, Pontifici insuper intimos ac familiares

(*a*) Num. I, 49.

(*b*) Cf. I. Par. XXI, 1-8; XXVII, 24 cum II. Reg. XXIV, 1-4, 8-10.

(*c*) Revera nulli descriptores in tribu Beniamin consedisse dicuntur II. Reg. XXIV, 5-8.

(*d*) Cf. II. Par. XI, 13, seq. cum III. Reg. XII, 31, XIII, 33.

a templo haud secus atque a consilio abfuisse haud verisimile est: eo ipso autem quod centurionum nomina et Levitas congregandi munus iisdem demandatum persequitur, sincerum se perinde atque accuratum historicum deprehendit; hoc uno discrimine ab altero distans quod ipse, Levitis a militibus distinctis, illis in templo, ceteris in eiusdem ambitu collocatis, quae interius gesta sunt eumprimis exposuit, alter e contrario rem potius generaliter atque exterius inspectam significavit (*a*). - Nimio autem Levitarum studio horum peccata attenuasse, aut mitius quam par est eosdem habuisse, falsissimum arbitramur, quandoquidem eorum in sartis tectis exigendis negligentiam aperte reprehendit (*b*): peculatores non facit; at nullibi hac de re arguuntur, aut cuipiam suspicionem moverunt; alioquin nec alacri animo in regis cautione acquievissent, nec iste pecuniam ianitoribus adhuc deferendam, arcae confectionem Pontifici curandam, eiusque inspectionem, praeter quam scribae, et ipsi etiam permisisset (*c*): quae quidem omnia ingenuus noster et simplicissimus nedum verbis exornet, quin contra et silet omnino, et populi laetitiam huic providentiae plaudentis unice commemorat (*d*). Id autem consilii non invidiose sed prudenter a rege initum est, ut pecunia templi cultusque usibus generatim impendenda (*e*), nunc sartis tectis curandis speciatim assignata, populi liberalitas magis ac magis excitaretur, quod re ipsa evenit (*f*); quare templo restau-

(*a*) Cf. IV. Reg. XI cum II. Par. XXII, 11, XXIV, 2, 15, XXIII, 1-20.

(*b*) II. Par. XXIV, 5-6.

(*c*) IV. Reg. XII, 8 (Vulgatus habet *prohibiti sunt*; contrario hebraice ib. 9 וַיֵּאֹתוּ *et consenserunt*) 9-10.

(*d*) II. Par. XXIV, 10.

(*e*) IV. Reg. XII, 4-5 coll. cum Ex. XXX, 12-16.

(*f*) II. Par. XXIV, 10. Haud itaque mirum si antea, pio populi studio temporum iniquitate remisso, oblationes, decimae, primitiae vix Levitarum necessitatibus subvenirent.

rato superflua pecunia in vasibus conflandis insumta est, quod antea ne fieret expressa lege prohibitum fuerat (*a*). Haud absimili ratione, qui praesertim ad auctoris scopum atque ad mutata temporum adiuncta animum attenderit, commode et hac altera nota ipsum purgabit, quasi nempe Iudaeorum regum crimina dissimulaverit, aut excusatione defenderit; etenim cum aequalibus virtutum potiusquam vitiorum exempla proponere, eosque magis illius amore quam horum odio incendere curaret (quos noverat, longo malorum experimento, idolorum praesertim vanitatem satis dedoctos fuisse); hinc quae peccata antiquior historicus, quo efficacius inde coaevos absterreret, graphice descripserat, ipse vel reliqua facit, vel obiter delibat; ea potissimum seligens quae presso pede iustissima poena subsecuta est (*b*): hanc porro cum Grambergio commentitiam habere impium perinde atque absurdum; etenim firma istaec persuasio pios ac impios sua hîc etiam praemia vel damna manere, hagiographorum ac piorum omnium propria, nisi vera, nunquam tamdiu obtinere potuisset, illaque seposita, tota V. F. oeconomia et historia concidat necesse est. Quare si Davidis turpe et crudele facinus, Ammonis incestum, Salomonis *polygamiam*, eiusque necnon Roboami, Abiac, Achazi *idololatriam*, varias atque peregrinas superstitiones ab Ezechia et Iosia abolitas (*c*), noster compendiose tangit aut praeterit, id brevitatis, opportunitatis, aliave de causa; verum nec dissimulatione, nec conniventia fecisse certo inde conficimus, quod Ro-

(*a*) Cf. IV. Reg. XII, 13 cum II. Par. XXIV, 14.

(*b*) II. Par. XII, 1-6; XXI, 6-10; XXIV, 17-18, 23-25; XXV, 14, seq.; XXVIII, XXXIII, 9-11.

(*c*) II. Reg. XI, XIII; III. Reg. XI, 1-8; II. Par. XII, 1 coll. cum III. Reg. XIV, 22-24; II. Par. XIII, 2-3 coll. cum III. Reg. XV, 3; II. Par. XXVIII, 23-25 coll. cum IV. Reg. XVI, 10-18; II. Par. XXXI, 1 coll. cum IV. Reg. XVIII, 4; II. Par. XXXIV, 33 coll. cum IV. Reg. XXIII, 4-24.

boamum et Achazum impietatis generatim damnat, utriusque crimina uti notissima ponit, imo et oblique significat (*a*), Ioasum, Amasiam et Oziam (Azariam) levioribus non accusat, quo gravioribus arguat (*b*), atque hîc commode praetermissa in pientioribus notat (*c*); nec porro quemquam intererat singula maiorum crimina aut obsoletos antiquae superstitionis ritus minutim atque articulatim nosse (*d*): profecto Abiae apostasiam ab auctore librorum Regum commemoratam aeque convenienter ipse siluit, ac Manassis resipiscentiam ab altero praeteritam laudavit; cum enim ipse historiae integritatem non affectaret, et piorum potius exemplo quam scelestorum exitio Hebraeos erudire studeret, sicuti nulla erat necessitas ut laeto Abiae principatus exordio opportune commemorato, tristem eiusdem exitum subiiceret, ita Manassis poenitentiam commode transire nequivisset: alter, e contrario, cum totus in eo esset, ut ostenderet irreparabile malum quod pessima impiorum Regum, et Manassis praesertim exempla reipublicae creaverant (*e*); ut apte singulorum criminum, ita minus opportune huius poenitentiae meminisset, quae subditos ab idolorum cultu paulisper, nec omnino cohibuit; nam et Ammon antiqua parentis vestigia pressit (*f*), et primus

(*a*) II. Par. XII, 1, 14; XIV, 2 (quae enim fana atque altaria Asa subvertit, potius ab avo quam a parente excitata fuisse videntur) XXVIII, 23-24.

(*b*) Cf. IV. Reg. XII, 3; XIV, 4; XV, 4 cum II. Par. XXIV, 17-22; XXV, 14-19; XXVI, 16-17. - IV. Reg. XV, 35 etiam Ioatham eo quod *excelsa non abstulerit*, reprehenditur, neque hac negligentiae nota II. Par. XXVII, 2 liberatur, ubi a parentis quidem sacrilegio alienus, populi tamen superstitionem haud prohibuisse dicitur. Cf. pag. 375 not. (*d*), 383.

(*c*) II. Par. XV, 17; XX, 33.

(*d*) Cf. ceterum II. Par. XXVIII, 23-24, XXIX, 18, XXX, 34; XXXI, 1, XXXIV, 3-7, 33.

(*e*) IV. Reg. XXI, 12-17, XXIV, 3.

(*f*) Ib. XXI, 20-21.

Iosias lucos, idola, altaria a Salomone, Ieroboamo, Manasse excitata succidit, contrivit, penitusque abolevit (*a*). — Tantum demum abfuit ut in Israëlitas invidiam quaereret, ut pleraque eorum regum impia facinora silentio transierit, et unam laudabilem actionem, quam a longo tempore Samariae legimus factam, ingenue praedicaverit (*b*). Israëlis institutum generatim damnat, foedera reprehendit quae interdum Iudae reges cum Israëlitis icerunt (*c*); at haec vel prophetarum oracula sunt, vel effata aliorum etiam hagiographorum propria (*d*). Itaque non intelligimus, quare de Wettius (*e*) orationem qua Abias Israëlem a praelio contra Iudam ineundo dehortatus est, vel commentitiam, vel invidiose ac superstitiose exornatam iudicaverit: quasi nempe, Iudaeis et Israëlitis perinde idololatriae deditis, nec tantum Mosaicae legis momentum esse potuerit, quantum ex Abiae sermone fuisse conficitur; nec schisma iustissime inductum, a prophetis probatum, Deo exosum videri. Sed enim Iudaei sub ipso Roboamo ad bonam frugem reversi (*f*), ad Abiae principatus exordium, initumque contra Israëlem certamen perseverasse videntur; fac tamen inde iam tum descivisse, non ideo Iehovae clientelam repudiarunt, sed, de more, externum eius cultum cum superstitionis flagitiis miscuerunt (*g*); siquidem voluntatis magis perversitate, quam mentis errore peccantes idolorum vanitatem, nec ipsi, nec Israëlitae omnino ignorabant: quodcumque igitur

(*a*) IV. Reg. XXIII, 5-15.
(*b*) II. Par. XXVIII, 8-16.
(*c*) Ib. XVII, 4, XIX, 2, XX, 35, XXV, 7.
(*d*) Cf. II. Par. XVII, 4 cum IV. Reg. VIII, 18, XVI, 3, XVII, 19, alibi, apud prophetas praesertim.
(*e*) Beytraege S. 128.
(*f*) II. Par. XII, 6-7, 12.
(*g*) Sic Pharisaei affectatam caerimoniarum observantiam, et Christianorum nimium multi quavis aetate orthodoxam fidem (*mortuam* sane) cum morum corruptela coniunxerunt.

fuerit Abiae consilium (*a*), aut orationis pondus sit (hagiographus enim merum hîc historicum agit), haec Hebraeorum persuasioni, quodque notandum, politicis regni conditionibus congruebat. Revera cum, propter singularem *theocratiae* rationem, res sacra atque civilis nexu individuo cohaereret, rexque et populus uterque a Deo electus hac conditione ille Palaestinae possessionem, hic hereditarium imperium accepisset, ut supremo terrarum et regum Domino obtemperaret, beneficio secus multandus (*b*), Iudae potior videri poterat conditio qui legi per Mosem datae adhuc aliquatenus parebat, quam Israëlis qui illam penitus abiecerat; eo vel maxime quod huius secessionem hac expressa conditione ratam habuerat Deus, ut a politicis tantum, non vero a sacris deficeret (*c*): ratam, inquam, habuerat, ut domesticum et intestinum bellum exstingueret, atque ex malo bonum eliceret (*d*), neque tamen uti gratam iustamque probaverat; quandoquidem aequae conditiones ab Israëlitis Roboamo propositae haud sincero animo fuerant oblatae, sed ut rebellioni iamdiu expetitae ac praestitutae (*e*) honestatem, si fieri posset, praetenderent; quare Roboami arrogantiâ ocius fortassis accidit quod nihilominus mox deinde evenisset. Porro Deus rem antea praevisam atque praedictam iuste clementerque permisit, ut Iudae

(*a*) Nec unum foret eorum exemplum qui, prout expedire videtur, alia profitentur quam quae sentiunt.

(*b*) Gen. XII, 1, Ex. III, 16-17, Deuter. XXIX, I. Reg. X, 24, XII, 25, XVI, 13, III. Reg. 6-14, XI, 31-38.

(*c*) III. Reg. XI, 39. V. sup. pag. 335. not (*d*).

(*d*) Cf. III. Reg. XII, 22-24 cum II. Par. XI, 2-4.

(*e*) Hoc vel inde colligitur, quod concio pro rege creando non in Ierusalem regni metropoli, sed in Sichem principe Ephraimitarum urbe indicitur, et Ieroboam propter seditionem profugus (III. Reg. XI, 26, 40) ab horum primoribus arcessitus, orator mittitur ad Roboamum III. Reg. XII, 1-3, 12.

imperii amplitudine imminuta, regis et populi superstitionem puniret; frequentissima interim impiorum multitudine inde secreta, perpetua utriusque regni simultate variisque vicibus uteretur, ut verae religionis apud Iudaeos conservationi consuleret; qua enim ratione venti atque procellae aëris et aquarum salubritati conferunt, ita haereses et schismata, sub Numine providentissimo, veritatis splendori, religionis incremento, Ecclesiae incolumitati conducunt (*a*).

(*a*) Qui probe teneat quae hactenus disseruimus, sine negotio disiiciet complures minutissimas difficultates, quae ex Paralipomenôn cum Regum libris collatione exoriuntur; ceterum, operam levabunt Interpretes, speciatim vero de Vence, S.[e] Bible, tom. VII, 5.[e] édit. Paris, 1828, Dissertation sur les textes parallèles.

CAPUT VII.

DE LIBRO ESDRAE

ARTICULUS UNICUS

Auctor et fides.

CXXXVI. Paralipomenis ordine (iuxta Christianorum canonem) et rerum nexu singulares Esdrae et Nehemiae libri continuantur, qui intermissam in illis historiam haud absimili tenore persequuntur; nam et hîc certus factorum delectus habetur, et opportuna documentorum insertio, et geminum apparet scriptorum consilium non tam gentis fastos quam divinae providentiae oeconomiam describendi; quae scilicet, a libertate per Cyrum Hebraeis restituta ad utriusque ducis aetatem, cultus et templi, religionis ac morum fuerit conditio, initaeque sacrorum ac civitatis restaurationis vices, casus, progressus aequalibus ac posteris manifestandi. Hos porro libros, propter intimam eorum connexionem, in unum olim volumen (*a*) compingebant Hebraei

(*a*) Talmud., Baba bathra f. xv, 1. Cf. Buxtorf. Tiber. c. xi. Origenes apud Euseb. hist. eccl. lib. vi. c. 25: Ἔσδρας πρῶτος καὶ δεύτερος ἐν ἑνὶ, Ἐζρᾶ ὁ ἐστὶ βοηθός. Hieronymus ep. ad Paulinum: « Esdras et Nehemias adiutor videlicet et consolator a Domino, in unum volumen coarctantur. » (Nempe עֶזְרָא significat adiutorium, et נְחֶמְיָה quem Deus consolatur, h. e. cui auxilium praebet). Cf. eiusdem ep. ad Domnionem et Rogatianum.

uno Esdrae nomine insignitum (quamobrem etiam nunc Vulgatus et Arabs unum et alterum Esdrae librum illos appellant), at recentiores, quibuscum Graecus et Syrus interpretes faciunt, utrumque merito distinguentes, unum Esdrae, alterum Nehemiae nomine donant, quippe horum praeclara in rem publicam opera et merita complexos, atque ab iisdem singillatim scripto exaratos.

CXXXVII. Revera quaecumque pro Paralipomenis Esdrae auctori attribuendis afferuntur, perinde in Esdrae librum, uti vidimus (*a*), imo magis apte conveniunt; nec enim verisimile est, qui tristes superioris aetatis eventus retulerat, laetiores dein, toties a prophetis praedictos, tam anxie a piis omnibus praestolatos, quorumque magna ipse pars fuerat, alteri enarrandos permisisse: neque credibile auctoris nomen illico obsoletum, Esdraeque suppositum fuisse librum, cuius autographum ipsum in canonem insertum haud inepte coniicimus, quandoquidem tunc ille prodiit cum iste absolveretur (*b*): absonum demum virum litteratissimum, de Scripturarum emendatione optime meritum, cui praeterea multigena scripta subiecit antiquitas (*c*), nihil omnino scripto reliquisse; nisi enim Esdrae

(*a*) V. pag. 353-57.

(*b*) Eichhorn, Einleit. § 502.

(*c*) Falso quidem, at cum omnis error veritati aliquatenus superstruatur, sicuti ex eo quod Esdras deperdita sacra volumina ex integro restituisse dicatur, illa saltem emendavisse concludimus; ita qui multorum operum auctor perperam habetur, nonnulla saltem vulgasse optime argumentamur (V. Sixt. Senens. Bibl. S. lib. II. voc. Esdras).

librum eidem adiudices, propter utriusque operis unitatem et Paralipomena abiudicabis: quibus omnibus et hoc accedit, quod fervidum pietatis, legisque Mosaicae studium, hebraici atque chaldaici sermonis facultas, quae in operis auctore deprehenduntur (*a*), ea ipsa sunt, quibus Esdram imprimis constat excelluisse. – Verum quod iure praesumimus, intimis ac solidissimis rationibus demonstramus: Esdrae liber, quamquam quod ad texturam individuus est, quod ad materiem in duas partes commode dividitur, quarum una (I-VI) ea complectitur quae ad templum cultumque instaurandum a I Cyri Persarum regis anno ad VI Darii Hystaspis sub Zorobabelis praefectura gesta sunt; altera (VII-X) quae post VII Artaxerxis annum Esdras ipse perfecit: ut igitur a certioribus initium sumamus, pericope VII, 27 - IX, 15, ubi Esdras acta sua personaliter exponit, ab eodem reapse descriptam omnes fere consentiunt, et nullus nisi temere infitiabitur; iamvero vv. 26-27 c. VII, cum Artaxerxis edicto, nempe vv. 12-26, hique cum praecedentibus I-II ceu cum illius protasi indissolubiliter cohaerent; nec enim Esdras, scriptor haud imperitus ac de temporis notatione, ut aetas illa ferebat, valde sollicitus, nil praefatus, a regis decreto narrationem inchoasset, deinde semet loquentem abrupte induxisset, nisi suum antea nomen ac genus

(*a*) Esdr. IV, 8 - VI, 18, VII, 12-26 chaldaice cetera hebraice scripta sunt.

exhibuisset, et annum quo decretum illud editum sit, quoque tempore reduces Babylone excesserint, Solymamque adventaverint, accurate definiisset (*a*): caput autem x tam apte cum praecedenti copulatur, ut inde avelli nequeat, nec tale porro est ut seorsum exsistere potuerit; haec itaque posterior pars Esdrae auctori certissime referenda est (*b*). Atqui et prior illa eidem pariter adiudicanda: sane non modo vers. 1, cap. VII potius transitionis quam exordii vicem praestare videtur, sed ipsa generalis et indefinita locutio, *in regno Artaxerxis*, ponit de ullis eiusdem decessoribus sermonem antea institutum; historicum scilicet, narratione de iis quae Hebraeis reducibus ad Darium usque fausta aut adversa contigerant apposite conclusa (VI, 19-22), ad laetiores nunc sub altero rege eventus enarrandos accedere (VII, 1, seq.). Haec connexio magis inde confirmatur, quod versus modo citati (VI, 19-22), a praecedentibus sermone distincti, Esdrae nec non Paralipomenôn auctoris ingenio (*c*) nimis congruant, quam ut ignoto cuidam operis compositori attribuantur; hinc vero consequitur, integram chal-

(*a*) Cf. Esdr. VII, 27-28 cum 1-5, et Neh. I, 1; Esdr. VIII, 31-33 cum VII, 6-9.

(*b*) Unde patet quid de eorum opinione sentiendum sit, qui hunc librum Esdrae suppositum nonnisi Machabaeorum aetate prodiisse existimarunt; quos inter eminent Spinoza, Tract. theol. polit. c. x, OEder, Freie Untersuch. über einige BB. des A. T. S. 247, ff., Zunz, op. sup. cit. p. 31, seq., George, Iüd. Feste S. 169, ff.

(*c*) V. sup. pag. 357. not. (*c*).

daicam pericopem (IV, 8 - VI, 18) quippe cum hisce necessario coniunctam, praetereaque unam ac solidam, nisi ab Esdra compositam (videtur enim ab antiquiore scriptore factis aequali seorsum aut uti amplioris narrationis pars conscripta (*a*)), at saltem ab eodem in suum deinde opus relatam

(*a*) Cum quidem non repugnaret Esdram Persarum regum decretis, satrapumque epistolis aulico quo exarata fuerant sermone, chaldaico nempe, descriptis, eodem, pro re nata, narrationem suam paullisper deinceps fuisse persecutum (quod Danieli novimus usitatum, Dan. II, 4-VII); neque ab historicorum more alienum sit interdum ex prima persona, per communicationem, loqui cum ea referunt, quorum ipsi testes esse nequiverint, sic Livius saepe, antiquissima narrans, *bellum indiximus*, *pacificatum venimus*, *urbem expugnavimus* usurpat; attamen cum huic pericopae duplex praefatio, hebraica una, altera chaldaica praescripta (IV, 7, 8), germanaque conclusio (VI, 16-18, 19-22) subiecta sit, hanc chaldaicam particulam nonnihil praeterea abruptam * ex ampliori ulla narratione depromtam fuisse probabiliter coniicimus; cumque communicatio figura sit sacris historicis insueta (quae namque exempla profert Dathius, Glassii Philol. S. tom. I. pag. 317, ad rem non sunt), V, 4 ** coaevum auctorem deprehendimus, cuius exemplar ad verbum Esdras descripsit; nisi quod VI, 14 Artaxerxis (Longimani) nomen, grati animi causa ob eiusdem in Hebraeos voluntatem, et sequentibus (VII) quasi praeludens, praeter rerum ac temporis rationes Cyro et Dario per prolepsim subiunxit.

* V. 8 titulus est adiectus (cf. similes apud Assemani Bibl. Or. I. p. 358, 364); vv. 9-10 veram epistolae descriptionem exhibent, uti colligitur ex postrema voce וּכְעֶנֶת *et cetera* (Vulg. *in pace*), quae ostendit consuetas hîc salutationes (cf. 11 et 17, VII, 12) praetermissas fuisse; at primum vocabulum אֱדַיִן *tunc*, et verbi omissio quae inscriptionem mutilam et hiantem facit, demonstrat chaldaicum scriptorem eamdem abruptam operi suo inseruisse; haud absimili ratione Daniel Nabuchodonosoris edictum intercepit Dan. IV, 26-30.

** אֲמַרְנָא *respondimus*; cf. sup. pag. 13, ubi Ios. V, 1 τὸ עָבְרֵנוּ כ' τῷ עָבְרָם ק' praetulimus, non modo quia lectio rara plerumque verior, sed quia τῷ לָכוֹ v. 6 respondet.

fuisse (*a*); cumque haec iterum a superioribus vv. 1-8

(*a*) Kleinert (Dörp. Beytr. z. th. Wisch. B. I.) ponit hanc primitus ex unis capp. v, I-VI, 18 constitisse, quibus dein recentius documentum IV, 8-23 apposita praefatione et conclusione IV, 6-7; 24 collectoris industria adauctum accesserit. Duplex hypothesis fundamentum; primum quod nomine Assueri et Artaxerxis, nec Cambyses, nec Pseudo-Smerdes, sed ut in aliis Esdrae, Nehemiae et Estheris locis, ita hîc quoque (IV, 6-7) Xerxes et Artaxerxes Longimanus intelligendi sint; haec enim quamquam origine mera essent dignitatis nomina, ex usu tamen propria fiebant: alterum in eo est quod IV, 8-23 urbis et moeniorum nulla templi restaurationis mentio occurrat, quippe iam absoluti; quaeque ibi narrantur haud verisimile sit, sub brevissimo atque ancipiti Pseudo-Smerdis regno contigisse. Iamvero utrumque nutat: neque enim ex eo quod dignitatis nomen a novo quoque Persarum rege, orientalium more (Fraehn, de titul. et cogn. honorif., quibus Chani hordae aureae usi sunt, origine, Casan. 1814, pag. 16, seq.), assumtum, eidem perpetuo uti proprium inhaeserit, sequitur alium ex successoribus eodem insigniri nequivisse; quare sicut plures Darii (Hystaspis, Nothus, Ochus, Codomannus) et Artaxerxis (Longimanus, Mnemon) nomine donati sunt, ita Cambyses Assuerus (persice *Khschwersche, leo rex*) audire, Magus Spendadates postquam Smerdis defuncti personam indutus solium securus occupavit, ementito nomine cum alio splendidiori commutato, Artaxerxes (persice *Artachschetr*, *magnus rex regum*, Curt. VI, 6, vel *magnus bellator*, V. Gesen. ad utr. v.) potuit salutari. Quod si novis hisce titulis a graecis scriptoribus nunquam designantur, hoc perspicuitatis gratia, vel ignoratione factum est; neque enim repugnat antiquiores apud Persas historicos, qui horum regum gesta indiligentius scripserunt (uti ex Herodoto et Ctesia manifestum est), assumta eorum nomina, quod et recentiores faciunt (V. Malkolm, pers. Gesch. I. S. 46, deut. Uebers.) omisisse. Quod ad alterum, Samaritani in Hebraeos invidi, occasione capta quod isti aliquas domos exstruxerant (Aggaei I, 4), eosdem apud regem accusantes quasi urbem murosque, et quidem rebellandi animo, instaurassent, quo monarchiae studium zelo praetenderent, nullam templi mentionem iniicere debuerunt, praesertim cum Cyri edictum, et successoribus inviolabile, speciatim ad templi restaurationem respiceret; haec autem defectionis suspicio usurpatoris animum facilius quam Longimani in Iudaeos proclivem potuit sollicitare, ab eoque interdictum repente extorquere, quod urbis securitati atque

inseparabilis sit, capita autem I-IV secum invicem coalescant (*a*), eorumque auctor per prolepsim vel eventibus multo posterioribus, vel insequenti narrationi praeludat (*b*); denique tandem eadem in omnibus rerum et sermonis unitas (*c*) deprehendatur, iure meritoque concludimus unum operis

amplitudini adversum templi exstructionem necessario aut retardabat, aut intercipiebat; porro nonnullorum mensium intervallum decreto impetrando atque exsequendo, Samaritanis instantibus (IV,23), satis superque fuit; adde indefinitam locutionem, *in diebus Artaxerxis*, (ib. 7) commode in regnum convenire, quod ne integrum quidem annum duravit (V. Haevernick, Einl. II. Th. I. Abth. S. 293, 96). Accedit quod vv. 5-7, 23-24 indissolubiliter connexi manifestum faciunt v. 5 generatim comprehendi quae seq. 6-23 specialim exponuntur; nec ullam propterea esse causam cur a collectore quovis, etiam imperito, posterioris aetatis eventa c. VII opportune subiicienda, contra temporis ac rerum nexum, hic temere praecepta fuisse existimemus.

(*a*) Cf. I, 11 cum II, 1; II, 70 cum III, 1; II, 64 cum III, 1, 9, VI, 20.

(*b*) Cf. II, 68, III, 6 cum VI, 15; IV, 5 cum V, VI.

(*c*) Quod ad primum cf. ex. c. II, 41-43 cum VII, 7, VIII, 20; III cum VI, 22. Quod ad alterum vox נִשֵּׂא pro *adiuvit* occurrit I, 4, VIII, 36, גִּזְבַּר *thesaurarius* I, 8, VII, 21, נִשְׁתְּוָן *epistola* IV, 7, 18, 23, V, 8, VII, 11, פַּרְשֶׁגֶן *apographum* IV, 11, 23, VII, 11, כְּפוֹרִים *pocula* I, 10, VIII, 27, הִתְיַחֵשׂ *censeri* II, 62, VIII, 1, כְּאֶחָד *simul* II, 64, III, 9, VI, 20; locutio הֶעֱבִיר קוֹל *proclamari iussit* (Ex. XXXVI, 6) I, 1, X, 7, בְּנֵי הַגּוֹלָה *exsules* IV, 1, VI, 19-20, VIII, 35, X, 7, 16; הַבָּאִים מֵהַשְּׁבִי *reduces e captivitate* III, 8, VIII, 35 coll. cum II, 1. Perperam Kleinert, op. cit. p. 110, sex priora capita Zachariae adscribit propter nonnullarum dictionum similitudinem, quae vel in chaldaicis pericopis insunt, vel aliis etiam hagiographis communes sunt; sic חַזֵּק יְדֵיהֶם VI, 22 non modo Zach. VIII, 9, 13, sed Is. XXXV, 3, Ier. XXIII, 14, Ezech. XIII, 22, Iob. IV, 3 occurrit; יְסַּד III, 6, praeter Zach. VIII, 9, etiam Agg. II, 18 habetur.

compositorem fuisse, tantumque abesse ut Esdrae abiudicandum sit, ut imo multiplex ratio suppetat cur illud ipsi iuxta Talmudistarum fidem (*a*), Patrum, omniumque fere criticorum iudicium attribuamus.

Nimirum qui ullam libri partem eiusve compositionem alteri scriptori, vel recentiori assignant aetati, levissimis omnino rationibus moventur, cuiusmodi sunt: quod interdum de Esdra modo ex prima, modo ex tertia persona sermo sit (*b*), iisque laudibus ac nominibus honestetur (*c*), quae in eius ore sorderent; eiusdem autem genealogia tum intempestive, quippequae narrationem intercipiat, tum ab alio profecto scriptore adiecta videatur, qui et insequentis praeoccupationis auctor sit (*d*); quod demum Esdras nec Iohanan pontificem adire potuerit, qui nonnisi Nehemia defuncto pontificium habuit (*e*), neque qui reges Persas a Chaldaeis perpetuo accurateque distinxerat (*f*), Darium Assyriae regem vocare (*g*), quod recentioris certe scriptoris imperitiam ostendit (*h*). - Sed haec nihil de sententiae nostrae auctoritate detrahunt, quin contra pondus eidem adiiciunt; et ad primum quod pertinet, personarum commutatio, Hagiographis non modo in prophetalibus, sed etiam in historicis scriptis usitata (*i*), in Esdrae librum

(*a*) Tr. Baba Bathra fol. xv, 1.

(*b*) Esdr. I-VII, 26, x.

(*c*) VII, 6, 9-11, x, 3.

(*d*) VII, 1-6; 7-9 coll. cum VIII, 15, seq.

(*e*) x, 6 coll. cum Neh. XII, 22-23.

(*f*) Cf. hebr. I, 1-2, IV, 24, IX, 9 cum V, 12.

(*g*) VI, 22.

(*h*) Bertholdt, Einl. S. 1001, ff. de Wette, Einl. § 196, *a.* Zunz, op. cit. p. 24, 25.

(*i*) Sic Isaias qui passim ex prima persona loquitur, tertiam adhibet VII, 1-16, XX, XXXVI, XXXIX; Ieremias similiter unam cum altera

quadrat apprime; ea namque expositurus quae ante ipsius ad Ierusalem adventum contigerant, suamque dein historiam subiecturus, aptius tertia persona historicorum more (*a*) usus est; eum vero Artaxerxis decretum fideliter describenti, de se ex secunda persona loquendum fuit, opportune tunc grati in Deum ac regem animi sui sensa per apostrophem ex prima significavit, eademque dein gestorum suorum narrationem persecutus est, usque dum novi cum Deo foederis solemnitatem enarraturus tertiam iterum convenientius usurpavit, ne primas hac in re sibi videretur assumere Deo concedendas, cuius nomine et numine prophetae et hagiographi, nudum se illius instrumentum existimantes, tum scribebant, tum operabantur; hinc fiebat ut et modeste de se sentirent, et veritatis simpliciter studiosi honesta sibi, ubi opus, ingenue praedicarent (*b*). Negamus tamen Esdram ullis se laudibus extulisse; siquidem honoris titulus (*c*), quo semet nominat, idem erat quo ab omnibus communiter distinguebatur, proindeque in ipso Artaxerxis decreto insignitus est (*d*),

frequenter et repente commutat; cf. xx, 1-6 cum 7 seq. et xxi, 1 seq., xxviii, 1-4 cum 5 seq., xxxii, 1-7 cum 8 seq., quae duo postrema capita historica sunt; Gesenii autem hypothesis (Com. z. Ies. S. 270) qui ponit Isaiam et Ieremiam prima, eiusdem amanuenses tertia persona usos fuisse refellitur, quod haec eadem de Ieremia et Baruch ipsius scriptore saepe adhibetur, Ier. xxxvi, 4, 5, 8, 10, 17-19, 26, xliii, 6, xlv, 1 etc.; cf. praeterea Ezech. i, 1 cum 3; Zach. i, 1 cum ii, 1; vii, 1, 8 cum 4; Os. i, 3 cum iii, 1; Ioh. Apoc. i, 1-8 cum 9 seq.

(*a*) Ex. c. Caesar et Xenophon inter profanos, Moses et Iohannes inter sacros historicos.

(*b*) V. sup. pag. 224.

(*c*) סֹפֵר מָהִיר בְּתוֹרַת מֹשֶׁה *scriba* (γραμματεύς) *expeditus*, h. e. *exercitatus* (cf. Is. xxxii, 4, Malach. iii, 5, Prov. xxii, 29) *in lege Mosis*; idem propemodum ac *S. Scripturae Doctor*.

(*d*) vii, 12, 21, cf. Neh. viii, 1, 2, 4, 9, 13, xii, 26; pariter Nehemias iugiter הַפֶּחָה vel הַתִּרְשָׁתָא Iudaeae *praefectus* cognominatur ib. 9, x, 2, xii, 26. De similibus apud Orientales dignitatis nominibus v. Gesenius, de Bar Alio, et Bar Bahlulo p. 6-7.

cognomentum videlicet propter consuetudinem a nomine inseparabile, cuiusmodi similia a prophetis frequenter, praesertim circa ea tempora usurpabantur (*a*); quod vero Deus pium Esdrae propositum divinam legem apprime ediscendi, ad eiusque praescriptum suam et Hebraeorum vivendi rationem instituendi gratum acceptumque habens, et regis animum flexisse ut Esdrae votis annueret, huiusque inceptum ac reditum fortunavisse dicatur, perinde modestum praeconium est, ac si quis propter sinceram Christiani nominis professionem multa prospere sibi evenisse *in Domino gloriaretur* (*b*). - Porro *domini* (אֲדֹנִי ק׳) non ipse sibi assumsit, sed eodem a Sechenia denominatus est. - Nec minus apte, seriores praesertim hagiographos imitatus (*c*), gestis suis enarrandis generis originem praemisit, quo Aaronis stirpe se prognatum, proindeque missionis suae convenientiam et auctoritatem demonstraret: et orientalium, Hebraeorum, suumque morem (*d*) secutus, ad materiem sequentis narrationis indicandam, huius initio nonnulla praecepit; hîc autem meram prolepsin minime vero alterius additamentum haberi, probatur ex anni definitione (*e*) quae secus deinceps absurde desideraretur. - Iohanan, cuius domum Esdras ingressus est, iam tum pontificio auctum

(*a*) Ezechiel nempe se I, 3 הַכֹּהֵן *sacerdotem*, Ieremias XLV, 1, XLVI, 1, XLVII, 1, Zacharias I, 1, 7, Aggaeus I, 1 הַנָּבִיא *prophetam*, imo hic etiam v. 13 מַלְאַךְ יְהוָה *nuncium Domini*, Paulus cuiusque epistolae initio *Apostolum* se vel *servum Iesu Christi* (ex. c. ad Tit. I, 1: Παῦλος δοῦλος Θεοῦ, ἀπόστολος δέ Ἰησοῦ Χριστοῦ κατὰ πίστιν ἐκλεκτῶν Θεοῦ καὶ ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς καθ' εὐσέβειαν, κ. τ. λ.) nuncupaverunt.

(*b*) II. Cor. X, 17, cf. ib. I, 10-12.

(*c*) Ezech. I, 3, Soph. I, 1, Zach. I, 1.

(*d*) II, 68, III, 6, 6, 14; cf. III. Reg. VI, 9, ubi una simul templi exstructionis initium et absolutio commemoratur; plurima huius figurae exempla v. apud Ewald, Composition d. Genesis, S. 151, ff.

(*e*) Cf. VII, 8 cum VIII, 1, 15, 31-33.

fuisse non legimus. - Cum reges Persarum Assyriis et Chaldaeis simul imperarent, iidem modo Assyriae, modo Babylonis reges audire potuerunt; quare sicut Cyrus et Artaxerxes, propterea quod Babylonia potissima tunc esset imperii provincia, regiaque sedes (*a*), apposite Babylonis reges dicti sunt (*b*); ita cum sub Dario Hystaspis Assyria praeemineret, ac latiori sensu Babyloniam, Syriam et Mesopotamiam complecteretur (*c*), chaldaicus autem sermo assyrius promiscue vocatus, tanto apud Persas tunc in honore esset, ut regum decreta, et litterae ad exteros missae, necnon cippi a Dario ad Bosphorum erecti eodem inscriberentur, imo Herodoti temporibus antiqua Persarum traditio Perseum gentis auctorem Assyrium faceret (*d*), scite profecto Esdras Darium Assyriae regem denominavit (*e*).

(*a*) Herod. I, 192.

(*b*) Esdr. V, 13, Neh. XIII, 6.

(*c*) Herod. I, 192, III, 92, VII, 63. V. et Lassen, Die altpersischen Keilinschriften von Persepolis, S. 67, ff. 72.

(*d*) Thucyd. IV, 50, Herod. IV, 87 (cf. Blum, Herodot und Ctesias, die aeltesten Geschichtschreiber des Orients, S. 110, ff. Heeren, Comment. soc. Goett. XIII, p. 35, seq. conf. Ideen, I, 2 pag. 369), VI, 54, VII, 61, 150; Xenoph. Cyrop. lib. I, c. II, 1, Creuzer, Symbolik I, S. 791, ff. IV, S. 246, ff.

(*e*) Eoque magis ubi non solum Assyriae regis subditus, sed et huius regionis incola fuerit, quod Haevernick (op. cit. p. 289-90), generali atque indeterminata locutione VIII, 1 insuper habita, ex locorum nominibus coniecit Ahava et Caspeia, VIII, 15, 17, quorum priore Aba in Iraca Persidis sitam inter Hamadan et Raya prope Sawa, cui proximus fluvius magnus praesertim tempore veris (Uylenbrock, Iracae Pers. descript. Lugd. Bat. 1822, p. 9, 19, 57, 62 coll. cum Esdr. VIII, 15, 21); altero autem Caspiorum regionem gentis olim maximae et mercatura florentissimae meridionalem Caspii maris tractum tenentis, et Persarum ditioni subiectae (Herod. III, 92, 93, VII, 67, 86, Ritter, Erdkunde, II, S. 899, ff.) designatam arbitratur.

CXXXVIII. Itaque ex scriptoris persona ac conditione iam pronum est colligere quanta libri auctoritas sit, quam ceterum interna atque externa indicia luculentissime testantur: et primo quidem quae auctoris aetatem superant, ex optimis sincerisque fontibus desumta videntur; nec enim recensio redeuntium sub Zorobabele, quam Nehemias paullo aliter instituit (*a*), vasorum enumeratio (*b*), minuta caerimoniarum descriptio, accurata temporis, quo quaeque contigerint, definitio, et personarum de-

(*a*) Ambo in plerisque et in summa praesertim (Esdr. II, 64 coll. cum Neh. VII, 66) consentiunt, in nonnullis tamen numeris ac nominibus discrepant, quae discrepantia partim ex praemissis (V. sup. p. 371-72, 403) explicabilis est, partim tum ex eo repetenda videtur quod Esdras e Babylonia excedentes, Nehemias Ierusalem adventantes et incolentes recensuerit, plures interea tum ante discessum, tum in ipso itinere, vel deinde postea, aut de sententia desistere, aut fato intercipi potuerint; tum ex eo quod non modo quorum origo incerta erat, numerati quidem, minime vero descripti sunt, verum aliorum etiam nomina praecipua tantum, ex eadem aut simili censuali tabula, (Neh. VII, 5 ספר היחש) excerpta videntur; hinc factum ut redeuntium summa descriptorum numerum multum excedat. Quod vero in utroque loco primi tantum reduces enumerentur ex Neh. VII, 5 manifestum est; nec obest quod Nehemias iisdem accenseatur, hic enim alius scriptore est, iamque monuimus eadem nomina pluribus saepe communia fuisse, cf. Neh. I, 1, III, 16, VII, 7: quare et Esdras ib. XII, 1 non idem qui scriba v. 33 et alibi perpetuo cognominatur, sed antiquior, caput fortassis alterius sacerdotalis familiae eodem Esdrae nomine donatae, cuius princeps Esdrae et Nehemiae temporibus Mosollam appellabatur ib. v. 13: hac homonymia nonnulli decepti (Clericus in h. l. Buddeus Hist. E. V. T. II. p. 904) duplicem Esdrae ad Ierusalem adventum commenti sunt; cumque inter utrumque centum prope anni interfuerint, prodigiosam illi longaevitatem attribuerunt. - Haud improbabiliter alii putant Nehemiam antiquum recensum suis temporibus accommodasse, ita Herbst, Einl. 1. Th. S. 89 not. (1).

(*b*) Esdr. I, 7-11; vv. 9-10 pretiosiora tantum dinumerantur, non singula ex quibus dein v. 11 summa conflatur.

nominatio (*a*) aliunde quam ex coaevorum documentis depromi potuerunt; qua porro fidelitate atque sinceritate iisdem usus sit, probant decreta atque epistolarum apographa, quo exarata fuerant sermone in librum relata, ipsa imo coaevorum verba religiosissime descripta (*b*); nec minus eorum, quorum ipse aequalis fuit, veritas explorata est; haec siquidem testis peritiam ac diligentiam deprehendunt (*c*), insuper haud secus ac illa tum secum invicem et cum reliqua Hebraeorum historia consentiunt, tum simplicissimam illorum temporum imaginem referunt, pluribus demum sacrae aeque ac profanae historiae testimoniis comprobantur.

Videlicet Cyri decreti veritatem testantur memoriales libri in Ecbatanorum archiviis servati (*d*), Darii autem mandatum tum primum illud confirmat, tum templi exstructionem Samaritanorum invidia interceptam, horumque, consciis satrapibus, criminationes indubias facit (*e*); porro Artaxerxis edictum ad praecedentium instar exactum cum utroque cohaeret (*f*). Pariter redeundi facultas ac templi

(*a*) III, VI, 15-22.

(*b*) V. sup. pag. 417 not. (*a*).

(*c*) Non modo enim veluti rebus praesens earumque particeps loquitur VII, 27-28, VIII, 15, IX, 15, sed in numeris, nominibus, temporibus designandis accuratissimum se praestat; cf. VII, 7-9, 31, 35, VIII, 15-IX, 15, X, 9, 16-17, 20-44.

(*d*) Cf. I, 2-4 cum VI, 1-5, ubi non ipsum quidem authenticum Cyri decretum, sed compendiariam eius notitiam legimus a persa historiographo in regni annales relatam; quare uterque locus ut in rei summa consentit, ita in adiunctis necessario discrepat. Erat autem Ecbatanis aestiva Persarum regia, Susis hiemalis. Athenaeus, Deipn. l. XII, c. I.

(*e*) IV-V.

(*f*) VII, 12-26.

instaurandi potestas Hebraeis per Cyrum data quamquam prodigialis, Deoque accepta referenda est, a rege tamen Persarum impetrabilior fuisse videtur, quippequi et ipsi turpem Chaldaeorum idololatriam aversabantur, hosque uti proprios etiam hostes habentes, ad pietatem in Hebraeos (*a*) ab iisdem dire vexatos propensiores erant; quamobrem multum per se probabile est, Hebraeorum sapientiores magno in pretio apud Persarum reges fuisse, Danielem vero qui pridem prodigio sospes Darium Medum ad iustum Iehovae honorem publice persolvendum adduxerat (*b*), nunc vaticiniis, quae proximam Hebraeorum per Cyrum liberationem eiusque victorias iamdudum praesignificaverant, huic declaratis (*c*), favente numine, regis animum in tantam Iehovae sapientiae admirationem rapuisse, ut suam erga Hebraeorum Deum reverentiam aperte professus sit, nec solum libertatem direptaque vasa captivis restituerit, eosque plurima gaza onustos abire permiserit (nefas enim absque principis venia pretiosi quidquam extra Persiae ditionis fines exportare), sed et suo impendio templi aedificationem curaverit; nec minus propterea verisimile Artaxerxem deinceps, decessorum exemplo confirmatum, horum vestigia implevisse, donariis praeterea ad

(*a*) Cum revertendi facultas omnibus indiscriminatim Iehovae cultoribus Cyri et Artaxerxis dominationi subiectis data sit (Esdr. I, 3-4, VI, 13); Israëlitarum saltem nonnullos illico Iudaeis itineris socios se se adiunxisse, quos alii dein identidem secuti sint, admodum verisimile arbitramur; sane non solum Christi, sed et Machabaeorum aetate (I. Mach. V, 9, 54) eorum aliquot Peraeam et Galilaeam novimus incoluisse; verum cum paullatim rediissent, nulla eorum reditus specialis mentio facta est; cumque et numero pauci, et Iudaeis essent commixti, communi hoc nomine designabantur; qua ratione vaticinia de Israëlis et Iudae captivitatis, mutuaeque inter utrumque simultatis cessatione adamussim completa sunt.

(*b*) Dan. VI, 26

(*c*) Is. XLIV, 28, XLV, 1 seq. coll. cum Ierem. L, 44. Cf. Ioseph. Antiq. lib. XI, c. I, § 2.

Solymorum templum transmissis, quo Iehovae gratiam sibi regnoque promereretur (*a*). Similiter hyperbolica regiae potestatis designatio, orientalium omnium etiamnum propria (*b*), Cyro iam tum Persarum, Medorum et Chaldaeorum domino maxime congruit; sermo quo satrapum epistolae, Darii et Artaxerxis decreta exarata sunt (*c*), honoris tituli quibus unaquaeque persona ibidem pro varia eius dignitate distinguitur; imperium modo in plures provincias, modo in pauciores satrapias (*d*) divisum, eiusque administratio in totidem praefectos aut satrapas, sociorum in munere opera adiutos, distributa qui regis beneficia proxime impetrarent, vel eius mandata primi exsequenda curarent (*e*); maioribus hisce praefectis minores substituti, cuiusque gentis, stirpis, pagi negotia ad illorum praescriptum procuraturi (*f*), horum singulis minister a libellis deputatus

(*a*) Esdr. VII, 20-23. Id quidem singulare cum Persae, praeter communem Ethnicorum morem, una sacraria igni dicata venerarentur; neque tamen incredibile, quandoquidem non de fano in idoli cuiusdam honorem erecto, sed de templo Deo invisibili consecrato agebatur.

(*b*) *Omnia regna terrae dedit mihi Deus* Esdr. I, 2. Sic. ex. c. Turcarum *rex dominantium dominator*, *Orientis et Occidentis dominus*; Siamensium vero *solis frater*, *rex caeli et terrae*; Sinensium autem imperator *Thienku* et *Hoangthi*, nempe *filius caeli et terrae* nuncupatur.

(*c*) V. pag. 423. not. (*d*). Locutio (Esdr. IV, 14): *salem alicuius comedere* pro *famulari* (cf. lat. *salarium*) Persarum et Indorum etiamnum propria est. V. Rosenmüller, A. u. N. Morgenl. B. III, N. 688.

(*d*) Imperium quod sub Dario Medo (Cyaxare II) et Cyro in CXX provincias divisum erat (cf. Xenoph. Cyrop. lib. VIII, c. VI, 1-16 cum Dan. VI, 1-3), a Dario Hystaspis promptioris administrationis causa in XX satrapias distributum est (Herod. III, 89); hinc intelligimus cur altero huiusce regni anno Thathanai, cui ciseuphratensis satrapia commissa erat quae Iudaeam, Libani viciniam et Phoeniciam complectebatur (Syria enim et Ægyptus duobus aliis obtigerant), quippe recentis muneris primus administrator, Ierusalem una cum dignitatis ministris novus, inopinus, rerum personarum, necnon Cyri veniae, et interdicti Smerdis ignarus advenerit (Esdr. V, 3, 6, seq.).

(*e*) Esdr. IV, 7, V, 3-6, VI, 8-13, VIII, 33.

(*f*) Suum habebant Iudaei, et quidem contribulem, ut enim Na-

qui et regis praecepta declararet (*a*); insigniorum eventuum in regni annales relatio (*b*), nonnullorum munerum (*c*), tributorum (*d*), poenarum (*e*) natura et denominatio, necnon mutata personarum cognomina (*f*), Persarum institutis, moribus, linguae, consuetudinibus apprime respondent; denique tandem non solum laudatorum regum

buchodonosor reliquis in Palaestina Iudaeis concivem Godoliam praefecerat (IV. Reg. XXV, 22), ita reducum praefectura, simili Persarum regum voluntate, Hebraeorum ducibus iugiter demandata fuisse videtur, cf. Esdr. I, 8, 11, II, 2, 63, III, 2, 8, IV, 2-3, V, 2 cum Agg. I, 1, 14, II, 3. Neh. V, 14-15.

(*a*) Esdr. IV, 8-9, 17 coll. cum V, 3, 6, VI, 6, 13. V. Herod. III, 128, Heeren, Ideen I, 1, S. 496, ff.

(*b*) IV, 15, 19-20, V, 17, VI, 1-2.

(*c*) Ex. c. גִּזְבָּר Esdr. I, 8 (Vulg. Gazabar, pers. گنجور) VII, 21 *thesaurarius*, vocabulum conflatum ex verbo גְּנַז (pers. گنج) contr. גַּזָּא (unde lat. *gaza*, *gazophylacium*) et syllaba persica وار *war*, quae possessivis formandis inservit (uti german. bar in ehrbar, achtbar similis lat. *abilis* in *honorabilis*, *aestimabilis*); תִּרְשָׁתָא *praefectus*, Vulg. Athersatha (cf. pers. ترش *torsch*, *severus*, *austerus*) epitheton Zorobabelis (Esdr. II, 63, Neh. VII, 65, 70, hebr. hîc enim Vulgatus de Nehemia interpretatur) et Nehemiae (Neh. VIII, 9, X, 1); affinis titulus Gestrengen quo olim in Germania ornari solebant urbium liberarum et imperialium consules. V. Gesen. Lex. ad utr. voc.

(*d*) Esdr. VII, 24, מִנְדָּה ׳בְלוֹ ׳וַהֲלָךְ tributum ex censu, ex annona, vectigal.

(*e*) VI, 11. De crucis poena apud Persas cf. Esth. VII, 9, Herod. III, 125, 132, IV, 43, VII, 194, Ctes. Excerpt. V; Brissonius de reg. Persar. principatu II, 215, pag. 574.

(*f*) Sic Zorobabel שֵׁשְׁבַּצַּר (forte contr. ex pers. چسبانآذر *ignis cultor*, non quod reapse ignem coleret, sed quod perinde ac ignicola a turpi idolorum cultu abhorreret) Sassabasar I, 8, V, 16 coll. cum Zach. IV, 9 nuncupatur, quemadmodum postea Danieli, Ananiae, Misaeli, Azariae, nomina Balthasar, Sidrach, Misach, Abdenago imposita sunt, Dan. I, 6-7.

nomina eadem sunt quae apud probatissimos historicos (*a*), necnon in antiquioribus ac recens detectis monumentis, cuneiformibus praesertim inscriptionibus (*b*) commemorantur; sed quae eorum gesta a nostro exponuntur, multum iis consentanea sunt, quae profanae antiquitatis scriptores de iisdem regibus enarrarunt. - Nec minus quae ad rem sacram atque domesticam, quam quae ad civilem atque politicam spectant secundum veritatem expressa sunt: incensum pietatis studium ac vehementissimum patriae desiderium quod Hebraeorum quamplures tenuisse videtur, ad miserandam ipsorum conditionem atque ad triste poenarum documentum conveniunt; quare nulla amplius idololatriae mentio est, et exsilii quidem temporibus Iehovae cultus precibus, ieiunio ac lustralibus ritibus (*c*) unice continetur, nefas enim extra Ierusalem et templum sacrificare; at hoc vix excitato, qui in Babylonia permanent, pecunia tamen collata ac Ierusalem transmissa, spiritualibus sacrificiorum emolumentis participare contendunt (*d*); fervidus et difficilis regressorum zelus Samaritanos a templi exaedificandi societate prohibentium, alienigenasque uxores una cum liberis ex iisdem susceptis repudiantium (*e*) sollicitos decet purissimae religionis sectatores (*f*); causa vero

(*a*) Herodotum nempe, Ctesiam, Xenophontem, Diodorum Siculum, aliosque passim.

(*b*) Persepoli, Bisutun et Van repertis, V. Scholz, Einl. B. II, 489 coll. cum I, 729.

(*c*) Esdr. VIII, 21, 23.

(*d*) I, 6, VIII, 25. Multi etiam solemnioribus festis illuc undique ad Christi usque tempora tum ex Babylonia, tum ex aliis regionibus, in quas fuerant dispersi, conveniebant, Act. II, 5-11.

(*e*) IV, 2-3, X, 3, seq.

(*f*) Qui Zorobabelem et Esdram superstitiosae propterea severitatis accusant, rerum, temporum ac personarum rationes penitus ignorant; quo sane animo Samaritae novi templi communionem affectaverint, ex eo apparet quod, stante adhuc priore, ad Paschatis solemnitatem per Ezechiam vocati invitationem et nuntios contumeliose respuerint

quam contra Samaritas praetexerunt, nempe ut decreti fides salva consisteret, horum petitio, postque repulsam acceptam invidiosae, regibusque probatae, satrapis conspirantibus, criminationes quo vim latae legis eluderent (*a*), cum irrevocabili regum sententia, simulata Samaritarum pietate, ficta satrapum fide, furenti Cambysis, suspicioso Smerdis usurpatoris ingenio consentiunt, et templi monte Garizim excitatione oblique comprobantur. Item reducum hostes *populus terrae* commode nominantur (*b*); iam enim inde a duobus vel tribus seculis Samaritae in Palaestina consederant (*c*), quam modo Iudaei repetierant, quibus addendi tum Israëlitae qui in exsilium haud fuerant abducti, quique illis commixti, borealem et medianum occidentalis Palaestinae tractum incolentes, Nehemiae temporibus, Sa-

(II. Par. XXX, 1-10), idolorum cultum nunquam prorsus abiecerint, imo cum Antiochus Epiphanes in verae religionis cultores saeviret, templum quod Hebraeis invidi super montem Garizim Iehovae consecraverant, Iovi Hellenio dedicaverint (Ios. Antiq. lib. XI, c. VIII, § 2, l. XII, c. V, § 5, l. XIII, c. III, § 4; cf. I. Mach. VI, 2), nempe temporibus servientes sub Cyro et Alexandro, regibus in Hebraeos propensioribus, horum religionem ementiti sunt, ut eadem beneficia participarent, illam dein repudiaturi ut impii regis Antiochi gratiam inirent. Qua porro prudentia Zorobabel versipelles et sycophantas sacris communibus interdixit, eadem Esdras Iudaeorum cum alienigenis matrimonia dissolvit: haec namque promiscua connubia quae a Mose generatim prohibita Hebraeorum fidem ac mores nullo non tempore perdiderant (V. sup. § CII), recentem horum instaurationem mox erant frustratura, nisi confestim cohibita atque diremta fuissent; nulla autem dimissis inferebatur iniuria, haud sane meliori conditione in patria fruituris, ubi nuptiae quam saepissime ac omnino temere dissociabantur. Ceterum nec inanem Esdrae metum, nec superstitiosiorem eius prudentiam fuisse, primorum plebisque consensus Esdr. X, 2, seq., germanum Nehemiae consilium, Neh. XIII, 23-30, similis Malachiae obiurgatio, Malach. II, 11-12 aperte declararunt.

(*a*) IV, 2-3, 6-7, 12-17.

(*b*) IV, 4.

(*c*) IV. Reg. XVII, 24, seq.

naballato et Tobiae Ammanitae obtemperabant (*a*); tum finitimarum Hebraeis iugiter infensarum gentium reliquiae (*b*): nec promiscua dein illorum cum istis connubia a populo Persarum moribus assueto aliena sunt, apud quos etiam num, secus ac apud ceteros orientales, religionis aut conditionis diversitas nuptiis inter se iungendis haud adversatur (*c*); recteque sane pretiosa quaeque ad daricorum rationem de illorum more aestimantur (*d*), expenduntur tamen (*e*); tum quia id mercatoribus etiam tum usitatum, tum quia piaculum fuisset pecuniam profano signo notatam in templum inferre; abeuntium conventus ad fluminis viam constitutus, necnon tempus agmini colligendo et itineri perficiendo insumtum (*f*) catervatim iter habentium usibus nullo non tempore accommodatum (*g*). Denique tandem quod Hebraei cum Tyriis et Sidoniis permutationem facerent (*h*); Libani saltus fiscalis esset regum Persarum proprietas (*i*); Cyrus, Darius et Artaxerxes (*k*), Zorobabel, Iosue (*l*), Esdras, necnon Aggaeus et Zacharias (*m*) de templi aedificatione bene me-

(*a*) Neh. IV, 1-3.

(*b*) Esdr. IX, 1, Neh. IV, 7.

(*c*) Adde frequentiorem fortassis puerorum quam puellarum reditum difficiliores cum hisce nuptias effecisse.

(*d*) Esdr. II, 69, VIII, 27.

(*e*) VIII, 26, 29, 33-34.

(*f*) Ib. 15, 31 coll. cum VII, 9.

(*g*) Nunc etiam persici iter facientium comitatus (*carovane*) aliquot dies ad Tigrim ter aut quatuor milliaria procul a Bagdad, viaticum adornaturi, Chardinio teste (Voyages en Perse, etc.), commorantur.

(*h*) Esdr. III, 7 coll. cum III. Reg. V, 10-11, Act. XII, 20.

(*i*) Ib. cum Neh. II, 8.

(*k*) VI, 14 coll. cum Is. XLIV, 28 - XLV, 1, Agg. I-II, Zach. I-II, Dan. IX, 25.

(*l*) I, 8, 11, II, 2, 63, III, 2, 8, IV, 2-3, V, 2 cum Eccli. XLIX, 13-14, Agg. I, 1, 14, II, 3, Zach. IV, 9.

(*m*) V, 1-2, VI, 14 cum Agg. I-II, Zach. I-II.

ruerint, quae tamen hostium iniuria saepius intermissa, Iudaeorum segnitie tarde absoluta sit (*a*), nec nova aedes priori quod ad magnificentiam comparabilis fuerit (*b*); Hebraeorum complures lubricas cum alienis nuptias contraxerint, quas Esdras Mosaicae legis studiosissimus (*c*), de fidei morumque integritate sollicitus resciderit (*d*); haec inquam omnia non solum aliorum hagiographorum testimonio confirmantur, sed tota narratio tam arcto nexu cum Aggaei et Zachariae vaticiniis cohaeret, ut iis ex asse respondeat, plurimamque lucem affundat (*e*).

Quibus omnibus cumulum imponit universalis Ecclesiae consensio hunc librum Esdrae nomine inscriptum inter sacros atque divinos perpetuo recensentis, cuius auctoritas talis ac tanta est, ut allata modo argumenta supervacanea efficiat, rectius, eorum veritatem implicite, ut aiunt, et indirecte demonstret.

(*a*) IV, 4-24 cum Agg. I, 2-4.
(*b*) III, 12 cum Agg. II, 4.
(*c*) VII cum Neh. VIII.
(*d*) IX-X cum Neh. X, 2.
(*e*) Carpzov, Intr. ad lib. hist. V. T. p. I, c. XVIII, § VIII. Cf. Scholz, Einl. 2. Th. § 114-117.

CAPUT VIII.

DE LIBRO NEHEMIAE

ARTICULUS UNICUS

Auctor, aetas et fides.

CXXXIX. Nehemiam operis suo nomine inscripti (*a*), sin minus quod ad singulas partes, saltem quod ad earumdem compositionem, in totum auctorem esse, multae valdeque probabiles rationes faciunt: tenor scilicet narrationis, singulorum membrorum nexus atque consensio, idem sermonis color, unum scriptoris ingenium atque consilium; eamdem porro viam insistentes, quam modo de Esdrae libro disputantes ingressi sumus, hunc Nehemiae pariter tripartimur (I-VII, VIII-X, XI-XIII), et singillatim authenticum esse demonstramus. Ad primam sane pericopem quod pertinet, hanc nunc critici ferme omnes vel liberiores (*b*) uni scriptori et Nehemiae quidem adiudicant; cum enim auctor non solum styli proprietate tum ab Esdra (*c*), tum a

(*a*) I, 1. דִּבְרֵי נְחֶמְיָה Verba Nehemiae.

(*b*) Instar omnium sit de Wette, Einl. § 197.

(*c*) Ut cetera mittamus, ipse secus ac Esdras regis satrapumque epistolas, haud proprio horum sermone ad verbum descripsit, sed vel hebraice interpretatus est (VI, 6-7), vel omnino reliquas fecit (II, 7-9).

ceteris hagiographis aperte discriminetur, peculiares quasdam sibique proprias loquendi formas frequentius repetat (*a*), sed αὐτοπροσώπως (ex propria persona) iugiter loquatur; quae vero de eius fide mox sumus dicturi nos prohibeant quominus alienam personam ementitum fuisse existimemus, merito efficimus libri inscriptionem non tam de rebus a Nehemia gestis quam ab eodem in hac pericope descriptis esse intelligendam. Verum quidem est quod versus VII, 6-73 ex antiquiori documento excerpti sunt; at a Nehemia operi suo insertos ex horum ad illius consilium responsu, et cum praecedentibus coniunctione iure argumentamur: nec enim isti a superioribus separari queunt quin manca et hiulca exsistat narratio; nec quidquam opportunius Nehemiae obtingere poterat ad vacuam urbem civibus frequentandam, quam familiarum recensum, quae primum ibi consederant, ante congenerum coaevorum oculos ad imitandum proponere (*b*). – Sed enim alteram pone sequentem ab ipso, sin minus conscriptam (*c*), saltem priori sub-

(*a*) Neh. II, 8, 12, 18, 20, IV, 4, 5, 13, 19, VI, 9, 14, 16, VII, 5.

(*b*) Cf. VII, 5-6.

(*c*) Huius Esdram Haevernick (Einl. § 187) auctorem facit, non ideo quod de Nehemia ex tertia persona sermo sit; id enim scriptoris diversitatem haud necessario deprehendit (cf. pag. 420-21 not. (*a*)); neque quod serius descripta videatur; quos namque eventus ipsa complectitur prioris compositioni anteriores sunt (cf. V, 14), insuper intima capp. VII et XI coniunctio eamdem et intermediis assignat aetatem: verum 1.° propter styli sermonisque diversitatem, eiusque singularem cum Esdrae et Paralipomenôn elocutione convenientiam; sic VII, 73-VIII, 1 (hebraice) ad verbum pene cum Esdr. III, 1 consentit; frequens

iectam fuisse pro certo habendum est, quippequae cum ea complectitur, quorum ipse testis fuit, imo

et hîc habetur Pentateuchi citatio (cf. ex. c. VIII, 1, 14 cum I. Par. XVI, 40, XXI, 13 etc. Esdr. III, 2, VI, 18); vivida festivitatis (cf. VIII, 12, 17 cum II. Par. XXX, 25, Esdr. VI, 22), hyperbolica solemnitatum (cf. VIII, 17 cum II. Par. XXX, 26, XXXV, 18), diligens Levitarum, eorumque redituum, munerum, rerumque sacrarum descriptio (cf. X, 2 seq. cum I. Par. XVI, 40, II. Par. XIII, 11, XXIII, 18, XXXI, 3, Esdr. III, 2-5); similis precatio (cf. IX cum Esdr. IX), recensus (cf. VIII, 4, 7, IX, 4, X, 2 seq. cum I. Par. I-IX, Esdr. VII, 1-5, VIII, X, 20 seq.); nomina יְהֹוָה *Iehova*, אֲדֹנָי *Adonai*, אֱלֹהִים *Elohim*, quorum primum semel, alterum bis (I, II, IV, 8), tertium generatim de Deo in reliqua libri parte usurpatur, in hac ut in Esdrae libro, promiscue, tum singillatim, tum coniuncte adhibentur; quod ad vocum, dictionumque similitudinem, cf. מְבִינִים de levitis docentibus VIII, 7, 9, X, 29 cum I. Par. XV, 22, XXV, 8, XXVII, 32, Esdr. VIII, 16, חֶדְוָה gaudium VIII, 10 cum I. Par. XVI, 27, Esdr. VI, 16, נִבְדַּל seiunctus est IX, 2, X, 29 cum Esdr. VI, 21, IX, X, 11, מִחְיָה vitae conservatio IX, 6 cum II. Par. XIV, 12, Esdr. IX, 8, 9, עַבְדוּת servitus IX, 17 cum Esdr. IX, 8, 9, הֶעֱבִיר קוֹל proclamari iussit VIII, 15 cum Esdr. I, 1, X, 7, עַמֵּי הָאֲרָצוֹת populi terrae IX, 30, X, 29 cum II. Par. XIII, 9, XVII, 10, Esdr. III, 3, IX, 1, 2, 11, אָכַל אֶת־טוּב הָאָרֶץ terrae ubertate fructus est IX, 35, 36 cum Esdr. IX, 12, עִתִּים מְזֻמָּנִים stata tempora X, 35 cum Esdr. X, 14, כֹּהֲנִים הַמְשָׁרְתִים בְּבֵית אֱלֹהֵינוּ sacerdotes ministrantes in domo Dei nostri X, 38 cum Esdr. VIII, 17 etc.; 2.° quod facilius intelligitur, quare Esdras inter foederis subscriptores haud recenseatur (X, 2-27), in quo feriendo priores illi partes concessae sunt (VIII, 2, seq.), ubi ponatur haec acta ab ipso descripta; omnium siquidem nomine pluraliter locutus (IX, 38 - X, 39), hac generali formula et suum complectebatur. Quae tamen non omnibus probantur; sunt enim quibus styli sermonisque varietas ex materiae diversitate repetenda, illius autem cum Esdrae elocutione convenientia coaevo quidem, neutiquam eidem omnino scriptori tribuenda videatur (Welte, Einl. 2. Th. 1. Abth. S. 245-6); cur vero Esdrae subscriptio desideretur, hanc afferunt causam, quod foederis sanctioni forsan interesse nequivit, vel quod generatim non tam propria singulorum, quam

praecipuus auctor et consiliator (*a*), tum praescriptis necessario continuatur; conventum siquidem VII, 5 indictum revera habitum fuisse VIII, I dumtaxat comperimus. – Postrema denique priores duas absolvit atque conglutinat, reducum enim censu prolato ut Hierosolymitanae familiae innotescerent (VII, 6, seq.), excito religionis ac patriae caritatis studio (VIII-X), principes et populares laudantur, qui sorte, vel suamet sponte desertam metropolim inhabitarunt (XI), varii dein, variisque temporibus instituti Sacerdotum, Levitarum, summorumque Pontificum recensus (XII, 1-9, 10-11, 12-26) commode iis praemittuntur quae de solemni eorumdem pompa in murorum dedicatione, deque optima populi in illorum voluntate subiungenda sunt (27, seq.); sequentes porro eventus, quos absens Nehemias haud vidit (XIII, 1-5), at a probatis testibus facile percepit, tam arcte superioribus ac consequentibus (6-31) cohaerent, quorum ipse testis fuit, iterumque *αὐτοπρόσωπος* exponit, ut supremae huius particulae et ipse auctor habendus sit; restat igitur ut integrum opus eidem asseramus.

communia familiarum nomina perscriberentur; nec verisimillimum putant hanc pericopem Esdrae libro non insertam, vel inde divulsam atque a Nehemia, non suo more (cf. VII, 5-73 cum Esdr. II, 1-70), vel descriptam vel relatam fuisse. Verum haec postrema ratio sublesta est, potuit enim Esdras, suo iam libro vulgato, quaedam adhuc conscribere, quibus inabsolutae suae historiae perfector aeque apte usus sit, ac inepte fecisset, si neglecto authentico antiquae recensionis documento, compendiatum Esdrae apographum descripsisset.

(*a*) VIII, 9, IX, 38 - X, 1.

Huic tamen sententiae multi adversati sunt, hodieque contradicunt: alii siquidem Esdrae adiudicarunt, uti auctor synopseos Athanasio tributae, Chrysostomus, Beda; recentiorum quamplures a seriori scriptore compositum aut interpolatum arbitrati sunt. Prioris opinionis falsitas manifesta est, utpotequae huic tantum rationi innititur, quod uterque Esdrae et Nehemiae liber unum olim volumen componeret, unoque Esdrae nomine designaretur. Praecipuum posterioris fundamentum in eo est, quod Esdras et Nehemias eorumdem temporum, atque laborum socii et consortes (VIII-XIII) falso exhibeantur, siquidem iam ante huius adventum ille occubuerat (*a*); nec sane vivo ipso tanta rerum afflictio, morumque perversitas obtinere (II, V, IX), nec eius gesta Nehemias praeterire, nomenque ipsum silere potuisset (I-VII, IX, 38-X, 1, seq.); sed et absurdum tunc primum Esdram Mosaica lege Hebraeos instituisse, ad cuius praescripta iampridem eorum mores emendaverat (Esdr. IX-X); unde conficiunt pericopem VIII-X vel antiquum esse documentum quo Nehemias usus sit ut Esdrae exemplum et auctoritatem castigationis suae severitati obtenderet (XIII, 23, 27), a recentiori autem, Nehemiae nomine temere inducto (VIII, 9, X, 1 coll. cum apocrypho III. Esdr. IX, 50) interpolatum, vel Esdrae libri conclusionem forte inde distractam, vel demum Seleucidarum aut Machabaeorum contemporalis figmentum qui Neh. VII, 6-73 cum Esdr. II similitudine deceptus hanc VIII-X particulam Esdr. III consentaneam operi a se compacto aut interpolato tamquam complementum appinxerit, quae contra orationis tenorem intercipit, rerumque nexum (cf. VII, 5 cum XI, 1, seq.) abrumpit, et Esdrae narrationi (cf. VIII, 17 cum Esdr. III, 4) adversatur (*b*): similiter

(*a*) Ios. Flav. Antiq. lib. XI, c. V, § 5, 6.

(*b*) Spinoza, OEder opp. sup. citt. pag. 416 not. (*b*), Michaëlis Uebers. d A. T. Th. XIII, S. 42, 62, ff. Schulz, schol. in V. T. tom. III, pag. 375,

census iam antea descripti, sic enim indicant, perversa aut inutilis repetitio (*a*), elocutionis rerumque similitudo quam particula VIII-X ad alteram XII, 42 - XIII, 3 habet, pugnantia quae hanc inter et insequentem XIII, 23-27 intercedit, tanta rerum mutatio breviter inducta (*b*), concisa versuum 10, 11, 22 compositio, absurdaque Darii Codomanni, Ieddoae, Zorobabelis, Sanaballat et Nehemiae (συγχρονισμός) aequalitas (*c*) totidem, aiunt, indicia sunt quae librum recens editum aut interpolatum fuisse demonstrant. - Verum si horum unum et alterum excipias quae vel cordatioribus probabilia videntur, pleraque frivola atque futilia sunt: re quidem vera, Esdras ante secundum Nehemiae reditum, neutiquam ante primum eius adventum excessit e vita; Iosephi autem testimonium nihili ducimus, quippe persicae historiae ignarus illius aevi rationes quam frequenter perturbat (*d*), imo III. Esdrae libro, unde plurima mutuatur, nunc imprudens contradicit (*e*), nunc, festinanter perlecto, auctoris sensum non assequitur; cum enim ibidem (IX, 37, seq.) proxime Esdrae gestis Nehemiae narratio continuetur, idemque non proprio nomine, sed Atharathes simpliciter nuncupetur (ib. 50), forsan Iosephus hac nominis diversitate deceptus eumdem alium a Nehemia, huncque factis enarratis multo posteriorem iudicavit. Tredecim vero annorum spatium quot inter Esdrae et Nehemiae adventum

395, seq. Dathe ad lib. Neh. p. 890, Iahn, Einl. II. B., I Abth. S. 293, Gesenius zu Ies. I, S. 22, Bertholdt, Einl. S. 1023, ff. Augusti, Einl. § 151, de Wette, Einl. § 197.

(*a*) Cf. Neh. XI cum I. Par. IX, Neh. XII cum VII, 7, seq.

(*b*) XIII, 6, 7, seq.

(*c*) XII, 22, 46, XIII, 28.

(*d*) Brink, Examen hist. etc. apud Ios. Flav. opera ed. Haverkamp, tom. II, p. 303, seq.

(*e*) Sic, contra quam III. Esdr. VIII, 1 legimus, Nehemiam sub Xerxe Ierusalem rediisse tradit Antiq. lib. XI, c. V, § 7, quod evidenter falsum est, v. inf. pag. 439 not. (*a*).

fluxerunt (*a*), nec adeo longum profecto est, ut ambo

(*a*) Artaxerxis nomine, cuius VII regni anno Esdras, XX Nehemias Ierusalem adventasse, hic vero XXXII exinde ad illum rediisse, paulloque post ab eodem iterum discessisse dicitur (Esdr. VII, 8, Neh. II, 1, XIII, 6) non Xerxem aut Mnemonem, sed Longimanum intelligendum esse iam in confessum venit (V. Gesen. Thes. p. 156), id sane nominis similitudo et temporum rationes suadent *, quandoquidem Xerxis regnum non XXX, sed XXI tantum annos duravit, nec huius aetate Nehemias plures post Zorobabelem, eosque illaudabiles in praefectura decessores (V, 15) habere potuisset; Mnemonis autem temporibus nec Eliasib tertii post exsilium pontificis (III, 1, 20-21, XII, 10), nec Raphaiae, Semaiae (III, 9, 30 coll. cum I. Par. III, 21-22, v. sup. pag. 361-62), Mathaniae, Becbeciae, Obediae, Mosollam, Thelmon, Acub (XII, 25 coll. cum I. Par. IX, 15-18, Esdr. II, 42) **, Esdraeque contemporaneus esse potuisset, cuius praesertim aequalitatem nimis frequenter memorat (VIII, 9, XII, 26, 35), quam ut interpolationis indicium habendum sit. Nec contra est, quod filii Iosue, sacerdotis a Nabuchodonosore in exsilium abducti cumque Zorobabele inde reversi (Esdr. II, 1-2, III, 8-9), iamque proinde centenarii, inepte inter eos recenserentur qui recens cum alienigenis nupserant (ib. X,

* *Ordo temporum ac series regum Persarum*
a Cyro ad Alexandrum M.

	An. a. Chr.
Cyrus Medorum et Babylonensium rex	536
Hoc anno Hebraei in libertatem asserti, numero plures duce Zorobabele Solyma revertuntur, anno sequenti templi fundamenta iaciunt, Esdr. I-III, 9.	
Cambyses	529
Smerdes	522
Darius Hystaspis	521
II huius regni anno intermissa templi aedificatio resumitur, VI perficitur, Esdr. IV, 24-VI, 15.	
Xerxes	486
Artaxerxes Longimanus	465
Anno inde VII Esdras, XX Nehemias cum sociis revertuntur, Esdr. VII, 8, Neh. II, 1.	
Xerxes II et Sogdianus	424
Darius Nothus	423
Artaxerxes Mnemon	404
Darius Ochus	359
Arses	338
Darius Codomannus	336
Alexander, Dario semel iterumque devicto, ac tandem proditorie a satrapis occiso, persicae dominationi finem facit	330

** Quod haec ac similia nomina hîc paullo aliter atque in parallelis locis descripta sint, vel amanuensium vitio, vel fluxae nominum pronuntiationi tribuendum est.

coaequales esse nequiverint, nec brevius videtur quam par sit, ut talis esse potuerit reipublicae status atque conditio: Esdras namque pietate quidem atque doctrina spectabilis, sed secus ac Nehemias nullo magistratu, aulicove munere potens, nec invidorum insidias fallere, vimque apertam repellere, nec rem publicam atque civilem, frequentibus tunc exterarum copiarum incursibus pessumdatam, firma ac sufficienti poterat áuctoritate curare: ad rem porro sacram quod pertinet, cui ex instituto cumprimis studebat, exhortatione ac doctrina, vitae integritate, fusisque ad Deum precibus, pietatis, virtutisque cultum honestioribus potuit persuadere; at nec pervicaces compescere, nec incuriosos poenaliter ad bonam frugem re-

18); neque, quod incredibile videatur, Xerxis proximi Dario successoris ac propensioris in Hebraeos voluntatis nullam fieri mentionem, unde perperam conficit Iahnius (l. c.), Esdram Xerxis contemporalem fuisse; hoc enim dato, quod ad primum, cum viginti tantum anni ex illorum grandaevitate essent subducendi (tot enim Xerxes Artaxerxe anterior est), peregrinae illae nuptiae neque in octogenarios quadrarent; verum expedita res erit si בְּנֵי filiorum nomine, ut saepe fit *, nepotes significentur, quod reapse in Iosue, Emmer, Harim et Pheshur filios cadere, incredibilis horum numerus aperte declarat (cf. Esdr. x, 18-22 cum ii, 36-39, Neh. vii, 39-42): quod ad alterum, cum auctor ex Persarum regum historia illa tantum attingat quae ad reducum sortem, speciatim vero quae ad instauratam theocratiae conditionem respiciunt, ab re fuisset alia commemorare; praeterea, si de adversariorum sententia eorum omissio, quae xxxvi annorum spatio, a vi Darii ad vii Xerxis contigissent, non repugnaret, nec absurdum erit quae paullo longiori, nempe lvii annorum, intervallo a vi Darii ad vii Artaxerxis evenerunt (Esdr. vi, 15-vii, 8), silentio praeterita fuisse; imo consimilis praetermissio hagiographis non universalem gentis, sed singularem divinae providentiae historiam conscribentibus quam frequentissima; sic de iis quae a Iacobi obitu ad Mosem, ab anno ii post exitum ex Ægypto ad xl acciderunt, oppido pauca narrantur, quod in diuturniorem nonnullorum Hebraeorum regum dominatum aeque convenit, cf. iv. Reg. xv, 1-7.

* Ex. c. Esdr. v, 1 coll. cum Zach. i, 1; cf. Iudith. viii, 1, Matth. i, 1.

vocare (*a*). Itaque Nehemias Iudaeae praefectus politica atque strategica sui gesta (I-VII) expositurus, inopportune ibidem pia doctoris et sacerdotis Esdrae merita commemorasset; quod vero huius nomen etiam inferius (x, 1, seq.) omissum sit, probabilem causam superius attulimus (*b*); verum nec tantum sub Nehemia legis audiendae atque exsequendae studium, nec tam subita principum plebisque emendatio obtinere potuisset (VIII-X), nisi primum Esdrae cura et exemplo edocti fuissent atque instituti; alioquin legis lectionem haud instanter adeo postulassent, praeceptisque antea inauditis tam vehementer permoveri potuissent. - Hisce disiectis, cetera corruunt, nulla enim causa est quare Nehemiam Esdrae narrationem persecuturum, illius conclusionem aut antiquum documentum, ordine temporumque rationibus perversis, inscite adeo in suum opus retulisse, aut Nehemiae nomen a recentiori ibidem insertum existimemus, eo vel maxime quod hoc et alibi geminatur (XII, 26, 35), eoque demto (x, 1) non cohaeret oratio: III vero Esdrae libri silentium nihili facimus, quippe apocryphi nec eiusdem quae nostri auctoritatis; praesertim cum Nehemiae narrationem nec fideliter, nec ad verbum describere, insuper et nomina commutare ac pervertere solitus sit; quamobrem verisimile est, omisso Nehemiae, unoque Athersathae nomine relato (LXX contrario primum illud dumtaxat reddiderunt), hoc in Atharathem immutasse, sicut antea Sassabasar in Salmanasar, Reum Beelteem in Balthemum et Rathimum, Thathanai in Sisennem converterat (*c*). - Pariter nexus inter capita VII et VIII-X neque fortuitus, neque artificiosus est, sed naturalis; quid namque prohibet quominus post septem iterum annos, iamque reverso Nehemia, tabernacu-

(*a*) Cf. Esdr. IX cum Neh. XIII, 6, seq.

(*b*) V. pag. 435, in nota.

(*c*) Cf. Esdr. I, 8, V, 3, IV, 8 cum III. Esdr. II, 12, 16, VI, 3.

lorum festum ad Mosis praescriptum denuo celebratum, proindeque eadem qua antea ratione descriptum sit? e contrario, qui primum illud ad verbum referre voluisset, profecto ab ulla cum superioribus comparatione superaddenda temperasset: comparationem, dixi: nec enim scriptor affirmat hanc solemnitatem inde a Iosuae temporibus intermissam fuisse, sed nunquam tanto gaudio tantaque festivitate, quanta Hebraeorum fuit, et cum primum Palaestinam occuparunt, et cum restituta firmataque libertate, eamdem repetierunt: orationis autem tenor nonnihil quidem dissolutus, neque tamen abruptus, perturbatus, aut a receptis tum scribendi legibus absonus; nec aliena sunt quae VII, 5-XI interiiciuntur; quodsi ab re fuissent, certe nec Nehemias multoque minus sequior scriptor ibidem illa collocasset. - Descriptio eorum qui primi post reditum Ierusalem consederunt, posteris quibus maxime hagiographus studebat, valde opportuna, aequalibus haud erat intempestiva, quippe nec omnino recens cum liber ederetur, et partim ex antiquiori documento desumta, unde et suum Chronicorum auctor recensum, alium tamen ob finem excerpserat (*a*); siquidem ipse varia Levitarum genera et munera, resque eorum memorabiles cumprimis persecutus est (*b*); noster e diverso certam singulorum sedem, antiquam aut recentem, in urbe Solymorum eiusque vicinia definiendam assumit; quare in quibusdam nominibus cum illo consentit, quia recentiores familiae antiquo stirpis nomine saepius designabantur (*c*), in ceteris vero discrepat,

(*a*) Neh. XI, XII, 23, et I. Par. IX, 1, seq.

(*b*) I. Par. IX, 14, seq.

(*c*) Temere igitur Michaëlis et Schulz pericopem X, 2-27 non suo loco positam arbitrati sunt (Commentt. in h. l.), propterea quod hic Nehemiae coaevi iisdem ferme ac primi reduces (Esdr. II, Neh. VII) nominibus designentur; nam saepe nepotes maiorum nomina perennabant, quod non solum de Nehemiae, sed et de pluribus Zorobabelis contemporaneis intelligendum esse subductae mortalis aevi rationes

insuper nova quaedam adiuncta refert (*a*), cumque in temporis notatione accuratior sit, omnem a se perversitatis aut interpolationis suspicionem excludit. - Itidem caput vii a xii in eo discriminatur, quod illud reducum familias secundum originem denominatas exhibet, istud singularia Sacerdotum et Levitarum capita inibi omissa subiungit. - Nescimus cuinam prudenti insolens aut peregrinum videri queat quod similes identidem solemnitates recurrant, consimili propterea ratione describendae (*b*), aut qui semel in vetitum prolapsi sunt, in idem iterum iterumque relabantur: quamobrem, si Esdrae instauratio non obstiterat quominus Hebraeorum ulli illicita matrimonia paullo post iterarent, quae Nehemias adventans dissociavit; haud mirum erit si, hoc in Persidem regresso, cuius auctoritas audaciores cohibuerat, alia denuo inita sint, aut clanculum antea contracta patuerint, ab eodem patriam redeunti, severa in reos animadversione, dirimenda; cum vero utraque vice promissi antea dati nec servati nulla mentio facta sit, colligimus historicum presso dicendi genere usum nec temere id, nec pugnanter, sed apte consultoque fecisse (*c*). - Iam enim ex praescriptis consequitur, haud multum temporis necesse fuisse ut remota paullisper prae-

ad liquidum confessumque perducunt; e contrario vivis adhuc parentibus nonnunquam et primogeniti suo quique nomine describebantur. Cf. ex. c. i. Par. xxiv, 27-28 cum Neh. xii, 12, seq.

(*a*) xii, 23-25, seq.

(*b*) Negamus tamen peculiarem hîc Nehemiae stylum desiderari; ipsius enim proprium est נְשָׁכוֹת templi conclavia (iii, 30, xii, 44, xiii, 7) pro לְשָׁכוֹת (i. Par. ix, 26, Esdr. viii, 29, Neh. x, 38), מְנָיוֹת מְנָאוֹת partes (xii, 44, 47, xiii, 10) pro מְנוֹת (ii. Par. xiii, 19, Neh. viii, 10, 12), אֱלֹהִים pro יְהוָֹה iugiter usurpare, quod postremum xiii, 1-2 eo magis notandum, quod hic locus ad alterum Deuter. xxiii, 3, seq. respiciat ubi יְהוָֹה adhibetur.

(c) Cf. Neh. xiii, 23-27 cum x, 30, Esdr. ix-x.

fecti auctoritate, Esdra interim vita functo, tot illa malefacta prodirent, quae rursus Nehemias abstulit et emendavit; locutio tamen לְקֵץ יָמִים *in fine dierum* (XIII, 6) ut minimum de anno accipitur (*a*), ita hîc, quippe indefinita, de longiori temporis spatio commode potest interpretari. - At eo ipso quod ad breve abfuerit, promtiusque redierit, nulla erat necessitas absentiae causam declarandi, reditusque tempus accuratius ut antea (*b*) definiendi; porro narratio continua est, non abrupta, ut necessarius XIII, 6-7 nexus ostendit: similiter XII, 10, 11, 22 nonnihil quidem soluti atque praecisi sunt; at haec totius ferme pericopes 1-26 ratio est, utpote ex annalibus (v. 23) decerptae; eadem porro ratione, qua haec cum v. 27, seq. apte connectitur, ita vv. 22-23 arcte cohaerent (in hoc enim declaratur ubinam Levitae in priori laudati descripti sint), et vv. 28-29 c. XIII individui sunt (*c*). - Quod demum ad pugnantem variorum aequalitatem attinet: 1.° cum Nehemias provectiori senectute decesserit (*d*), et viridi adhuc aetate Ierusalem reversus sit, iuniores nimirum cumprimis aulico pocillatoris ministerio deligebantur, fac vitam inde per LXX circiter annos produxisse; potuit profecto Eliasib, se primum redeunte, Pontificis (*e*) pronepotem Ieddoam prima sub Dario Notho iuventa florentem videre, hicque ipse ad summam senectutem provectus Alexandro

(*a*) Cf. Num. IX, 22, Iud. XVII, 10, XXI, 19, II. Par. XXI, 19.

(*b*) Neh. I, 1, II, 1. Notandum ibidem mensem Casleu antecedere Nisan, vel quia sermo est de anno civili, cuius ille tertius, hic septimus erat mensis, vel quia duo illi menses duplicis anni sacri ad unum Artaxerxis regni annum respondere potuerunt.

(*c*) Nec a vero abludere videtur, quae obiter hîc atque strictim noster attingit exinde depromsisse ubi fusius illa fuerat persecutus, ex *descriptionibus* scilicet et *commentariis* (II. Mach. II, 13), quae *Nehemiae* nomine insignita sunt, cum propterea quod eius gesta referebant, tum probabiliter quia ab ipso condita fuerant.

(*d*) Ios. Antiq. lib. XI, c. V, § 6.

(*e*) Neh. III, 1.

Ierusalem ingressuro aetate gravis obviam ire (*a*): verum quidem est quod a Cyro ad Alexandrum, ducentum fere annorum spatio, quinque tantum Pontifices numerarentur, qui singillatim annos quadraginta in officio durassent, quod Iudaicae supputationi adversatur quae Ioiadae triginta duos, Iaddoae viginti tantum assignat; at enim cum haec nulli sat firmo solidoque fundamento innitatur (*b*), imo non parum artificiosa sit, hanc secure deserimus. 2.° Adiectivum *Persa* aeque in Darium Nothum atque in Codomannum convenit, non est enim epitheton nominalis distinctionis, sed dignitatis, perinde ac titulus *rex Persarum* Cyri, Darii Hystaspis, Artaxerxis nominibus appositus; vel antitheton gentis, Levitae namque quater recensiti dicuntur sub *Iudaicis Pontificibus*, contra Sacerdotes dudum et semel sub rege *Persa*. 3.° Iosephi testimonium qui generum Sanaballat Manassem nominat, et Ieddoae fratrem necnon Darii Codomanni aequalem facit (*c*), nullius est ponderis, quippe tenuioris, uti notavimus, hac in re fidei; sane cum templum in monte Garizim sub Alexandro excitatum ponat, et cum hoc incepto Manassis expulsionem coniungat, mirum ne hanc ad recentiorem quam potuit aetatem transtulisse? 4.° Qui ex Neh. XII, 46 colligunt Nehemiam et Zorobabelem contemporaneos exhiberi, haud ineptius ex v. 44 Davidem et Salomonem una simul regnavisse argumentarentur; neque enim oratione connexa necessario contemporalia sunt. -

(*a*) Ios. Antiq. lib. XI, c. VIII, § 4. Scilicet Nehemias ab anno a. Chr. 495 ad 400, Ieddoa a 420 ad 332 circiter vitam agitans, nonagenarius uterque, ille primae istius aetatis, hic extremae illius senectae parumper aequalis esse potuit (cf. sup. p. 439 *); neque tamen una nominis similitudo sufficit, ut hic idem atque a Nehemia laudatus habendus sit.

(*b*) Scripturarum siquidem atque Iosephi silentio male supplent recentiores chronographi, qui hac super re diversi abeunt, ut Chronicon Paschale, p. 356, 390, Syncellus, p. 472, 484. ed. Dindorf. Cf. Petav. de doctr. temp. lib. X. c. 48, Seldenus, de success. in pontif. l. II. c. 7.

(*c*) Loc. cit. § 1, 4.

Ceterum, qui unum aut alterum horum locorum a recentiori hagiographo insertum fuisse contendunt, nihil de libri authenticitate et auctoritate propterea detrahunt (*a*); at quominus ad ullius libidinem interpolatum dicamus, obstat perpetuum Hebraeorum in sacras litteras studium, ac religiosissima observantia.

CXL. Quo sane in pretio tale opus ab Hebraeis atque Christianis habitum sit, exinde apparet quod illi hunc et Esdrae librum in idem olim volumen compegerint, isti sub communi Esdrae nomine antiquitus etiam designaverint (*b*), accuratius dein unum ab altero secernentes eamdem, nimirum divinam, auctoritatem et huic asseruerint, quam interna libri indicia, externaque testimonia magis magisque, oblique saltem, confirmant. Plurima scilicet Nehemiae pincernae apud regem gratia, praefecti dignitas, tribunorum equitumque comitatus, multiplex famulitium, splendida ac liberalis mensa Persarum usibus consona sunt (*c*); Solymorum ruinae, moeniorum pridem a Zorobabele refectorum subversio, pessima populi conditio tributis, vectigalibus regi praefectisque praestandis gravati, impedimenta a finitimis satrapis, regis auctoritate susquedeque habita, Nehemiae inceptis obiecta, cum

(*a*) Haec Weltii, Einl. Th. 1, S. 246-47, Scholzii, Einl. 2. Th., S. 501-2 sententia. Cf. sup. pag. 16.

(*b*) In Canone Melitonis Episcopi Sardensis apud Euseb. hist. eccl. l. IV, c. 26.

(*c*) Cf. Neh. I, 1, II, 1-9, V, 17-18 cum Xenoph. Cyrop. lib. I, c. III, § 8.

frequentibus tunc horum rebellionibus, tum variis Persarum, Graecorum et Ægyptiorum inter se dimicantium in Syriam ac Palaestinam incursibus, immodicis copiarum sumtibus, incredibili regis et aulicorum luxui respondent (*a*); celeritas in muris Ierusalem instaurandis nec nova nec inaudita (*b*); variorum quaestiones atque responsus rerum ac personarum adiunctis conveniunt; reducum recensiones, solemnitates et preces, praeteritorum eventuum, prodigialium praesertim, recordatio cum Mosaicae religionis instituto, Hebraeorum ingenio ac superiori eorumdem historia consentiunt (*c*); Solymae topographia singularem veritatem deprehendit, et cum antiquioribus ac recentioribus urbis, viciniaeque descriptionibus pro tanta temporum intercapedine ac varietate, mire concordat (*d*). Hisce omnibus accedit egregia scriptoris indoles, cuius flagrantissima in patriam caritas, liberalitas, prudentia, firmitas, iusti amor et recti, pietatis ac religionis studium (*e*) animum in eius admirationem

(*a*) Cf. Neh. I, 1-3, II, 13, 17 (coll. cum Esdr. IV, 12), V, 15, IX, 36-37; II, 10, 19, IV, VI cum Herod. lib. I, c. 192, lib. III, c. 90, Xenoph. Anab. lib. I, c. I, Ctesias, Pers. c. XXII, XXIII.

(*b*) Cf. Neh. V, 15 cum Arrian. de exped. Alexand. l. IV. Curtius, lib. VII, c. 6. Caesar, de bello Gall. l. 1. Ioseph. Fl. de bello Iud. lib. VI, c. XIII.

(*c*) Neh. II, 20, VI, 1-12; VII, 11, seq. (coll. cum I. Par. IX, Esdr. II); I, 5-11 (coll. cum Deuter. XXVIII, 64, XXX, 1-5), V, 1-5, IX.

(*d*) Cf. Neh. II, 8, 12-15, III, IV, 7, XII, 31-40 cum Scholz, Commentatio de Hierosolymae singularumque illius partium situ et ambitu, Bonnae 1835, Reise nach Ægypten, Palaestina etc. S. 171, ff. Einl. 2. Th. S. 506-8.

(*e*) Neh. II, 3, 17, IV, 13-14, V, 1-9, 10, 14, 16, 18, VI, 11, VII, 1-4, VIII, 9, X, 1, XIII, 6-31. Haec reputare debuisset Shaftesbury

rapit, mentem ad fidem ipsi adhibendam flectit, quam Ecclesiastici (*a*) testificatio corroborat, firmissima Ecclesiae auctoritas indubiam facit.

qui (Characteristiks, vol. I. p. 98) sacras litteras propter patriae amorem illaudatum criminatur; nec aequiorem se praestitit Eichhorn (Einl. B. III, S. 626) qui Nehemiae vanitatem, ultionisque cupidinem exprobrat, minusque virtutis quam huiusce praemiorum studiosum exhibet; nihil enim aliud Nehemias optavit (v, 19, VI, 14, XIII, 14, 22, 31), quam quae Iehova expresse pollicitus fuerat, quaeque ad eius gloriam et Nehemiae auctoritatem tum apud exteros, tum apud Hebraeos tuendam, tunc maxime necessaria erant; ut nempe bene vel male factorum praemia vel poenae et hîc in terris certa omnibus ac manifestissima forent; quare neutiquam reorum impoenitentiam deprecatus est (IV, 4-5, XIII, 29), sed ne venia impoenitentibus data, scelesti cornua sumerent, piosque contemnerent, imo Deum ipsum despicatum haberent.

(*a*) Eccli. XLIX, 15.

CAPUT IX.

DE LIBRO TOBIAE

ARTICULUS UNICUS

Libri nomen, auctor, aetas,
exemplaris necnon versionum fides.

CXLI. Uti Ruthae libellus Iudicum historiae appositum parergon et venustissimum *episodion* est, ita Esdrae et Nehemiae libris laetum Babylonicae captivitatis exitum et Iudaicae reipublicae instaurationem enarrantibus convenienter (iuxta Catholicorum ordinem) Tobiae liber continuatur, qui parentis natique Israëlitae pietatem exhibens Assyriacae exsulationis temporibus rebus primum adversis periclitatam, mox prosperis atque secundis remuneratam, fidem facit eamdem numinis providentiam, generalem totius gentis perinde ac singularem privatorum, nec Iudaeorum magis quam Israëlitarum, sed et aliorum populorum sortem moderatam fuisse: qua enim ratione venti vehementiores pestiferos vapores disiiciunt et una simul tenella fructuosiorum arborum ac suaveolentium

florum semina in remotissimas sterilesque plagas diffundunt; barbarorum in excultiorum sedes incursu horum licentia, illorum feritas pariter emendantur; ita dum Hebraei in scelerum poenam hac illac apud finitimos dissipati ad meliorem frugem magna mercede revocabantur, horum pientiores spectabili integerrimae virtutis exemplo exteris praelucentes, illos ad Iehovae notitiam, eiusque legis venerationem paullatim trahebant, viamque quodammodo Apostolorum dein praedicationi parabant (*a*). – Libri titulus ab eorum, quorum casus exponit, nomine desumtus est, quare graece βίβλος λόγων Τωβίτ liber gestorum Tobit (*b*) inscribitur; utrum vero iisdem auctoribus sit attribuendus neutiquam exploratum, verumtamen valde probabile existimamus (*c*); quandoquidem non modo

(*a*) Sic mediis temporibus, Byzantio fatali Graecorum ignavia atque discordia devicto et subacto, horum doctiores per Europam dispersi, humaniorum, graecarum cumprimis, litterarum studia quaquaversus provexerunt. Cf. Schlegel, Philosophie de l'histoire, lect. xv.

(*b*) Graecus et Syrus interpretes filium Tobiam, patrem nuncupant Tobit, quae nominis diversitas ex similis litterae permutatione (ת pro ה proindeque טוֹבִית pro טוֹבִיָּה *bonum meum* vel *salus mea Deus*) potuit exsistere; alii putant Τωβίτ ex טוֹבִי et τ prosthetico, ut in Ἐλισάβετ, Γεννησαρέτ coaluisse; Vulgatus contra non modo parentem et filium eodem Tobiae nomine donat, sed expresse tradit ipsum patris nomen filio impositum fuisse I, 9.

(*c*) Nobiscum faciunt antiquiores praesertim critici, XIII priora capita Tobiae seniori, ultimum iuniori adiudicantes, demtis postremis duobus aut quatuor versiculis a seriori quodam scriptore superadditis. V. Serarius in sacros div. bibl. libros Tobiam, etc. p. 1. Huet. Dem. Ev. prop. IV. c. XIV. Grotius, Annotatt. in V. T. ed. Vogel. III, 1. Goldhagen, Introductio etc. II. p. 128.

senior sub narrationis initio *αὐτοπρόσωπος* loquens inducitur, sed et hymnum descripsisse, unaque simul cum filio reliqua conscribendi mandatum dicitur accepisse, quod incassum fuisse haud secus absonum cogitare, ac suprema fatidici parentis verba a filio superstite inscripta labili hominum memoriae fluxaeque traditioni permissa fuisse (*a*); iam enim si quaedam verisimiliter (*b*) scripserunt, nulla causa est cur libri compositionem alteri attribuamus, eo vel maxime quod chaldaicus sermo, quo authenticum exemplar exaratum fuisse videtur (v. § seq.), auctorem factis tempore locoque proximum ostendit, stylus autem et dictio in utrumque Tobiam quippe Mosaicae legis quamstudiosissimos atque in prophetarum lectione diu multumque versatos egregie conveniunt.

Nec sane quidquam ponderis habent quae in contrarium opponuntur; quasi nempe scriptor recentiorem sui aetatem ideo deprehendat, quod antiquitatis ignarus Sennacheribum uti proximum Salmanasaris successorem, Rages vero exstructionem, drachmarum usum, Angelorum denominationem et ordinem, Amanisque casum praepostere praevertat (*c*). Haec namque critici indiligentis aut ineru-

(*a*) V. I, I-III, 6; XII, 20; XIII, 1, graece: hanc versionem a Flaminio Nobilio latine redditam videsis apud Vence, S. Bible Tom. VIII, 5.[e] édit.

(*b*) Dixissem *certo*, si Vulgatus hisce in locis cum graeco interprete consentiret; neque tamen illius diversitas argumentationem nostram infirmat, dato enim quod Graecus liberius textum reddiderit, communem sane, et quidem probabilem, aequalium sententiam significavit.

(*c*) Vulg. I, 18, 16, XII, 15; graec. I, 15, 14, V, 14, XII, 15, XIV, 10.

diti errata, nequaquam auctoris vitia sunt, qui expositurus quae dudum, Salmanasare exstincto, sub Sennacheribo ipsius filio contigerant, nullam intermedii Sargonis (*a*), verisimiliter eiusdem fratris, mentionem facere debuit, praesertim cum ad breve tempus regnavisse videatur (*b*). Pariter Seleucus Nicator Ragem non ipse primus excitavit, sed urbem iuxta Persarum traditionem antiquissimam (*c*), iamque Alexandri temporibus insignem Rhagianae provinciae locum (*d*), terraemotu bellove vastatam restituit atque Europon nominavit (*e*); quam iterum Arsaces instaurans, Arsaciam dixit; postea tamen primitivum nomen reviviscens, sub *Rai* ري nomine ceu ampla et frequens a sequioribus Arabis scriptoribus ad x usque saeculum laudatur, et etiam nunc late patentes eiusdem ruinae ad Teherani vulturnum invisuntur (*f*). Similiter recentiorem monetam unus memorat graecus interpres, hebraicam vocem בֶּקַע (dimidium siclum) drachmam reddere solitus (*g*). Opinio autem de septem *Amschaspands* fulgidum Oromasdis thronum circumstantibus, iuxta quam Darius Hystaspis

(*a*) Is. xx, 1 coll. cum iv. Reg. xviii, 17.

(*b*) Si graecus secus ac Vulgatus Sennacheribum patri immediate successisse tradit, hoc interpreti vitio vertendum est.

(*c*) Hanc ponunt ab *Huschengio Caiomorthis* primi Persarum regis nepote aedificatam, atque in *Vendidad* decimus beatorum locorum qui antiquioribus *iranicis* temporibus floruerunt Rhaghan appellatur. V. Anquetil du Perron, Zend-Avesta etc. Paris, 1771, tom. 1, P. ii, p. 269.

(*d*) Arrian., Exped. Alex. M. iii, 20.

(*e*) Strabo lib. xi, p. 524 ad Cass. Hanc ipse Ῥαγαί nuncupat; porro aedificare urbem et illi dicuntur, qui illam vel instaurant, vel muniunt, vel novis aedificiis augent aut exornant, cf. iv. Reg. xiv, 22, ii. Par. xi, 3, 6, Dan. iv, 27. Cf. sup. pag. 52, not. (*c*).

(*f*) V. itineraria W. Ouseley, S. Morier, speciatim Ker Porter Travels i, p. 358, seq.

(*g*) Cf. Gen. xxiv, 22, Ex. xxxviii, 26.

(rex enim numinis vicem praestare putabatur (*a*)) septem sibi satrapas circumdedit, ut antiquum Persarum placitum non autem novum Zoroastris inventum fuisse videtur, ita undelibet et quavis aetate orta sit ad Hebraeos transire nequivit, apud quos septenarii numeri religio, et de variis angelorum ordinibus persuasio multo ante assyriacam captivitatem obtinuit (*b*). - Quodsi angeli saepius antea visi nullum sibi nomen assumserunt, ne forte in *polytheismum* proclivioribus superstitiosi cultus occasionem praeberent, hoc periculo, ut illis captivitatis temporibus, longe remoto, ad exsulantium fidem in ubique praesentem Iehovae efficacitatem confirmandam, convenienter ea sibi delegerunt, quae ex Hebraeorum sermone derivata (*c*) nec nova, sed iam ante hominibus aliquando imposita (*d*), ex Chal-

(*a*) Sane Persarum reges et Dii audiebant, regioque apparatu Numinis sedem, qualem anticipata cognitione animo figuraverant, quoad eius fieri posset, exprimere conabantur; orientalibus siquidem persuasum erat terrena caelestium imaginem esse oportere, tantum abest ut haec ad illorum exemplar, quod nonnulli autumant, effinxerint. V. Baehr, Symbolik des Mosaischen Cultus I, S. 11-12, Hengstenberg, Beytraege I, S. 124-33, qui contrariam sententiam egregie refellunt.

(*b*) V. Is. VI, 1-3, cf. Gen. III, 24 cum Ezech. I, X; Gen. XXVIII, 12, XXXII, 2; Ios. V, 13-14 cum Dan. X, 13, XII, 1.

(*c*) Tob. XII, 15 Raphaël רְפָאֵל *medicina Dei;* Dan. VIII, 16 Gabriel גַּבְרִיאֵל *vir Dei*; ib. X, 13 Michaël מִיכָאֵל *quis instar Dei;* cf. et IV. Esdr. IV, 1 Uriel אוּרִיאֵל *flamma Dei.* Pariter Asmodaei nomen Tob. III, 8 perperam nonnulli ethymon habuisse autumant a persico آزمودن asmudan *tentare*, quandoquidem aptam originem suppeditet hebraicum שָׁמַד *perdidit*, quare אַשְׁמְדַי i. e. quod אֲבַדּוֹן Ἀπολλύων, Exterminans Apoc. IX, 11.

(*d*) Cf. Tob. XII, 15 cum II. Par. XXVI, 7; Dan. X, 13 cum Num. XIII, 14, I. Par. V, 13-14, VI, 40, VII, 3, VIII, 16, XII, 20, XXVII, 18, II. Par. XXI, 2, Esdr. VIII, 8; IV. Esdr. IV, 1 cum I. Par. VI, 24, XV, 5, 11, II. Par. XIII, 2.

daeorum placitis nullatenus repetenda sunt. Amanis demum historia, demto communi nomine, alia prorsus ab ea quae Esth. III-VII exponitur.

CXLII. Iamvero librum chaldaice compositum fuisse, interna et externa indicia confirmant (*a*); non modo enim graecae editionis color in universum *semiticus* est (*b*), *chaldaismis* aut *hebraismis* scatet qui in graecum potius interpretem quam auctorem conveniunt, iisque locutionibus quibus inepta significatio subiecta est, hebraice autem vel chaldaice translatis aptissima subest (*c*); sed quaedam errata hac etiam ratione commode explican-

(*a*) Haec plurimorum sententia; contra Serarius op. cit. p. 2. Ilgen, die Geschichte Tobi's etc. S. CXXIII, ff. Bertholdt, Einl. VI, S. 2501, ff. de Wette, Einl. S. 456-7, 6[e] Aufl. hebraice; Iahnius vero Einl. B. II, S. 902, Ackermann, Introd. p. 341 graece auctorem scripsisse perhibent. Eichhorn, Einl. in d. apocr. S. 415 dubius est mentis.

(*b*) I, 1-13, III, 5, V, 14, IX, 6, XIV, 9. V. de Wette l. c.

(*c*) Sic ex. c. I, 11 συνετήρησα τὴν ψυχήν μου respondet שָׁמַרְתִּי נַפְשִׁי *conservavi animam meam*, scilicet *cavi ne* etc.; ib. 13 χάριν καὶ μορφήν *gratiam et formam* (Vulg. ib. *gratiam* tantum) duplicem exhibere videntur unius hebraici aut chaldaici vocabuli (חֵן vel חִינָא חִנָּא) significationem; IV, 4, ἑώρακεν *vidit* pro *perpessa est*, minus recta interpretatio verbi רָאָה quod utrumque significat; ib. 11 δῶρον ἀγαθόν *munus bonum* (Vulg. ib. rectius *fiducia magna*) minus apte cum oratione consentit, legerat fortassis interpres מִנְחָה pro מִנְדָּה, vel מְנֻחָה vel נֶחָמָה, aut מִקְנָה pro מִקְוֶה; VII, 9 κριὸν προβάτων, ad litteram reddit אֵיל צֹאן *arietem ovium* pro agniculo de grege. Alia vide ap. Vincenzi, Sessio quarta Concilii Trid. Romae 1842-44, P. III, p. 76-78.

tur (*a*); quodsi haec argumenta propter utriusque linguae unitatem aeque hebraicae ac chaldaicae compositioni favent, hanc postremam Hieronymi et Rabbinorum testificatio (*b*) verisimillimam facit; siquidem ille chaldaicum exemplar uti archetypum habuit, nec de alio quodam hebraico aut ipse aut ullus antiquior quidquam unquam audivit (*c*).

Perperam igitur Ilgenius (*d*) exemplum a Hieronymo translatum chaldaicam hebraici archetypi versionem existimat; nec minus temere duplex aut triplex huiusce libri autographum, aut unum idemque, sed simul iterumque

(*a*) VI, 9 τῇ Ῥάγῃ *Rage* pro *Ecbatanis*, quod erratum (nisi potius spurium additamentum sit, deest enim in Vulgata) facile ex אֶל־הָרָעֵי pro אֶל־הָעִיר oriri potuit; similiter IX, 6 καὶ εὐλόγησε Τωβίας τὴν γυναῖκα αὐτοῦ *et benedixit Tobias uxori suae*, ex וַיְבָרֵךְ טוֹבִיָּה אֶת־אִשְׁתּוֹ quod melius et cum Vulgata (ib. 9-10) convenientius reddendum fuisset: *et benedixit* (Gabelus) *Tobiae cum eiusdem uxore* (h. e. *necnon eiusdem uxori*). Alia plura videsis apud Ilgen l. cit., quae tamen dubia sunt.

(*b*) Hier. praef. in lib. Tobiae; R. Asaria in libro *Imre binah* c. 15.

(*c*) Hebraicum exemplar a Paulo Fagio Constantinopoli 1517 editum (cuius Huetius l. cit. simillimum se habere dixit), et alterum a Sebastiano Münstero Basileae 1542-49-56 vulgatum, ambo in tom. IV Lond. Polyglot. inserta recentiora sunt; et primum illud saeculum XI non excedens ex graeca LXX versione expressum est; alterum vero paullo antiquius ex quadam latina interpretatione maiori adhuc libertate desumtum; nam inter cetera Tobias ibi Ieremiam laudat (II, 9), et obolum Angelo largitur (IV, 14), cum tamen Ieremias Tobia multo recentior sit, obolus vero Assyriis ne quidem nomine notus esse potuerit.

(*d*) Op. cit. p. CXLV, not. (*h*). Huic assentitur Bertholdtius, Einl. B. VI, S. 2516.

retractatum alii commenti sunt (*a*); hae namque hypotheses nullo fundamento superstructae, hac una de causa excogitatae sunt, ut versionum varietatis, et quorumdam locorum contrarietatis probabilis ulla ratio redderetur; at satis inaniter, siquidem illa perinde, immo vero potius ex interpretum licentia vel amanuensium incuria repetenda est; quae vero contraria specie videntur, facili negotio componuntur (*b*). Cum itaque unum tantum et integrum idemque chaldaicum autographum admittendum sit, restat ut in versionem, quae illius vicem verius repraesentet, inquiramus; sed enim graeca dumtaxat et Vulgata in quaestionem adducuntur, quandoquidem reliquae vel recentiores sunt, vel alterutram exprimunt (*c*). Porro prior

(*a*) Tirinus (Comment. in V. et N. T. Lugd. 1723, T. I, p. 177) Tobiae historiam semel breviter strictimque, altera dein vice copiosius ab eodem conscriptam fuisse ponit, indeque Graecae, Vulgataeque versionis diversitatem repetendam arbitratur; at enim cum Itala (vetus latina versio) a Graeca et a Vulgata perinde discriminetur, Serarius (op. cit. p. 2) utrumque Tobiam primum historiam suam chaldaice una simul composuisse, deinde singillatim eamdem hebraice descripsisse affirmat; Bertholdtius (op. cit. p. 2509, seq. 2513-20) vero hebraicum graecae versionis ἀρχέτυπον crebris in locis inculcatum et refectum variis ex pericopis coaluisse opinatus est.

(*b*) Revera propterea quod Tobias solemnioribus festis μόνος solus (I, 6 coll. cum V, 13 graece) Ierusalem itasse dicatur, haud sequitur incomitatum semper illuc ivisse; qui vero Elymaidem fuerat profectus, cur inde reversus (nec enim graecus interpres id inficiatur) Ninive deinceps morari nequiverit? Cf. II, 10 cum VII, 3, XI, 16, seq. XIV, 10. Forte etiam II, 10 ἐπορεύθη loco ἐπορεύθην legendum est, et de Achiacharo intelligendum; ita sane legerat Itala.

(*c*) Ut Itala (hanc videsis apud Sabatier, Bibl. S. lat. vers. antiq. Tom. I, P. II) et Syriaca (Walton. Polygl. tom. IV), haec saltem a cap. I, 1-VII, 11, sequentia enim aliunde desumta expresse v. 12 declarantur, magisque cum Itala lectione consentiunt; non ita tamen ut haec ex eodem graeco apographo depromta existimanda sit, quod Ilgenio placuit l. sup. cit. p. CCV, seq. Altera Syriaca versio a Didaco de Celada et

illa quippe antiquissima, ideo omnium purissima et exemplari simillima a multis habita est, atque hac etiam de causa Vulgatae praelata, quod Hieronymus non directo, sed per chaldaicum interpretem ac nimium festinanter eam confecerit, propthereaque magis sensum e sensu, quam ex verbo verbum transtulisse videatur. Verum enimvero licet Tobiae liber sicut et ceteri V. T. maturius in graecum quam in alium quemvis sermonem translatus sit, et saltem primo ante Chr. saeculo in LXX versionis codicem relatus, nil inde conficeres, nisi praeterea probares facilius chaldaici archetypi quam graecae versionis apographa adulterari ac corrumpi potuisse; quod contra est: cum enim chaldaico sermone graecus tunc temporis longe vulgatior esset, maior proinde graecorum apographorum numerus, sed et minor Hellenistarum (quod liberius horum ingenium) quam Palaestinensium in suis quemque describendis religio, iam admodum probabile foret chaldaicum Hieronymi integritate ac sinceritate graecis tunc exemplaribus praestitisse, nisi haec insuper iam tum et deinceps sibi quamplurimum discrepasse testatissimum esset (*a*); e con-

Fabiano Iustiniani Romae in Bibliotheca Medicea reperta Syriacae hexaplaris fragmentum Scholzio (Einl. II. Th. S. 568) videtur; Arabica demum inedita, quam idem Iustiniani Vulgatae similem dixit, huius fortassis interpretatio est.

(*a*) Itala nempe et Syriaca versio, quamquam ex graeca LXX hausta sunt, non minus quam Vulgata ab illa dissentiunt, et adeo inter se discrepant, ut ex variis eiusdem versionis exemplaribus diversimode auctis, imminutis, interpolatis utraque repetenda videatur. Hasce discrepantias singillatim persequuntur Ilgen, op. cit. p. CLVIII, seq., Scholz, Einl. II. Th. § 136, Vence op. cit. p. 242-52. Adde septimum librum Const. Ap. ineunte IV seculo editum LXX versicnis locum producere a recepto nunc graeco textu diversum et cum Vulgata consentientem; habet enim 2: πᾶν ὃ μὴ θέλεις γενέσθαι σοι, καὶ σὺ τοῦτο ἄλλῳ οὐ ποιήσεις; Vulg. IV, 16 consone: *quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias;* LXX, e diverso, IV, 15: καὶ ὃ μισεῖς μηδενὶ ποιήσῃς: h. e. *quod oderis, nemini facies.*

trario Vulgata ab Hieronymi aetate usque nunc, demtis nonnullis amanuensium erratis, in omnibus exemplaribus eadem semper sibique constans permansit: nemo autem qui historiae brevitatem, Hieronymi ingenium, doctrinam ac diligens S. litterarum studium reputaverit, illam praepropere, inexplorata chaldaici exemplaris necnon interpretis fide ac veritate, translatam fuisse existimabit (*a*). Accedit quod Vulgata cum a graeca dissentit, rectiora plerumque profert (*b*); cum copiosior est, certe convenientia ac verisimilia tradit (*c*); cum autem strictius enarrat, non pauca eorum praeterit quae vel sanioribus criticis specie aut re pugnantia, vel mythica ac fabulosa audacioribus visa sunt (*d*); insuper clarior atque fluentior, graeca e diverso

(*a*) Profecto si trium Salomonis voluminum interpretatio *tridui opus fuit* (Hier. Praef. in libb. Salom.) criticorum iudicio nequaquam inconditum, non repugnat Tobiae librum *unius diei labore* (id. Praef. in l. Tob.) diligenter translatum; satis enim chaldaici sermonis peritum ostendit eiusdem praef. in lib. Danielis.

(*b*) Sic minus recte graecus (I, 2 coll. cum Vulg. ib.) Salmanasar *Enemessarum*, pecuniam Gabelo concreditam *depositum* vocat (I, 14, IV, 20), quod sane ad illius egestatem (Vulg. I, 17) sublevandam nihil contulisset; nec nummos infructuose servatos inde probatur, quod Gabelus, viso chyrographo, hos saccis obsignatos confestim reddiderit; multa namque ex sorte mutuo accepta lucratus aequalem aut maiorem adhuc pecuniae vim in promtu habere potuit in varios signatos saeculos distributam, ex orientalium more qui pecuniam ita solent dinumerare (cf. IV. Reg. XII, 11 hebr.). Similiter graecus plures ancillas Saram sugillantes inducit III, 8-9, unumque servum Angelo ad Gabelum eunti concedit IX, 2; aptius contrario Vulgatus unam ancillam memorat, et quatuor famulos Angelo adiungit III, 7-10, IX, 6. Hic demum breviorem ac ille aetatem utrique Tobiae assignans (cf. XIV, 2, 16 cum graeca ib. 11, 14) aptius cum historia et probabiliori temporum ratione consentit. V. inf. pag. 463. not (*a*).

(*c*) I, 9-10, 16, 23, II, 12-19, 21-23, V, 1-18, VIII, 11, IX-XIII.

(*d*) Ex. c. graec. I, 6 coll. cum V, 13; III, 10; V, 14; VI, 5 coll. cum XII, 19; VI, 9, 12, 14-15 etc. Quae quidem omnia nisi ab archetypo abfuissent, pro ea, quam tunc novimus fuisse, temporum conditione

ambigua non raro et involuta est (*a*). Non ii tamen sumus qui graecam lectionem universim improbemus, in hac siquidem et ulla rectius descripta inveniuntur (*b*); quae vero diversa aut superaddita deprehenduntur, pleraque alia quidem at non contraria sunt (*c*), et nisi authentica, certae

hominumque indole, Hebraeus amanuensis sapienti adeo studio non devitasset; ruit proinde Bertholdtii argumentatio (Einl. B. VI, S. 2516 f.) qui ex hac Vulgatae integritate colligit Hieronymi exemplar non textum primigenium sed a chaldaeo interprete retractatum exhibuisse.

(*a*) Cf. ex. c. II, 14, III, 5, V, 18, alibi.

(*b*) Vulgatus ex. c. III, 7 legit *Rages*, graecus ib. *Ecbatana*, quod verisimilius; malumus enim cum ipso consentire quam aliam urbem prioris cognominem cum paucis excogitare, aut ponere cum paucioribus Raguelem dum Tobias iter haberet de Rage ad Ecbatana sedem transtulisse; verum licet eadem varietas VI, 6 coll. cum graec. ib. 5 occurrat, Vulgatum tamen non deserimus; viaticum enim usque ad itineris metam, non ad hanc tantum vel illam mansionem viatores paraverant, et necdum apud Raguelem divertere proposuerant cf. graec. 9, Vulg. 10-11. Nonnulli graecam etiam lectionem I, 2; V, 5; XIV, 4-8. Vulg. I, 1; V, 8; XIV, 6-9 anteponunt; de priori loco mox inferius redibit sermo; quod ad alterum animadvertimus, cum saepe provinciae a metropoli denominarentur, Ragem in montibus Ecbatanorum positam recte dici potuisse; quod ad postremum, fatemur graecum interpretem hanc vaticiniorum seriem plenius et ordinatius digessisse; at haec ipsa dilucidior expositio interpreti quam prophetae accommodatior est.

(*c*) Graecus ex. c. I, 2 Tobiam ex Thisbe dextrorsum Cades super Aser oriundum facit, Vulgatus I, 1 nomen urbis praeterit, et in tribu Nephthali dextrorsum Sephet supra Naasson sitam designans, illam paullo aliter at quamsimillime circumscribit, siquidem Aser (h. e. Chazor) et Naasson nisi unus idemque locus, in eadem profecto vicinia fuere (V. Raumer, Palaestina, p. 126, not. 30.); nulla itaque necessitas utram lectionem emendandi. Vulgatus itidem II, 11 hirundinino, graecus II, 10 passerino stercore Tobiam obcaecatum tradit, sed enim LXX passerculi (στρουθίου) nomine ut aviculam quamvis, ita et hirundinem solent significare (cf. Ps. X, 1, LXXXIII, 4, Eccles. XII, 4, Ier. VIII, 7). Hic rursus XI, 1 Tobiam redeuntem prope Ninivem, ille contrario ib. coll. cum 18, eumdem medio adhuc itinere se se ab uxore ac famulatu seiunxisse, eorumque reditum septem dies praevertisse narrat; atqui medio

tamen traditioni innixa videntur. Quae cum ita sint, licet graecae versioni Vulgatam generatim anteferamus, ambo tamen quod ad rei summam ita conveniunt, et adeo minima sunt quibus discriminantur, ut critica utriusvis integritas, nunquam tamen aut dogmatica, aut historica veritas periclitetur.

CXLIII. Porro auctorem veram non fictam historiam scribere voluisse cum ex eius consilio, tum ex narratione ipsa manifestum est; primo enim nec lectores iucunde oblectare, sibi ille constituit, sed eosdem erudire, nec non efficaciter permovere: iamvero hagiographi, inde a Mosis temporibus (*a*), ut firmam Hebraeorum animis divinae providentiae persuasionem induerent (huc scilicet ipsa haec historiola unice spectat), illos ad certam praesentis aut superioris temporis memoriam, nunquam ad pias scitasque fabulas delegarunt; secus nullam ab iis fidem impetrassent, qui vix solemnioribus notissimisque factis illam adhibebant: deinde vero

iam itinere confecto patriae appropinquasse (ἐγγίσαι) recte dictus est; quo sensu graecus ipse Tobiam Ecbatana adventantem, Rage satis inde remotae proximum dixit VI, 9: tempus autem quo reliquus comitatus advenerit, graecus non definivit; illos certe duplo tardius pervenisse, valde verisimile est (cf. Gen. XXXIII, 13-14); unde conficitur viam undecim dierum qua Charan a Ninive et Ecbatanis aeque dicitur disiuncta (VII, 1), ad octo commode posse reduci; cavendum insuper ne haec urbs cum homonyma (Gen. XI, 31, XXVII, 43) confundatur: sanctum denique trinoctialis castitatis propositum a Vulgato relatum VIII, 4 praeterit graecus, at numquid propterea illud inficiatur?

(*a*) Deuter. XXXII, 6, seq.

si fabularis haec historia dicenda est, quamnam demum veram pronuntiabimus? nulla siquidem indicia sunt, quibus ipsa ab alia quavis certissima discriminetur (*a*); imo universae narrationis tenor, accurata temporum, locorum, et personarum definitio (*b*), diligens adiunctorum notatio, eorum etiam quae, nisi historica, auctor nequaquam confinxisset (*c*), intima demum aptaque eiusdem cum Israëlitarum atque Assyriorum historia consensio atque connexio non modo parabolae aut commento nullatenus congruunt (*d*), sed germanae sinceraeque historiae luculentissima argumenta sunt.

(*a*) Profecto qui historicam huiusce libri veritatem ex toto vel partim in dubium revocarunt (Fagius seu Büchlein Praef. in Tobiam hebr. cum transl. lat. Seiler, bibl. Erbauungsbüch. A. T. x. Th. S. 166, Eichhorn, op. cit. p. 403, Rainold, Censura Apocr. prael. LXV, Hezel, Apocr. A. T. S. 129, Iahn, Einl. 2. Th. S. 898), cumque parabolis accensuerunt, non tam narrationis tenore permoti sunt, quam variis difficultatibus quae historici fidem elevare ipsis videbantur; verum inani timore tactos ineptam medelam illos fecisse inferius demonstrabimus.

(*b*) Passim, speciatim vero I, 1-2, 9, 11, 13, 15-18, 21-24, III, 7, VI, 2, 6, VII, 1-3, XI, 1, 18, 20, XIV, 1-3, 14, seq. Plura adhuc graecus exhibet.

(*c*) Cf. I, 9, VIII, 23, IX, 7, seq., XI, 1, 20, XIV, 1-3, 14-16. Haec sane, aliaque similia si vera sunt, relatu haud indigna fuerunt, secus pronum fuisset magis speciosa, magisque significantia excogitare; perperam idcirco historiae integritatis ac verisimilitudinis ergo ab auctore conficta nonnulli arbitrantur.

(*d*) Sufficit nimirum Tobiae historiam cum germana Ruthae, aut cum hagiographorum parabolis II. Reg. XII, 1-6, XIV, 5-7, Luc. X, 30-35, XVI, 1-9, 19-31 conferre, ut liquido appareat quantum discriminis parabolam inter veramque historiam intersit.

Revera Tobiae et contribulium sub Salmanasare captivitas, eorumque in varias Assyriae, Mediaeque urbes deportatio (*a*); locorum, ubi Tobias uterque natus, commoratus, quove iunior peregrinatus est, nomen, situs, intervalla (*b*); honestissima, lucrosaque regii emtoris et dispensatoris officia seniori eiusque nepoti collata (*c*); Assyriorum regum series et denominatio, infensus in Hebraeos, praesertim post cladem, Solymis inexpugnatis, prodigiose acceptam, Sennacheribi animus (*d*); proditoria caedes huic in templo a filiis illata; horum nomen et fuga in montes Armeniae (*e*); Medorum et Babylonensium ad Ninivem subruendam circa suprema iunioris Tobiae tempora conspi-

(*a*) Cf. I, 2, 11 cum IV. Reg. XVII, 6, seq., XVIII, 11, Ritter, Geogr. Asien VI, 2, S. 42, ff. VIII, S. 590, ff. IX, S. 470, ff. 670, 713, 716, 1029 ubi varias ibidem Israëlitarum reliquias aut antiquae eorum sedis recordationes commemorat.

(*b*) Cf. I, 1, 11, 16, III, 7 (graece) XI, 1 cum pag. 459-60, not. (*c*), Ritter, Geograph. Asien, VI, 1, S. 599, 2, S. 74, ff. VII, 2, S. 221-240, Arrian. Exped. Alex. M. III, 20.

(*c*) Cf. I, 13, 21 graece cum Dan. II, 48-49, III, 12, Neh. II, 1, Esth. VIII, 2, unde patet ad aulica munera Hebraeos passim ab exteris regibus adlectos fuisse, quippe sapientia ac probitate ut verae religionis cultores cumprimis praestantes. — Regii mercatoris (ἀγοραστής) officium tanto hactenus apud Persas in honore fuit, ut Chardinius Persidem peragraturus praesidium sibi in hoc ipso nomine quaesiverit; hinc illustratur Tobiae senioris iter a Ninive ad Ragem, qua occasione mutuum Gabelo dedit; simulque apparet iamtum Hebraeos mercaturis faciendis plurimum valuisse.

(*d*) Cf. I, 18-23 cum IV. Reg. XVIII, 13 - XIX, 36, Is. XXXVI-XXXVII.

(*e*) Cf. I, 24 cum IV. Reg. XIX, 37, II. Par. XXXII, 21, Is. XXXVII, 38, Ioseph. Antiq. lib. X, c. I, § 4, Euseb. Chron. Arm. I, p. 42-43, Mosis Chorenensis hist. Armen. I, 22. Partim etiam consentit Abydenus qui apud eumd. Euseb. op. cit. p. 53 unum ex parricidis, Adrameles (Adramelech) nempe commemorat, praepostere tamen, hunc enim non Sennacheribi, sed cuiusdam Nergili eiusdem successoris occisorem facit.

ratio (*a*); haec inquam omnia aliorum cum hagiographorum, tum profanorum scriptorum testimoniis comprobantur. Quodsi ab externis argumentis ad interna gradum facimus, Tobiae, parentis et filii, necnon maiorum, agnatorum, Angelique nomina (*b*), patris exempla atque praecepta, filii educatio ac disciplina (*c*), utriusque inter varias rerum vices vitae ratio atque institutum Hebraeorum moribus consona et ad Mosaicae legis obrussam composita sunt; ut enim pater cum adhuc in patria moraretur, ab

(*a*) Cf. I, 14 graece, ubi Ninive a Nabuchodonosore chaldaeo (de patris Nabopolassaris mandatu) et Assuero (Achaschwerosch i. q. Cyaxares, quod dignitatis nomen pluribus Medis, Persisque regibus commune fuisse novimus, cf. Dan. IX, 1, Esdr. IV, 6, Esth. I, 1 etc. V. sup. pag. 418, not. (*a*)) Medorum rege diruta fuisse dicitur, cum Herodoto I, capp. 103, 106, 178 qui eidem Cyaxari; Abydeno et Polyhistori (apud Euseb. Chron. Arm. p. 44, 54, Syncel. p. 210, 396, ed. Dindorf.) qui Busalossori (Nabopolassari) Babyloniae et Asdahagi (antiquum apud Medos regiae dynastiae nomen, v. Euseb. op. cit. p. 21) Mediae praefectis; Ctesia (opp. reliq. ed. Baehr, p. 424, seq.) qui Arbaci Medorum et Belesi Chaldaeorum ducibus; Diodoro (Bibl. hist. l. II. c. 23-28, 32) qui modo cum Herodoto urbis eversionem Cyaxari, modo cum Ctesia tribuit Arbaci; in hoc enim, cetero diversi, consentiunt omnes urbem a Medis et Babylonensibus destructam fuisse, cf. Herod. I, 185. Congruunt praeterea temporum rationes; quandoquidem 1. Nabopolassaris anno, 625 a. Chr. Ninivem eversam fuisse communis ferme sententia est (Winer, Realwoerterb. A. Ninive, Scholz, Einl. 2. Th. § 132); iamvero a Salmanasaris in Palaestinam incursu, VI Ezechiae regis anno, 721 a. Chr. cum iunior Tobias puerulus adhuc una cum patre abductus est, ad 625, 96 anni interfuerunt (sane a VI Ezechiae anno ad Evilmerodachum iuxta Hebraeorum regum seriem in s. litteris consignatam 159 anni interiecti sunt, subductis 43 Nabuchodonosoris, et 20 Nabopolassaris, restant 96 a VI. Ezechiae ad primum Nabopolassaris); huc itaque apprime facit quod senior Tobias 102 annos natus, moriturus proximam Ninivis ruinam praedixisse, filius vero 99 annos natus hanc suo fato paullo ante praevertisse dicitur, cf. XIV, 2-16 cum graec. ib. 15.

(*b*) I, 1, 9 (graece I, 1, 9, 21), 13, 17, III, 7, V, 17-18.

(*c*) IV

Israëlitarum schismate cum paucis abhorrens, Salomonis templum solemnioribus diebus adibat, iustaque dona offerebat (*a*); ita postmodum a sacris ferendis exsilio prohibitus, reliquarum, quoad poterat, caerimoniarum observantissimus (*b*), quo sacrificiorum defectum compensaret, maiori adhuc studio orationibus, pauperibus sublevandis, ceterisque religionis et caritatis officiis exsequendis incubuit: quam singularem constantemque viri pietatem pessima primum contribulium exempla, praesentissima dein externorum pericula multo quidem mirabiliorem, neutiquam dubitabilem faciunt; siquidem superstitionis luc longe lateque inter Israëlitas grassante, horum tamen aliquos nullo non tempore eadem immunes fuisse compertum est (*c*); quantum vero primum schismatis, dein exsulationis calamitas ad multorum mores emendandos, acuendam fidem, patriae amorem inflammandum, rectiores ac sinceriores de Deo eiusque cultu notiones perperam antea intellectas aut neglectas induendas, superstitiosas abiiciendas contulerit, nisi ex Hebraeorum post exsilium scriptoribus constaret, promum esset ex Christianae Ecclesiae conditione argumentari; quippe toties illa puriori ac vividiori luce refulsit, quoties acerbioribus diuturnioribusque adversitatibus afflicta ac divexata est. Quamobrem haud incredibile nobis videtur quod Hebraeorum cordatiores ad bonam frugem revocati, pientiores ad virtutis prosecutionem magis magisque incensi potius aeterna quam temporaria bona praestolarentur, proximaeque vitae immortalis quam praesentis caducae sollicitiores exsisterent (*d*);

(*a*) I, 4-8.
(*b*) II, 10 coll. cum graec. II, 5, 9.
(*c*) Cf. ex. c. III. Reg. XXIX, 18.
(*d*) II, 18.

quare ieiunio, orationibus, liberalitati frequentius (*a*) simplici castaque mente vacarent, minusque ad *litteram quae occidit* (quod perpetuo monuerunt prophetae (*b*)), quam ad *spiritum qui vivificat* (*c*) animos attenderent. Accedit quod singularis senioris Tobiae bonitas, firma ac constans in secundis aeque ac in adversis integritas, mira in periculis obeundis fortitudo, in malis perferendis patientia, Annae admodum frugi diligentia ac parsimonia, eius materna in filium absentem anxietas, huiusque in parentes pietas atque observantia, honestus Raguelis, pudicus et trepidus Sarae timor post tot funera nupturae, eorumdem spei metusque vices, mutua utriusque cognationis caritas, canis praecurrentis adulatio (*d*), effusa Tobiae parentum ob eius nurusque adventum laetitia, gratus singulorum in Deum eiusque administrum animus, adeo vivam veritatis absolutaeque virtutis imaginem referunt, ut historica narrationis fides indubia sit, divinaque scriptoris auctoritas probabiliter praesumatur.

(*a*) Haec nempe, aliaque id genus a piis quibusque magno semper in honore habita, usurpataque sunt; falluntur propterea qui nullam temporum rationem habentes ex minus frequenti eorum usu aut praeconio, eorumdem ignorationem coniecerunt, eaque novum aetatis exsilium consequentis inventum existimarunt. Cf. ex. c. IV, 7 cum Prov. III, 9, Eccli. IV, 1, XIV, 13, XXXV, 12-13; Tob. IV, 11 cum Eccli. XXIX, 15; Tob. IV, 15 cum Lev. XXIX, 33, Deuter. XXIV, 14. V. sup. pag. 363-64 et not. infra sequentem.

(*b*) Ps. XLIX, 13, Is. I, 11-17, XXIX, 13, LVIII, 3-7, Ezech. XVIII, 16, etc.

(*c*) II. Cor. III, 6.

(*d*) Hoc singulare adiunctum ut verisimile (cf. Odyss. l. XVI, vv. 4-10) atque notatu dignissimum videtur (quippequod valde opportunum ut parentum animi de proximo filii reditu praemoniti a desperatione ad summam effusamque laetitiam haud abrupte traducerentur); ita historico, neutiquam oratorio generi adiudicandum ostendit simplex nec ullo ceteroquin schemate aut ornatu distincta rerum gestarum expositio.

CXLIV. Hanc porro quam senioris Tobiae vaticinia *(a)*, necnon aliorum hagiographorum testimonia quae inde depromta videntur *(b)*, confirmant, perpetua Ecclesiae fides nobis certissimam facit. Nimirum non solum antiquissimae occidentalis et orientalis Ecclesiae versiones, Itala, Syriaca *Peschito* *(c)*, Coptica *(d)*, Æthiopica *(e)*, Armeniaca *(f)*, ex graeca LXX conditae aut absolutae hunc librum sicut et ceteros *deutero-canonicos* complexae sunt; Patres vero plerique quavis aetate et ubique gentium hos omnes singillatim uti divinos agnoverunt *(g)*; indeque multa tum ad

(a) XIII, XIV, 6-13.

(b) Cf. IV, 11 cum Eccli. XXIX, 15; IV, 16 cum Matth. VII, 12, Luc. VI, 31; VIII, 20 cum Apoc. XXI, 18, seq.

(c) Huic ex unis *proto-canonicis* primum constanti quippe ex hebraeo textu desumptae, ceteros deinde ex LXX versione translatos adiectos fuisse tum Ephraemi opera qui IV saeculo multa ex iis testimonia depromsit, tum eorumdem in antiquioribus ritualibus Syrorum libris usus demonstrat.

(d) V. Rituales huius Ecclesiae libri sex voluminibus comprehensi Romae 1736-65 editi; et Zoëga Catal. codd. ib. 1810.

(e) Ludolph. hist. Æthiop. III, 2; Comment. in hist. aeth. III, 4.

(f) Scholz, Einl. I. Th. §§ 77, 151-56.

(g) Patrum et Ecclesiasticorum scriptorum seriem qui passim hisce libris usi sunt, aut suam de iisdem opinionem aperuerunt videsis apud Iahn, Einl. 2. Th. S. 968-91, Vincenzi, Sessio IV Conc. Trid. Romae 1842. P. I. Tobiam speciatim laudarunt Clemens R. ep. I. ad Cor., Polycarpus ep. ad Phil. n. X, Irenaeus cont. haer. l. I. c. XXX, Clemens Alex. Strom. l. II, n. 23, l. VI, n. 12, Origenes ep. ad Afr. n. 13, de orat. n. 21, hom. XXVII in Num. n. I, cont. Cels. l. V, et in c. 2. ep. ad Rom., Const. Apost. I, 1, III, 1, 15, VII, 2, Dyon. Alex. ep. ad Germ. apud Euseb. hist. Eccl. l. VII, c. 11, Dydimus l. de Sp. S. lib. II de Trinitate capp. 15, 27, Athanasius Apolog. cont. Arianos et ad Imperat. tom. I. p. 133, 135 ed. Maur. Tertullianus ep. LII, Leo M. Serm. V. Gregorius M. de S. Pont. pastor. cura admon. Cyprianus ad Quirinum l. I.

Christianorum eruditionem, tum ad dogmatum confirmationem indiscriminatim mutuarunt; imo Iudaeorum canone insuper habito, Christianum eidem opposuerunt (*a*): sed hanc perennem fuisse atque constantem Ecclesiae fidem a maioribus, ab Apostolis ipsis acceptam cum Romani Pontifices suis in epistolis tum particulares et oecumenicae Synodi saepe saepius solemniter declararunt (*b*). – At enim quanti hoc Apostolorum iudicium in re critica haud secus ac in dogmatica faciendum sit, nemo non videt; Apostoli namque graecum, vulgarem (*c*) tunc, ne Syria quidem Palaestinaque exceptis (*d*), Orientis sermonem usurpantes, quo

c. 26, l. III. capp. 1, 6, 62, de orat. dom. p. 214, de mortal. p. 231, de op. et eleem. p. 237, 238, 243, ed. Baluz. Hilarius in Ps. CXXIX, n. 7, Basilius, de consol. in adv. n. 5, Chrysostomus, hom. XIII ad pop. Antioch. n. 3, Ambrosius, Hexaem. l. VI, c. 4, n. 17, lib. de Tobia c. I. Augustinus, de doctr. Christ. l. II, c. 8, de civ. Dei XI, 36, XVII, 20. Hieronymus Praef. in Ionam et Tobiam, Comm. in c. VIII. Eccl., aliique plures.

(*a*) Origenes, ep. ad Afr. Hieronymus, Praef. in Tob. Prolog. in libb. Salom. epp. ad Salvinam, et Principiam, Augustinus, de civ. Dei c. XVII, Speculum de libro Sap. Isidorus Orig. l. VI, c. I.

(*b*) Concilium Hipponense anno 393 can. XXXVI, Carthaginiense III, a. 397 can. XLVII (nisi hic forte propter praeposteram Bonifacii mentionem insequenti Concilio sit adiudicandus), VI anno 419 ibidem celebratum, in quibus Romanae sedis assensus exquisitus est, cuius persuasionem ex ep. Innocentii I ad Eugenium anno 405, ex decreto Conc. Rom. I. sub Gelasio a. 494, Eugenii IV ad Armenos in Conc. Florent. a. 1441, ex Tridentina demum sessione IV eamdem semper sibique constantem fuisse liquido apparet. Nec aliam hac in re fidem vel ipsi graeci schismatici in Synodis Constantinopoli (a. 660, 1661) et Hierosolymis (1672) habitis manifestarunt. Cf. Renaudot, Perpétuité de la foi, tom. V, ch. VII.

(*c*) Hieron. Prolog. in ep. ad Gal. Ioseph. Antiq. l. XX prope finem.

(*d*) Id. op. cit. l. XII, c. 3, § 1, l. XVIII, c. 9, § 8; II. Mach. VII, 2, 8 coll. cum 21, 25; Act. XXI, 40, XXII, 2.

nascentis Ecclesiae utilitati consulerent, quae ex graecis praesertim Ethnicis necnon Iudaeis Hellenistis constabat, dum integra LXX versione indiscriminatim pro re nata usi sunt, eamdemque Ecclesiis a se constitutis, ceu authenticum S. Scripturarum exemplar legendam commendarunt (*a*), communem Hellenistarum persuasionem et consuetudinem deprehenderunt (*b*), a qua nec Palaestinenses tunc abhorruisse videntur, quippe novimus uti inspiratam ab iisdem habitam (*c*), in aliquibus synagogis praelectam (*d*), atque a Iosepho passim

(*a*) Augustinus, ep. XXXV in Hieron. Hieronymus, Praef. in Paral. Cf. Act. II, 47, Eph. V, 19, Col. III, 16, I. Tim. IV, 13, ep. II, III, 15-17, II. Petr. I, 19, Iustin. Apol. I, c. XXXVIII. Nec sane aliunde repetenda est firma et constans auctoritas quam non solum apud Graecos, sed et in aliis Orientis (Barhebraeus in thesaur. arcanorum passim) et Occidentis Ecclesiis obtinuit. V. Tertull. adv. gent. de monog. c. XI, de praescript. c. XXXVI, Iren. adv. haeres. III, 18, Hilar. Praef. in ps. et in ps. II, LX, CXIX, Philostr. de haeres. capp. XC-XCIV. Ambros. in ps. XLIII, CXVIII, Hieron. ep. ad Pamach. Praef. in Iob., quaest. hebr. in Gen. XLVI, 26, com. in Habac. c. II, Ruffin. invect. in Hier. August. ep. ad Hier. de civ. Dei l. XVIII, capp. 43-44, de doctr. Christ. l. II, c. 15, aliique passim. Beda, de temp. rat. c. 66. Agobard. ad Fredegis. Ab. Rabanus Maur. l. IV in Gen. c. 16. Siegebert. Gembac. in Chron. ad an. 395, Richard. Archiep. Armach. adv. Arm. l. XIX, c. 18.

(*b*) Act. XIII, 5, 14, 42, XIV, 1, XVII, 1, 10, 17, XVIII, 4, 7, XIX, 8 etc. Tertull. Apolog. c. XVIII.

(*c*) Talmud. Hieros. Megilla f. 62, Babylonicum Megilla f. 9. Tract. Sopherim. c. I. Cui opinioni a Iudaeis forsan decepti nonnulli Patres subscripserunt (Iren. adv. haeres. III, 25, Clem. Alex. Strom. I, 22, Theodoret. Praef. in Ps. Cyrillus Hieros. catech. IV, Augustin. de civ. Dei LXVIII, c. 43), Hieronymus tamen merito adversatus est Praef. in Pent. Apol. adv. Ruf. I, 2.

(*d*) Id. Tract. Sota c. VII. de Synagoga Caesareae testatur. Librum Esther festo פורים Purim *sortium* graece lectum fuisse traditur Megilla f. 18. *b*.

adhibitam fuisse: nec sane varia huius additamenta, plurimaeque accessiones eorum canoni adversabantur, quos scimus plures alios libros, praeterquam in canone comprehensos, eosque praesertim quos *deutero-canonicos* nominamus, uti sacros agnovisse (*a*), in bibliothecis (*b*) asservasse, in synagogis interdum praelegisse (*c*), vel saltem ad pietatem aut eruditionem promovendam lectitasse (*d*); canoni

(*a*) V. pag. 375, not. (*b*). Id Iosephus diserte testatur dum historiam a mundo creato ad suam usque aetatem descripturus, hanc in sacris litteris (*τοῖς ἱεροῖς γράμμασι* Antiq. Prooem. § 3) ad integrum contineri ait, quas etiam *antiquos* (*ἀρχαῖα βιβλία* ib. l. x, c. 10, § 6) et *sacros libros* (*ἱερὰς βίβλους* ib. l. xx, c. 12, § 1) appellat, indeque se illam, nulla re addita aut immutata, ex toto depromsisse saepius (ll. citt.) affirmat; cum tamen plura ibi inveniantur quae in S. Scriptura quis frustra requireret. Id insuper confirmatur IV. Esdr. XIV, ubi libri omnes hagiographi in templo antea asservati ac communi *legis* nomine designati (vv. 21-22) tam 24 *canonici* quam 70 *apocryphi* (vv. 26, 45-46; v. 44 Vulg. habet: *ducenti quatuor*, Æthiops et Arabs rectius *nonaginta quatuor*) postquam igne absumti fuerant, afflante eodem Spiritu S. (vv. 22, 25, 38-40, 45-47) per Esdram restituti dicuntur; ex qua narratione utut fabulari, hoc certo consequitur Hebraeos tunc persuasum habuisse apocrypha hagiographis etiam computanda, nec horum numerum canonis limitibus contineri. Consentiunt, indirecte saltem, Talmudistae cum (Baba Kama fol. 92) sententiam proferunt tamquam scriptam in *Lege* (Gen. XXVIII, 9) iteratam in *Prophetis* (Iud. XI, 3) tertiatam in *Hagiographis* כְּתוּבִים quae tamen (ut adiicitur in Toseph.), praeterquam loc. sup. cit., in Siracide (Eccli XIII, 20) tantum reperitur.

(*b*) II. Mach. II, 13. Cf. IV. Esdr. XIV, 21, 22 coll. cum 24-26, 44-46.

(*c*) Librum Baruch, graece tantum superstitem, quot annis magno expiationis die in Synagogis praelectum tradit auctor Const. Apostol. vers. ult.

(*d*) V. Bertholdt, Einl. I, § 33, Vincenzi sessio IV Conc. Trid. P. I, p. 12-20. Id speciatim de Tobiae historia tradit Hieronymus Praef. in lib. Tob. Talmudistae, Tanchuma f. 89, Midrasch decem praeceptorum

autem illos adiicere supersedisse quia nullus post Esdram prodierat qui prophetali munere publice functus aut libros componeret, aut a pientissimis et numinis quidem afflatu inspiratis (*a*), privatis

n. 7, auctor Iuchasin p. 136, Scialsceleth hakkabala ap. Bartoloc. Bibl. Rab. p. 68, 136, R. Azarias qui Imre binah c. 57, Iudith, Tobiae et Sapientiae libros ideo in canonem insertos non fuisse scribit, quippe chaldaice, inferiori propterea inspirationis gradu compositos; quem enim vocant *Spiritum Sanctum* hebraice tantum scribentibus praesto fuisse ipse cum pluribus temere opinatus est. Iudaeis demum in Perside commorantibus vel ipsa Persica libri versio *canonica* est. V. Renaudot, Dissert. à la suite des anciennes relations des Indes p. 238.

(*a*) Talmudistae varios θεοπνευστίας ordines et gradus comminiscuntur, et secundum hanc sententiam, triplicem iam inde antiquitus receptam (Eccli. Prolog. Luc. xxiv, 44) canonis partitionem declarant, librosque canonicos tum inter se, tum a reliquis hagiographis distinguunt: nempe supremum inspirationis gradum, פֶּה אֶל־פֶּה *os ad os* dictum, tenet *lex* תּוֹרָה quippe per familiarissimam Dei collocutionem aperte et citra visionum involucrum Mosi tradita Ex. xxxiii, 11, Num. xii, 8, Deuter. xxxiv, 10; medius (נְבוּאָה) *prophetia* appellatus, prophetis נְבִיאִים competit per somnium, visionem, aut mentis excessum inspiratis; infimo demum רוּחַ הַקֹּדֶשׁ *Spiritus S.* hagiographorum כְּתוּבִים proprio illi dignati sunt, qui nulla re phantasiae aut sensibus obiecta, intima tantum numinis excitatione ac suggestione ad scribendum movebantur; verum cum hic inde a Malachia ex Israële discesserit (cf. Ioh. vii, 29, Act. xix, 2 et Lightfoot horae hebr. et talm. in h. l.) eius vicem inferioris ordinis oraculum (בַּת קוֹל *filia vocis*, cf. Matth. iii, 17, xvii, 5, Ioh. xii, 28, Act. xii, 22 et Buxtorf. Lex. Talm. in h. v.) quadantenus repraesentavit. V. Talmud Hier. Taanith f. 65, 1, Babyl. Ioma f. 2412, Tract. Sanhedrin f. xi, Sotah f. 48. c. 2. Plura videsis apud Maimonidem, More Nevochim P. ii, c. 45, R. Dav. Kimchi Praef. in Ps. Isaac Abarbenel Praef. ad Proph. prior. fol. 3. col. 2. — At enim haec Rabbinorum figmentis adiudicanda colligimus tum ex supra citato iv Esdrae loco xiv, 22-47, ubi omnes prorsus V. F. libri antea incensi, eodem inspirationis gradu, scilicet per *Spiritum S.* iterum restituti dicuntur, tum ex Eccli. xxix, 6, 7,

tamen hominibus recens compositos solemni testimonio approbaret (*a*), illico apposituri ut primum de divina eorum auctoritate ab ullo propheta fierent certiores. At cum verus (πιστός Mach. XIV, 41) prophetes, Christus nempe Hebraeis *mittendus*, et

Sap. I, 5-6, graece, ubi πνεύματι συνέσεως καὶ σοφίας (רוּחַ חָכְמָה וּבִינָה Is. XI, 2) spiritu intelligentiae et sapientiae vir pius et prudens divinitus adhuc replendus praesumitur, et τῷ πνεύματι ἁγίῳ παιδείας *sancto disciplinae spiritui* doctrina libri Sapientiae refertur accepta. Utcumque vero sit, illud sane Hebraeis omnibus persuasum etiam tunc temporis quoddam inspirationis genus viguisse quo digniores quidam viri identidem donarentur.

(*a*) Ita nimirum Iosephi sententiam interpretamur scribentis (Antiq. l. I, § 8) historicos Hebraeorum libros post Artaxerxis aetatem conscriptos haud eamdem ac superiores fidem atque auctoritatem meruisse, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν « propter minus *certam* prophetarum *successionem* »; quod enim continua horum testificatio necessaria non esset ut liber in canonem insereretur in aperto est; alioquin cum agatur de conditione indefinita, nullus unquam relatus fuisset, saltem postremi vatis, puta Malachiae, opus inde expungendum foret; constat insuper unius certissimi (πιστοῦ) prophetae testimonium in re maxime gravi atque ancipiti ut idoneum universim habitum fuisse (cf. I. Mach. IV, 45-46, XIV, 41); quod autem etiamtum nonnulli divinis quibusdam visionibus interdum dignati sint, et passim prophetae audierint, id Iosephus ipse testatur hoc nomine et Malchum seu Cleodemum recentiorem historiae Iudaicae scriptorem (Antiq. l. I, c. IV, § 1), et Iohannem Hyrcanum (ib. l. XIII, c. X, § 3, 7, de bello Iud. l. I, c. II, § 8), Iaddumque (Antiq. l. XI, c. VIII, § 4) Pontifices, et Manahemum Essenum (ib. c. XV, § 5) appellans; restat igitur ut haec Iosephi et aequalium fuerit sententia, neminem inde a Malachia extitisse qui eidem in prophetae נָבִיא (non רֹאֶה *videns* aut חוֹזֶה *somnians*) munere successerit, hocque solemniter constanterque impleverit; quo sensu Hieronymus (Comm. in Is. XLIX, 21) Ierusalem ita loquentem inducit: « post Aggaeum, et Zachariam, et Malachiam nullos alios prophetas usque ad Iohannem Baptistam videram ».

exspectatio gentium advenit (*a*), Hebraei, quod antiquitus fuerat praevisum, *in meridie ut in tenebris palpantes* (*b*) ipsum eiusque interpretes Apostolos repudiaverunt, qui de aliorum inspiratione verissimi iudices (quandoquidem et hac ipsi sive loquentes sive scribentes donabantur), omnes indiscriminatim V. F. libros tam in Iudaeorum canone quam in LXX versione comprehensos eadem veneratione una simul cum N. F. libris Ecclesiis a se institutis relegendos commendarunt; ex quo patet neminem unquam posse Catholicorum canoni contradicere, quin de Apostolorum auctoritate detrahat, et antiquiorum (*c*) Hebraeorum testificationi incredulus exsistat.

(*a*) Gen. XLIX, 10.

(*b*) Deuter. XXIX, 29, Is. XXIX, 10, seq.

(*c*) *Antiquiores* dixi, nam post Synagogae reprobationem Iudaei secum ipsis et cum maiorum doctrina dissenserunt; et primo Christianorum argumentationibus pressi LXX versionem ut minus accuratam respuentes II post Christum saeculo alias condiderunt: dein cum iamdiu, Hellenistae praesertim, in graecis Syriae et Palaestinae urbibus, in Ægypto, Cyrene, Graecia, Asia Minori et orientalibus Europae tractibus degentes passim a Graecis male habiti fuissent, adeo ab horum moribus, studiis, sermone abhorruerunt, ut Hellenistarum reliqui graecum repudiantes a tertio saeculo hebraicum iterum resumserint, pueris a graeca ediscenda diris et exsecrationibus prohibiti (Baba Kama f. 82, 2, Sota f. 49, I), indictoque ieiunio octava Tebeth mensis die, qua sub Ptolemaeo rege *lex* graece translata ferebatur (tract. Taanith, et Sopherim); exinde non solum in apocryphis graece tantum aut chaldaice servatis, sed in canonicis ipsis enumerandis diversi fuerunt; ita Hieronymus affirmat Tobiam et Iudith ab Hebraeis inter apocrypha recenseri (Praef. in utr. lib.); Origenes contrarium a Iudaeis sibi notis audivisse fatetur

Incredibile tamen dictu est quantum haec Tobiae historia perinde ac cetera *deutero-canonica* volumina a neotericis praesertim *Rationalistis* contemta, quotque contra historicam aut divinam huiusce libri fidem ab iisdem congesta sint; ex multis specie graviora deligimus, et quambrevissime refutamus. Affirmant scilicet auctorem hebraicae historiae, Mosaicae legis, locorum, temporum, hominumque ingenii ignarum se aut imperitum deprehendere, cum tradit Tobiam Nephthalitam a Salmanasare captivum abductum fuisse, contribulibus omnibus iampridem a Theglathphalasare in Assyriam asportatis (*a*); prodigiose autem ditatum extemplo ad egestatem redactum quin, nisi moriturus, de mutuo recipiendo (*b*) cogitaret; tunc eius filium Ninive, quae ad orientalem Tigris oram sita est, una cum socio digressum, nonnisi post unius diei iter hoc ipsum flumen attigisse, ibi inter lavandum a monstroso pisce modo non deglutiendum, quem tamen incolumis ad ripam attraxerit, eius felle portentosam parentis sui caecitatem consilio Azariae, fidem suam in id interponentis, repente curaturus (*c*); Raguelem capitis, iuxta legem Mosis, condemnandum ni filiam suam Tobiae despondeat (*d*); huic propinqui domum

(ep. ad Afric. n. 13 *); porro in Mischna (Iadaim, III) doctorum disputationes de *canonica* Cantici et Koheleth (Ecclesiastis) auctoritate referuntur.

(*a*) Cf. Tob. I, 2 cum IV. Reg. XV, 29.

(*b*) Cf. Tob. I, 16, 25 cum II, 19, IV, 21.

(*c*) VI, 1-9.

(*d*) Ib. 12, graece.

* Nescio cur plerique, nisi omnes, pro opportunitate, Origenem idipsum modo affirmantem, modo negantem inducant, et ad hunc ipsum locum allegent, ubi haec tantum expresse leguntur: Ἑβραῖοι τῷ Τωβίᾳ οὐ χρῶνται, οὐδὲ τῇ Ἰουδίθ. Οὐδὲ γὰρ ἔχουσιν αὐτὰ καὶ ἐν ἀποκρύφοις Ἑβραϊστὶ, ὡς ἀπ᾽αὐτοῖς μαθόντες ἐγνώκαμεν. « Hebraei Tobia non utuntur, neque Iudith; ut enim ab ipsis accepimus, nec inter apocrypha recensent quae habent *hebraice* conscripta »; scilicet *chaldaice*, postquam enim Hebraei Chaldaeorum linguae assueverunt, haec passim et hebraica dicta est.

in Rage vixdum ingredienti, statim praeter virginum morem, Saram obviam ivisse, eidemque, inscio sponsi parente, nuptum datam, interea ad itineris socium Ragen decem adhuc dierum viam inde disiunetam progressum, tempestive tamen Eebatana ad inehoatas iam nuptias rediisse (*a*); seniorem tandem Tobiam morti proximum ineensi templi etiamtum integri restitutionem praenuntiasse (*b*); iuniorem vero nonagenarium quintam nepotum seriem videre potuisse (*c*); superstitionis, addunt, profeeto eulpandus qui Angelos inducit modo Dei solio adstantes, modo hac illae discurrentes, mortalium preces ignaro numini delaturos, piosque eonsilio et opere, sed et mendaeio, ubi expediat, iuvaturos (*d*); malum daemonem puellam depereuntem aemulosque praefoeantem quin alii subinde proci a deamatae nuptiis ambiendis absterreantur, iecoris tamen suffitu expulsum, una noete in desertum superioris Ægypti a potentiori genio translatum, religatumque fuisse (*e*). Saltem, eoneludunt, plerasque harum difficultatum nullo negotio expediet, qui hanc narrationem parabolam dixerit, quod et nominum ad eventus accommodatio, horumque vel singularis aequalitas, vel mira cum superioribus similitudo postulare videntur (*f*); aut ponat faetum simplicissimum variis dein aceessionibus ad auctoris libidinem multimode auetum fuisse atque exornatum, quae hypotheses eum divina libri auctoritate consistunt. Atqui, subdunt alii, hanc externa argumenta

(*a*) VI, 6, VII, 1 (graece), 15-20, IX, 3.
(*b*) XIII, 11-12, XIV, 7.
(*c*) Ib. 15.
(*d*) III, 25, V, 7, 8, 18, XII, 12-15.
(*e*) VI, 14 (graece), VIII, 2-3.
(*f*) Bertholdt, Einl. VI, S. 2494-5, Eichhorn, Einl. in die apoc. S. 402, Iahn, Einl. B. II, S. 997.

omnino perimunt: revera hunc librum Esdras in canonem haud recepit, Philo, Iosephus, Talmudistae (*a*) silentio praeterierunt; neque probabile videtur Hellenistas religionis communione cum Palaestinensibus coniunctissimos maioris illum fecisse, eamque fidem huic adhibuisse quam ipsi Christianorum primores, ut et reliquis *deutero-canonicis*, eidem denegaverunt; quandoquidem non modo in pluribus sacrorum librorum recensionibus desiderantur quas Melito (*b*), canones Apostolici (*c*), Origenes (*d*), Athanasius (*e*), Hilarius (*f*), Cyrillus Hierosolymitanus (*g*), Laodicena Synodus (*h*), Gregorius Nazianzenus (*i*), Epiphanius (*k*), Hieronymus (*l*), variis locis atque temporibus condiderunt, sed accurate a *canonicis* distincti inter apocryphos distributi ne ipsis quidem fidelibus sed catechumenis tantum praelegebantur (*m*). — Hisce occurrentes praemonemus, non pauca ex iis quae opponuntur unius graecae aut latinae tantum versionis propria esse, proptereaque cum probari nequeat, deperdito etiam autographo communia fuisse, huius integritatem non imminuere; insuper cum nec fidem, nec mores attingant, summum, criticam versionum sinceritatem, neutiquam dogmaticam earumdem auctoritatem elevare. Ceterum nihil est negotii

(*a*) Baba Bathra fol. 14.
(*b*) Ap. Euseb. hist. eccl. lib. IV, c. 26.
(*c*) LXXXIV. ap. Mansi Ss. Conc. nova collectio tom. I. p. 47.
(*d*) Ap. Euseb. op. cit. l. VI, c. 25.
(*e*) Epist. festalis opp. t. I, p. 961, auctor synopseos ib. tom. II, p. 126 ed. Benedict.
(*f*) Prol. in Ps. XXXIII, p. 91, ed. Bened.
(*g*) Catech. IV, n. 33-36, p. 67-69 ed. Touttée.
(*h*) Can. LX. ap. Mansi op. cit. tom. II, p. 574.
(*i*) Carm. XXXIII de veris scripturis, opp. tom. II, p. 98, ed. Colon.
(*k*) De ponderibus et mensuris c. XXIII, et haeres. VIII, LXXVI.
(*l*) Prolog. galeat. Ep. ad Paulinum.
(*m*) Athanasius, Cyrillus, aliique passim locc. sup. citt.

pleraque expedire. - Theglathphalasar universam Nephthalitarum regionem occupavit, neque tamen omnes ad unum incolas in Assyriam dicitur transtulisse; iamvero cum horum plures, hostibus ingruentibus, Samariam aliove se recipere potuerunt, tum exterorum mos fuit primores praesertim Hebraeorum abducere, vilioribus praetermissis, ne terra sterilesceret; sic postmodum Israëlitis a Salmanasare in Assyriam, Iudacis a Nabuchodonosore semel et iterum in Chaldaeam deportatis, plures tamen adhuc relictos fuisse novimus (*a*). — Tobiae divitiae pro muneris qualitate haud immodicae fuerunt (*b*), verum liberalitate, maximisque largitionibus imminutas, dein confiscatas, tum restitutas quidem at propter caecitatem inerti, proindeque et inopi alendo destinatas, nisi forsan et magnam partem in inanem (*c*) medicorum operam insumtas, brevi exaruisse nemo mirabitur; porro flebilis atque diuturna parentum lamentatio, postquam filius ad mutuum recipiendum fuerat dimissus, satis ostendit, cum desiderium tam cari capitis ferre nequirent, illius consilii exsecutionem (fortassis et minus tuta Mediae conditione antea retardatam) ad extremum usque distulisse (*d*). — Cum Tigris sinuosus sit flexibus, quem viatores mane reliquerant, vespere iterum offendere potuerunt (*e*); in eodem autem immanes, voracesque pisces scatere qui homines et se grandiores, pro stupido ac fero sui ingenio, voraturi adoriantur, verum per branchias hamo manuve robustiori apprehensi, innocue ad ripam adducendi, ex recentiorum itinerariis (*f*) com-

(*a*) Cf. II. Par. XXXIV, 9, IV. Reg. XXV, 22.

(*b*) V. sup. pag. 462. not (*c*).

(*c*) I, 19-20, 22, 25, II, 16, 19-22, graece II, 10.

(*d*) I, 15 (graece), X, 1-7.

(*e*) Eamdem vicem Taurino Bodincomagum proficiscentibus praestat Eridanus.

(*f*) V. Thévenot, Voyage du Levant, tom. 3, liv. I, ch. 13.

pertum est; nec minus antiquis historiae naturalis peritis persuasum fel quorumdam piscium *supervacaneas oculorum carnes consumere, suffusiones discutere, albugines auferre* (*a*); quare haud absurdam medicinam Azarias suasit, quae sive naturaliter sanitatem restituerit, sive, quod verisimilius, praesentaneam illi efficaciam addiderit Deus, aeque prodigiosa fuit sanatio, quippe divinae virtuti aut angelico documento attribuenda (*b*). Iamvero quod senior Tobias verno quodam vespere humatione defessus atque pollutus (*c*) domum reversus ad parietem reclinis foris sub dio cubaverit, oculis autem casu vitiove (*d*) non bene clausis, aut fatali momento reseratis calidiora, ut illis regionibus, hi-

(*a*) Hoc de callyonimo, coracino, scorpione marino, siluro, lucio, aliisque testantur Plinius, lib. XXVIII, c. 4, XXXII, c. 4, 7, Dioscorides, l. II, c. 96, Celsus, l. V, Galenus, de simplic. medic. fac. l. X, c. 2, Ælianus, l. XIII, c. 4, Abubecher al Rasi, l. IX, c. 27. Consimiles morbos etiamnum lucii felle, aliorumve causticorum ope brevi sanatos tradunt et recentiores; videsis Bartholini, de morbis biblicis, § 15, Richter, Anfangsgr. d. Wundarzneyk. III, 150, Scherer, Schriftforscher, II, 329, Graefe, Repertorium arzneil. Heilformeln, S. 71, Mauchart, diss. med. Tobiae leucomata, Tubing. 1743, Memoirs of the medical society of London instituted in the year 1773, vol. IV, n. 26.

(*b*) Piscis nomen et genus praeterit auctor, quod Rosenmüllero (Biblische Naturalgeschichte II. Th. 467-8) fabularis, nobis historicae narrationis indicium est; fabulator namque quo maiorem fidem obtineret, aut curiosioribus satisfaceret quaelibet, vel inepta adiunxisset: ut autem absurde nonnulli crocodilum, hippopotamum, cetum, non satis recte callionymum alii, glanum, silurum fuisse existimant, quippe marina aut aliorum fluminis propria, insuper branchiis carentia, nec lege Hebraeis edulia; ita nihil repugnat quominus ingentem lucium aut simile quidpiam intelligamus. V. Bocharti Hierozoicon l. V, c. 14, Calmet, comm. in h. l.

(*c*) Graec. II, 9 coll. cum 1, et Num. XIX, 11, Vulg. II, 10, 11.

(*d*) Lagophthalmos λαγωφθαλμός oculorum vitium, cum superior palpebra non descendit, et oculum semiapertum relinquit, ita dictum, quia lepores apertis oculis dormire dicuntur, Cels. l. VII, c. 7, n. 9. Cf. Plinius hist. nat. l. XI, c. 37.

rundinum stercora in utramque delapsa latentem forsan inflammationem excitaverint, quae perfricatione aucta corneam laeserit unde glaucoma, vel albugo (λεύκωμα) provenerit, pellicula nempe superinducta sit acu vel corrodenti medicamento auferenda, id nec omnino insolitum, neque prodigiale est (*a*). — Capitalis sententia ab Angelo prolata cum eo quod graeci tantum interpretis propria est, tum commode ita potest interpretari ut non Raguelem, sed quemvis alium sponsae procum praeter agnatum Tobiam attingat, quod cum antecedenti historia apte consentit; vel ad Raguelem ipsum respiciat, ubi filiam ex asse heredem nuptum externo collocasset, quae sane capitalis perfidia videri potuisset, quippe filia iuxta Mosis legem (*b*) non solum concivi, sed et contribuli tradenda erat. Similiter Sarae occursum silet Vulgatus; praeterea casu ne vel consulto viatoribus obviam ivit? Atqui prisca morum simplicitate Hebraeis, aliisque Orientis populis usitatum ut puellae tum foras prodirent greges ad pascua vel aquatum ducturae, vel plaudentes victoribus occursaturae, tum domi hospites exciperent, iisdemque ministrarent (*c*). Porro in tanta locorum distantia Tobiae parentis in filii nuptias

(*a*) Cf. Gesner, hist. animal. l. III, Aldovrandus, Ornitholog. lib. XVII, Valesius, de sacra philos. c. XLII; Mauchart, op. cit. § 11 haec ad rem habet: Tobiae leucomata ad illam macularum corneae speciem referenda videri possunt, quae Graecis audit παράλαμψις, nonnullis margarita oculi, Gallis *le grand nuage*, quaeque floccum nivis aliquando aemulatur, cum nempe e crasso et viscoso humore indurato in superficie ac poris corneae magis magisque congesto pellicula concrescit, cui induratae aliae ex aliis supercrescunt lamellae instar stratorum super stratis, quae a motu palpebrarum superioris maxime levigantur, magisque constringuntur.

(*b*) Num. XXXVI, 6-10.

(*c*) Gen. XXIV, 13-16, XXIX, 9-10, Ex. II, 16, I. Reg. IX, 11, XVIII, 6, II. Reg. VI, 20, Odyss. l. IV, vv. 49-56, VI, 209-16, VII, 20, X, 105-9, XVII, 58-94, XX, 158-63.

consensus nec commode exquiri, et iure meritoque poterat praesumi; quandoquidem filium discedentem plurima admonens, ad rem nuptialem quod pertinet, hoc unum cavendum dixerat, ne alienigenam duceret uxorem (*a*); nec iste meliori unquam conditione se fruiturum, aut cumulatius parentum votis, patriisque legibus satisfacturum poterat sperare, quam si puellam contribulem, sibique affinem, piis insuper parentibus prognatam, sed et egregia forma fortunaque praestantem in matrimonium assumeret: ne tamen expressus utriusque parentis consensus omnino desideraretur, nuptiales tabulae, praeter morem et consuetudinem, descriptae sunt (*b*), quae absenti Tobiae rem totam quodammodo praesentem facerent, eius tandem assensu plenissime confirmandam. Haec Ecbatanis transacta, non autem Rage quo mox unus Azarias properavit, aperte tradit graecus interpres contra Vulgatum quem hîc deserimus; Ragem iusto decem dierum itinere Ecbatanis distare fatemur, at Azarias camelis, quos vocant dromadas, usus hoc viae spatium triduo conficere potuit: altera igitur nuptiarum die Ecbatanis discessus, tertia Ragem adventans, quarta inde cum Gabelo reversus, septima nuptialis solemnitatis quae duas hebdomadas perduravit (*c*), uterque participes esse potuerunt. — Eichhornio quaerenti quibusnam philosophiae principiis quae hîc de Angelis traduntur, tandem probabilia fiant (*d*), respondemus daemonum genus et ordines, proprietates et actiones quatenus res facti ex historia (*e*), quatenus factorum rationes sunt,

(*a*) Graece IV, 12-13 coll. cum VI, 15, ubi Tobiae senioris monitum Angelo compertum fuisse videtur, sive a iuniore, in itinere, acceperit, sive parentem illud filio iam iam proficiscenti renovantem audierit.

(*b*) VII, 16.

(*c*) VIII, 23, graece ib. 19-20.

(*d*) Einl. in d. apokr. Schrift. S. 401.

(*e*) Qui ut Bertholdtius (Einl. VI, 2478) omnia quae in V. ac N. Foedere de Angelis enarrantur, superstitionis factum existimant, nihilo

notiones nempe ordinis nostro excellentioris nonnisi ex revelatione innotescere; neutrum tamen nedum antiquioris, sed ne recentioris quidem germanae philosophiae placitis adversari. Revera quae infinitam astrorum multitudinem ignotis incolis replet, eosque sensus et rationis participes facit: praetereaque vires, quibus hic mundus regitur atque consistit, incorporales ipsas atque invisibiles, a materie quam versant ac promovent, necnon a corporeis atque adspectabilibus quos praestant effectibus, necessario accurateque distinguit; geniorum aut daemonum nomen, vel spiritualem eorumdem qualitatem, invisibilemque virtutem respuere nequit: pariter nec varium bonorum malorumve daemonum genus et indoles, nec contrarii eorum actus, nec adversa in hominum animis permovendis, mundanisque rebus, ex numinis venia aut voluntate, ciendis atque agitandis efficacia aut absurda, aut superstitiosa iis videbuntur, qui moralis haud secus ac physici ordinis pulcritudinem atque concentum ex apta dissimilium, sed et diversorum compositione ducunt esse repetenda; proindeque virtutis civilisque cultus ascensus atque progressus ex oppositis feritatis vitiorumve studiosorum conatibus mire iuvari: omnia vero ac singula quae in hac rerum universitate sunt, utut alia aliis distincta ac remotissima videantur, intimo tamen quodam nexu invisibili licet atque

tamen minus insolenter nos provocant ut corporatam Angeli speciem vere unquam visam fuisse certis argumentis comprobemus, satis ostendunt nedum certissimae cuivis historiae, sed et ne suis quidem sensibus tale quidpiam exhibentibus fidem attributuros; et haec est causa quare absurdi dicendi sunt qui exempla antiquiora reprobantes, recentiora ac novissima desiderant; haec enim plerumque incredulis frustranea, piis atque sapientibus supervacanea exsisterent, quibus priora illa sufficiunt, nec amplius (uti rudioribus olim Hebraeis vel pientissimis) frequentiora huiusmodi sensibilia argumenta necessaria sunt, ut de superiori quodam ordine, praesentissimaque numinis virtute certa firmaque opinione teneantur.

inexcogitabili colligari, mutuamque in se vim atque efficacitatem exercere. Hisce generatim praeceptis, ad singularia accedentes arbitramur nemini sapienti frigidum aut insulsum videri posse quod Angeli, ut finita eorum natura fert, et universalis rerum harmonia postulat, inter varios ordines alios aliis excellentiores distincti ac distributi dicantur; superiores propterea, omni bonitatis fonti atque origini proximiores, eiusdemque in hominum sortibus moderandis praecipui administri habeantur, qui Deo ubique praesenti adstantes, una simul opis aut consilii egenis hac illac praesto sint, septemque ab Hebraeis dinumerarentur, quibus septenarius numerus sacer erat, infinitaeque potestatis (*a*). - Qui *renes et corda scrutatur* Deus non indiget mortalium preces ut horum vota pernoscat, verum praepotens religiosi hominis necessitas est easdem effundere; agedum neque ad opem miseris ferendam angelici ministerii eget Deus, hoc tamen aeque Angelis atque hominibus accommodatum (*b*). — Angelus Azariae personam assumens verene et ingenue eius nomen et genus poterat repudiare (*c*)? aut ideo mendax quia specie verum se hominem praestitit? aeque scilicet pictor aut sculptor arguendus foret qui vivam adeo atque spirantem imaginem in tabula exprimeret, aut ex marmore effingeret, ut primo aspectu invisentes falleret; nimirum Angelus salutaris

(*a*) Cf. I. Reg. II, 5, hebr., Prov. XXIV, 16, XXVI, 25, Is. IV, 1, Ier. XV, 9, Matth. XII, 45, Luc. VIII, 2, Apoc. I, 4, III, 1, V, 6, VIII, 2, XV, 1, XVI, 1.

(*b*) Cf. typicam scalam Iacobo in somnis visam Gen. XXVIII, 12.

(*c*) Quare nec mendaciter, neque incongruenter frequens eiusdem ad Gabelum iter et hospitium sibi attribuit; cf. Iliad. XXIV, vv. 396-400, Odyss. II, vv. 267-95, 383-5, 401-5. Ceterum appellatio *Azarias* (עֲזַרְיָה Dei auxilium), genus, *Ananiae* (חֲנַנְיָה Dei donum) *filius*, aeque Angelo respondent atque cognomentum *Raphaël*; nec eius ministerio inconveniens frequens apud pios Israëlitas praesentia.

Tobiae erroris neutiquam causa sed temporalis dumtaxat occasio fuit. — Demus Tobiam in hac opinione fuisse in quam recentiores Hebraeos, nonnullosque ex Patribus adductos novimus (*a*), ut putarent malos genios virginum amore ac zelotypia teneri; haec, summum, Tobiae cum Azaria colloquentis sententia, nequaquam hagiographi documentum (*b*) fuisset: at enim ex Vulgati silentio probabiliter concludimus hoc merum graeci interpretis additamentum esse, rem satis obscuram iuxta vulgarem tunc opinionem declarantis. Porro nullatenus incredibile est Deum qui turpem libidinem aqua iam, igne, ferroque identidem exstinxerat (*c*), quo salutari et luculento exemplo tum molliores corrigeret, tum connubii sanctitatem omnibus inculcaret, daemoni permisisse, ut nonnullos (septenarius enim numerus quippe indefinitus aeque plures ac pauciores quam septem potest designare) ferarum more coniugio inhiantes quodcumcumque modo perimeret (puta vehementiorem adhuc atque letalem libidinis aestum in iisdem incendens (*d*)); nec a fide alienum quod, horum uno alteroque interemto, alii adhuc audaciores suique fidentiores, vel facti singularitate permoti, vel egregia

(*a*) V. Talmud, tract. Gittin, fol. 68, col. 1, Eisenmenger, entdecktes Iudenthum, Th. I, S. 372, Petavius, Theol. dogm. de Angelis l. III, c. II.

(*b*) « Multa siquidem in scripturis sanctis dicuntur iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non iuxta quod rei veritas continebat. » Hieronymus, comm. in Ierem. c. XXVIII.

(*c*) Gen. VI, 12-13, XIX, 24, Num. XXV, 3-9.

(*d*) Saram secreto quodam morbo laborantem eodem et viros letaliter infecisse nonnulli ex XII, 3, graece, perperam augurati sunt; nam *τὴν γυναῖκά μου ἐθεράπευσε* non significat *uxorem meam curavit*, sed *uxorem meam procuravit*, nempe *ut uxorem haberem mihi praesto fuit*; cf. Schleusneri lexic. in LXX, et Thesaurus Henrici Stephani ad h. v.; quamobrem Vulgatus accurate morbum inter et daemonis ablegationem distinguit, quod tota narrationis series et certa virginis integritas (III, 19, VI, 22, VIII, 4) necessario postulant.

virginis specie fortunaque illecti, aut alia quavis caeca cupiditate capti dubias adeo nuptias expeterent, arcani manifestationem, melioremque sibi sortem spondentes; quae scilicet consequi arduum atque difficile est, ea iuvenilibus praesertim animis multo pretiosiora ac desiderabiliora videntur; utque aiebat nimium harum rerum gnarus Ovidius:

« Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata. »

Verum insequentes quosque priorum casum ignoravisse inde confici posse videtur, quod Raguel eumdem Tobiae veritus (*a*) secreto noctuque et huic sepulcrum effoderat. — Suffitus occasione daemonem fugandum Azarias praedixerat; *occasione*, inquam, minime vero *causa* (*b*), secus supervacanea fuisset triennalis precatio et continentia (*c*), nec ullum hac de re dubium Tobiae superesse potuit cum Angelus, Azariae persona abiecta, medicum perinde ac medicinam, inventum atque inventorem specie tantum efficientes fuisse, prosperum autem eventum uni divinae

(*a*) Qui ad mutabile hominum ingenium, totiesque frustratam soceri exspectationem animum intenderit, nequaquam mirabitur, hac etiam vice, spemque metumque inter dubium fuisse; cf. VII, 13, seq. cum VIII, 12, seq.

(*b*) Directa saltem, nam suffiminis graveolentiam coniugum animis a venereis avocandis nonnihil contulisse, castumque ac pium eorumdem propositum iuvasse, proptereaque ad turpissimas daemonis artes fallendas conduxisse non diffitemur. — Varium ac superstitiosum suffimentorum abusum ab Hebraeis, Ægyptiis, Arabibus, aliisque gentibus frequentatum videsis apud Ios. Flav. Antiq. l. VIII, c. 2, Talmud, tract. Tanchuma fol. 70, col. 1, Iambl. de Myst. l. III, c. 24, Porphyr. de Abstin. l. II, c. 5, seq., Corn. Agrippa, de occulta philos. I, 43-44, Plutarchus de Is. et Osir. LXXX-I, Kleuker's Zend-Avesta Th. III, S. 233, Burckhardt, Reise in Nubien, S. 169.

(*c*) Cf. Matth. XVII, 20, Marc. IX, 28.

virtuti (quod Raphaëlis nomen portendebat) attribuendum esse declaravit (*a*). Commode tamen symbolis antea fuerat usus ut superior sui natura Tobiam interim lateret, eiusque fidem sensibili quodam signo et quidem apposito sustentaret (*b*); qua enim ratione corrupti vapores graves ac pestilentes aspirationes variis interdum suffiminibus expurgantur, dispelluntur, ita iisdem daemonum ablegatio haud incongrue significatur, quorum incorpoream naturam Hebraei aeque ac ceterae gentes aurae tenuiori, vento, spiritui (*c*) re et nomine assimilarunt: simili porro metaphora usus hagiographus daemonem *in deserto superioris Ægypti religatum* dixit, sive quia statis temporibus pestilentiores venti hinc exoriuntur (*d*), sive quia Æthiopia Hebraeis olim aeque ac aliis antiquioribus populis ultima terrarum australis ora haberetur (*e*); quamobrem malo daemone ad extrema atque inaccessa tunc hominibus loca, angelico quidem

(*a*) Cf. VI, 12, 18-22, VIII, 2, seq. cum XII, 14-15, 18-22.

(*b*) Quam congruenter Angelus Azariae speciem praetulerit, atque ex felle piscis medicinam fecerit superius ostendimus. V. pag. 477-481. Cf. pag. 348-49.

(*c*) Haec multiplex vocis hebraicae רוח potestas cf. Ps. CIII, 4; sic latinis *spiritus*, graecis πνεῦμα halitum, ventum, animam, vitam significavit.

(*d*) Urens ac turbidus auster خمسين *Khamsin*, *quinquaginta*, ita dictus quod per id tempus spirare solitus sit; nec multum ab hac caeli plaga declinat torrens ac mortiferus euronotus سموم *Samum*, Turcis سميلى *Samyeli venenosus ;* uterque circa aequinoctium spirat. V. Niebuhr's Reisebeschr. Th. I, S. 498, Volney, Voyage en Égypte, tom. I, ch. IV, Rosenmüller, Alterth. B. III, S. 6, ff. A. u. N. Morg. B. II, S. 235. ff.

(*e*) V. Augustinus, de civ. Dei l. XX, c. VII-VIII. Cf. II. Petr. II, 4, Iud. V, 6, Apoc. IX, 14, XX, 2.

ministerio, divina tamen virtute relegato, hoc unum scriptor voluit significare, omnem illi hominibus ultra nocendi occasionem aut potestatem ademtam vel coërcitam fuisse (*a*). — Prophetis in more fuisse quaedam futura, ut iam praeterita exhibere (maxime cum alia remotiora adhuc una simul praenuntiabant), quis Bibliorum peritus ignorat (*b*)? Cui haec solutio non probatur, ille cum graeco faciat qui totum vaticinium futuro tempore exponit. — Similiter cum idem interpres multo provectiorem aetatem utrique Tobiae perhibeat, verisimillimum foret filium quintam nepotum seriem tulisse; quod tamen neque iuxta Vulgatum improbabile est (*c*); praesertim si parens ipse, ut interdum usuvenit, una cum eius stirpe computetur; tunc enim quartus tantum exsisteret ordo nepotum. — Conficitur itaque satis tutam patere viam ad propositas difficultates enodandas quin temere, uti probavimus, atque absurde ponamus narrationem, maximam partem ad scriptoris libidinem confictam fuisse, illamve ad parabolam traducamus; huius enim auctor iisdem atque historicus legibus haud quidem tenetur, eique fas est quibus demum velit temporum, rerum ac personarum adiunctis narrationem suam circumscribere, neque tamen falsa aut pugnantia proferre, historiam adulterare atque corrumpere, quo peccato ubi arguendus foret, parabolae praetextu minime

(*a*) Is. v, 26, ubi Iudaeam Solymamque vastaturi (Ægyptii nempe et Assyrii) *a finibus terrae* adducendi dicuntur; Sallust. Iugurt. c. 180; cf. Lev. xvi, 7-22.

(*b*) Cf. Is. ix, 6, xlii, 1, xlv, 1-8, liii, 2-12, lxiii, 1-6. V. Hengstenberg, Christologie des A. T. i. Th. i. Abth. S. 705, seq.

(*c*) Pone siquidem Tobiam seniorem 25 annos natum una cum uxore et puerulo in Assyriam abductum; cum anno 56 visum amiserit, 60 receperit (xiv, 3) hoc ipso, iunior qui nunc 23[um] circiter agebat ex nova nupta primogenitum suscipere, 40 annos natus alteram nepotum seriem, 58 tertiam, 75 quartam, 95 quintam videre potuit, antequam pene centenarius obiret, xiv, 15-16.

absolveretur. Futile porro est argumentum ex nominum significatione petitum; siquidem parcns et natus, licet utriusque casus diversissimi sint, eodem tamen nominc donantur, quod et in pium quemvis Israëlitam aeque caderet, et multorum sane proprium fuit (*a*), perinde ac alterum Deborae (דְּבוֹרָה apis, ad pium ac liberalem aviae affectum (*b*) adumbrandum haud omnium aptissimum), necnon tertium Azariae (*c*), quod ab Angelo accommodate ad eventum assumtum fuisse nemo mirabitur; at enim falso Bertholdtius Achiacharum (Ἀχιάχαρον = אֲחִיאַחֲרוֹן) interpretatur *fratrem meum secundum* (scilicct a regc), h. c. primum post regem (*d*), nam אַחֲרוֹן *postremum* significat oppositum רִאשׁוֹן *priori* (*e*). Nec minus inaniter ex casuum aequalitate ac similitudine argumentantur; siquidem Tobiac ex. c. et Iobi vicissitudincs in hoc tantum conveniunt quod uterque ad virtutis experimentum variis calamitatibus exercitus pristinae demum integritati restitutus sit, ceterum maxime discriminantur; iamvero piorum virtutem saepius ita periclitari ac remunerari quis ambigat? Nec omnino singulare, nedum incredibile est eodem temporis puncto grandaevo et puellae in dissitissimis regionibus commorantibus adversa, dissimili tamen fortuna pressis, hanc ipsis a familiaribus immerito fuisse exprobratam, Deum contra, quem uterquc exoraverat, pro morte expetita, praesentem et opportunam opem iisdem tulisse. Hoc sane uti divinae providentiae consonum, nec experientiae adversum est; ita fabulatoris proposito minus

(*a*) Cf. Zach. vi, 10, 14, Esdr. ii, 60, Neh. ii, 10, 19, iii, 37, ii. Mach. iii, 11.

(*b*) Cf. i, 8, graece cum Gen. xxxv, 8, Iud. iv, 4.

(*c*) Cf. iii. Reg. iv, 2, 5, iv. Reg. xiv, 21, xv, 1, i. Par. ii, 8, 38, vi, 9, 13, ix, 11, ii. Par. xv, 1, xxi, 2 etc.

(*d*) i, 22 graece.

(*e*) V. Is. xliv, 6, xlviii, 12. Cf. praeterea § c.

consentaneum videri poterat, qui profecto potius inter utrumque sponsum, quam socerum inter et nurum περιπέτειας (fortunae conversionis) similitudinem quaesivisset. — Internis hisce disiectis, haud operosum erit externa argumenta disturbare. Causa cur Esdras hunc librum in canonem non receperit, cum multiplex esse potuit, tum duplex in promtu est: quod scilicet apud Israëlitas in Assyria captivos privatim vulgatus Iudaeos in Chaldaeam asportatos, Esdramque ipsum latuerit; tum etiam quia non omnia hagiographorum scripta in canonem necessario referenda erant (*a*). Philonis silentium minimi facimus, quippequi plures libros in canone comprehensos praetermittit (*b*), et Pentateucho excepto, eamdem suis ac reliquis hagiographis auctoritatem attribuit (*c*). Iosephum et Talmudistas cum Hellenistis hac in re partim saltem consensisse demonstravimus (*d*); ab iis tamen salva religionis communione dissentire potuissent, quam nec templum Leontopoli ab Alexandrinis exstructum, novique pontificatus, sacerdotii, cultusque distinctio diremerat, nec varia unquam atque diversa Pharisaeorum, Sadducaeorum, Essenorum placita diruperunt. Utcumque tandem res sit, nos Christianorum, non Iudaeorum canonem tuemur, et negamus illos unquam huic dumtaxat adhaesisse; etenim Patres qui ad eiusdem interdum amussim libros sacros recensuerunt, non tam ex propria, quam ex Hebraeorum sententia (neque universali atque constanti, sed varia interdum, minusve explorata) locuti sunt (*e*), quo commodius illorum difficul-

(*a*) V. sup. pag. 375, not. (*b*).

(*b*) Ecclesiastes nempe, Canticum Canticorum, Paralipomena, Esdram, Nehemiam, Danielem, Ruth, Threnos, exceptisque Osea et Zacharia semel citatis, reliquos minores prophetas.

(*c*) De Cherubim p. 112, De migrat. Abrah. p. 393, ed. Mangey.

(*d*) V. sup. pag. 469, not. (*a*)

(*e*) Sic Melitonis catalogus Estherem praetermittit, et Ecclesiasticum commemorat; proindeque nedum Christianorum, sed ne Iudaeo-

tatibus occurrerent, eorumque criminationes declinarent (*a*); quos vero peculiariter *ecclesiasticos* (ἐκκλησιαστικὰ βιβλία) *relegendos* (ἀναγινωσκόμενα) aut latiori sensu Hebraeorum instar apocryphos (ἀποκρυφά) denominarunt, potius verbo quam re a *canonicis* (κανονιζομένοις) distinxerunt; quandoquidem non modo in variis suis operibus, cum ad Christi fidelium institutionem, tum ad dogmata confirmanda et haereses profligandas utrisque indiscriminatim usi sunt (*b*); sed haereticos priores illos aspernantes confutarunt (*c*), et Iudaeorum canoni Christianum, utpote aequalis, sed et maioris auctoritatis, opposuerunt (*d*). Porro causa cur *deutero-canonici*, Ecclesiasticus, ex. c. Tobias, Iudith etc. catechumenis praesertim praelegerentur, non ex minori horum dignitate repetenda est, sed ex eo quod planior ac didascalica eorumdem expositio tironibus ad perfectioris legis amussim informandos, primisque Christianae doctrinae

rum quidem canoni respondet, quos tamen speciatim hac de re consulturus iter ad Palaestinam susceperat. Similiter canones Apostolici, quorum tamen auctoritas dubia est (V. Isidor. Hisp. Dissert. XVI, c. I), Ecclesiasticum et Machabaeorum libros laudant, quos postremos una cum Ieremiae epistola allegat Origenes; cf. Isid. Hisp. l. VI. Pariter Athanasius et Gregorius Nazianzenus Estherem omittunt: prior ille et Cyrillus Hierosolymitanus, necnon Laodicena Synodus (cuius tamen canon LX a multis merito uti spurius habetur), Ieremiae epistolam et Baruch adiungunt.

(*a*) Ita Hieronymus de se testatur in Apol. adv. Ruffinum l. II, c. IX: « Non quid sentirem, sed quid Hebraei contra nos dicere soleant, explicavi ». Et in Praef. ad Tobiam: Feci satis desiderio vestro; non tamen meo studio. Arguunt et nos Hebraeorum studia: et imputant nobis contra suum canonem latinis auribus ista transferre ».

(*b*) V. quae supra pag. 466-67 protulimus, quaeque de reliquis *deutero-canonicis* agentes singillatim suo loco proferemus. Adde *Missarum* et *primi nocturni lectiones* nonnisi ex S. Scriptura depromi solitas, promiscue ex *deutero-canonicis* desumtas fuisse.

(*c*) Epiphanius, haeres. LXXVI contra Aëtium.

(*d*) Origenes, ep. ad Afric. n. 13. Hieronymus, comm. in c. II. Isaiae, Augustinus, de civ. Dei l. XVIII, c. 30, Speculum de libro Sapientiae et de libro Tobiae.

rudimentis imbuendos accommodatior videbatur (*a*): tantum abest ut in illis fabularis aliquid, inepti ac superstitiosi Ecclesiae Praesules suspicarentur; secus hosce a fidelium manibus perinde ac germanos apocryphos excussissent. Quod reliquum est, demus illorum librorum fidem nonnullis Patribus aut peculiaribus Ecclesiis minus certam quandoque exploratamque fuisse, imo quosdam *canonicos* libros inter apocryphos, aut horum aliquos contrario inter *canonicos* recensuisse (quod tamen valde dubium est, quandoquidem istos ab illis nisi expresse, obliquo saltem distinxerunt); sed enim vixdum firmioris atque constantis aliarum Ecclesiarum persuasionis certiores facti sunt, aut lata hac de re Synodorum decreta intellexerunt, confestim sententiam mutasse vel dubietatem omnem exuisse, expresso (*b*) aut tacito eorum testimonio edocemur: nullum siquidem IV iam saeculo (*c*) inter *proto* ac *deutero-canonicos* practerquam nominis discrimen obtinuisse constat. Nimirum idipsum quod ad aliquas Apostolorum epistolas et pleraque Ecclesiae dogmata novimus contigisse; quorum illae paucioribus primum traditae, nonnisi sensim ac pedetentim ceteris innotuerunt; isthaec haereseôn occasione collatis undique Ecclesiarum traditionibus excussa ac definita, non novam sed antiquam universalis Ecclesiae fidem expressius solemniterque declararunt. — Stat itaque immota Tobiae libri haud secus ac ceterorum *deutero-canonicorum* auctoritas.

(*a*) Origenes, hom. XXVII in Numeros n. 1.

(*b*) Hieronymus, Praef. in lib. Iudith.: « sed quia hunc librum Synodus Nicaena in numero S. Scripturarum legitur computasse »; sive haec inter *canonicos* illum adnumeraverit, aut eodem uti sacro ac divino usus sit, sive Hieronymus hac super re falsus fuerit, ad idem redit; hic enim talem saltem auctoritatem in Synodo agnovit. De canone a Nicaenis Patribus confecto videsis Cassiodorum div. inst. p. 146, edit. Rothom. 1679; et *De canone S. librorum constituto a Ss. Patribus in magno Nicaeno Concilio*, Romae 1742. in 4.

(*c*) Scilicet post Hipponense Concilium et Carthaginiense tertium Hieronymi et Augustini aetate celebrata.

CAPUT X.

DE LIBRO IUDITH

ARTICULUS UNICUS

Sermo, aetas et auctor, versionum auctoritas, historiae fides.

CXLV. Multa quae de Tobiae libro disputavimus in hunc alterum Iudith similiter conveniunt; uterque nimirum singularis ac pretiosissima hebraicae historiae continuatio, et luculentum Iehovae in Hebraeos voluntatis documentum est; nisi quod unus privatam quorumdam Israëlitarum in Assyria conditionis varietatem ac mutationem, alter publicam reliquorum in Palaestina, necnon Iudaeorum fortunam, et communem a praesenti discrimine liberationem feminae manu, fortia Iahelis et Debborae facta numinis ope renovantis, peractam describit; sed enim eadem utriusque libelli fata, eaedem vicissitudines sunt : sane huius autographum quod iamdiu pariter in deperdito est, chaldaico etiam sermone fuisse exaratum, nisi praesto esset aperta

Hieronymi (*a*), auctoris locupletissimi, testificatio, ex genere dicendi atque verborum, graecae praesertim versionis, structura probabiliter colligeremus (*b*):

(*a*) « Apud Hebraeos liber Iudith inter hagiographa (apocrypha) legitur .... chaldaeo tamen sermone conscriptus inter historias computatur ». Praef. in Iudith. Cf. Malalae Chronographia T. I. p. 203. Quod testimonium satis esset ad contrariam Eichhornii (Einl. in die apokr. Schrift. S. 327), Bertholdtii, Einl. B. VI, S. 2570, ff., Iahnii (Einl. II B. S. 922), Ackermanni (Introd. p. 347) sententiam explodendam, qui chaldaicum Hieronymi exemplar compendiariam ac liberiorem graeci archetypi interpretationem existimarunt.

(*b*) Nam quod ad Vulgatam testatus est Hieronymus (l. sup. cit.) se « magis sensum a sensu quam ex verbo verbum transtulisse »; ceterum III, 1 Syria Mesopotamiae, et Syria Sobal respondent אֲרַם נַהֲרַיִם et אֲרַם צוֹבָה Perperam Eichhornius (op. cit p. 323) ex variis Vulgatae lectionibus hanc ex graeco desumtam opinatus est; etenim proptereaquod illa I, 3 legat *turrium* = πυργῶν (gr. I, 4 πηχῶν *cubitorum*), V, 10 *in luto* = ἐν πηλῷ (gr. V, 11 ἐν πόνῳ *in labore*), IX, 13 in labiis *caritatis* = ἀγάπης (gr. IX, 10 ἀπάτης *deceptionis*), X, 5, *panes et caseum* = ἄρτων καὶ τυρόν (gr. ib. ἄρτων καθαρῶν *panum mundorum*), XVI, 4 qui posuit = ὁ τιθεὶς (graec. ib. 2 ὅτι εἰς *quoniam in*), ib. 21 *urantur* = καύσονται (gr. ib. 17 κλαύσονται *plorabunt*), summum inde consequeretur Hieronymum graeco etiam apographo usum fuisse; verum cum Vulgatae lectiones probabiliores sint, potius colligimus primigenium graecae versionis exemplar geminas habuisse, quas librarii facili similium litterarum permutatione in citatas recepti nunc textus traduxerint. Male similiter Calmet (praef. in h. lib.) idipsum in graecis vocibus *myro* et *mitra* X, 3 coniecit; prior namque alibi etiam (praef. in lib. Reg.) a Hieronymo, posterior passim a latinis scriptoribus usurpatur. Nec minus temere Cappellus (Comm. et not. crit. in V. T. p. 575) Vulgatam Hieronymo abiudicavit propter nonnullas dictiones ac solaecismos a sano eiusdem dicendi genere alienos, puta I, 5 *obtinuit eum* pro *superavit*, ib. 12, II, 1 *defenderet se* pro *vindicaret*, II, 33 *opinatissimam* pro *celeberrimam*, ib. et 16 *praedavit*, VI, 3 *disperiet*, ib. 4, *transiet*, VIII, 32 *exeam*, IX, 13 percuties eum *ex* labiis, X, 17 captus est *in* suis oculis Holofernes, XV, 2 *evadere* festinabant Hebraeos, ib. 7 *onustati* sunt, XVI, 7 *nocuit eum;* quid enim si daremus haec a Hieronymi stilo abhorrere? numquid absonum aliqua menda temporum hominumque iniuria in eius versionem irrepere potuisse?

tantum enim abest ut pura hîc graecanica dictio deprehendatur (*a*), ut imo et *hebraismis* scateat (*b*) scriptori graecis litteris vel leviter tincto facile devitandis; insuper solaecismis redundet (*c*), qui

(*a*) Unicum et ne certum quidem exemplum profert Eichhornius (op. cit. p. 325-26), nempe IX, 2 graece λύειν μίτραν, quae pura graeca locutio est respondens latinae *zonam solvere;* at textus receptus habet μήτραν non μίτραν: unicum dixi, nam vocabulo Τιτάνων XVI, 7 ad gigantes (רְפָאִים) significandos et LXX Interpretes II. Reg. XXXIII, 13 in editione Complutensi usi sunt. De cetero, ubi plura et certiora suppeterent, potiusquam auctori, liberiori interpretis ingenio essent attribuenda; qua pari ratione graeco et Vulgato *Arcturi*, *Orionis*, *Hyadum*, *Pleiadum*, *Cornustibii* (᾿Αμαλθείας) et *Mercurii acervi* vocabula adiudicanda sunt Iob. IX, 8, XXXVIII, 31, XLII, 14, Prov. XXVI, 8.

(*b*) Hi sane in graeco exemplari frequentissimi sunt; en praecipuos: II, 27 (Vulg. II, 16, VII, 17, XV, 6 ἐν στόματι ῥομφαίας = בְּפִי חֶרֶב *in ore gladii*, III, 10 μῆνα ἡμερῶν = חֹדֶשׁ יָמִים *mensem dierum*, h. e. integrum, IV, 2 σφόδρα σφόδρα = מְאֹד מְאֹד *valde valde*, ib. 14 εὐχάς = נֶדֶר sacrificium, votum, V, 24 ἔσονται εἰς κατάβρωμα = יִהְיוּ לֶחֶם (cf. Num. XIV, 9), VI, 12 ἔβαλον ἐν λίθοις = יָרוּ בָאֲבָנִים *iaculati sunt in lapidibus*, i. e. lapidibus petierunt, XIV, 2 σκευὴ πολεμικά pro *armis* = כְּלֵי מִלְחָמָה; adde frequentiorem καί = ו pro aliis graecis particulis usum cum generatim, tum speciatim initio membrorum, ex. c. VI, 1, XI, 11, XIV, 11, XV, 3; similiter infinitivi ad finem causam, aut consequentia significanda, ex. c. II, 11 οὐ φείσεται ὁ ὀφθαλμός σου, δοῦναι αὐτούς = לֹא תָחוֹס עֵינְךָ לְתִתָּם *non parcet oculus tuus dare eos*, h. e. immisericorditer trades, *caedi* nempe, XV, 8 ἦλθον τοῦ θεάσασθαι = בָּאוּ לִרְאוֹת *spectatum venerunt;* tandem pronominis relativi supervacuo geminati, sic V, 19 οὗ διεσπάρησαν ἐκεῖ = אֲשֶׁר נִדְּחוּ־שָׁם *ubi* dispersi fuerunt illic, VIII, 10 ἐν οἷς αὐτοὶ ἐνοικοῦσιν ἐν αὐτοῖς = אֲשֶׁר יָשְׁבוּ בָהֶם *in quibus* ipsi inhabitant *in eis*, cf. VIII, 21, X, 2, XVI, 4. V. alia plura apud laud. Vincenzi, op. cit. P. III, pag. 79-82.

(*c*) Sic I, 3 pronomen femininum αὐτῆς quod non ad πόλιν urbem, sed ad τεῖχος murum respicit, inde ortum videtur, quod hic graece

nonnisi a male descripto aut perperam intellecto hebraico vel chaldaico exemplari exsistere potuerunt; mitto Iudithae epinicium sublimem hebraicae poëseos indolem, audaciores tropos, succum et sanguinem manifeste adeo praeseferre ut cum triumphali Mosis cantico et grandioribus Isaiae carminibus merito aequiparandum sit. – Qua vero aetate, quoque auctore hic liber editus sit, non omnino

neutrius, hebraice (חוֹמָה) feminini generis est; ib. 6 rectus casus *ὁ βασιλεύς* pro obliquo respondet hebraico הַמֶּלֶךְ *in statu constructo*; ib. 9 *πέραν trans*, loco *ἐντός cis* ex univoco עֵבֶר derivandum est quod utrumque significat; pariter ib. 12 *εἰ μὴν ἐκδικήσειν πάντα τὰ ὅρια ..... ἀνελεῖν τῇ ῥομφαίᾳ αὐτοῦ κ. τ. λ. nimirum ulturum se omnes fines ..... interemturum gladio suo* etc. ex אִם לֹא נָקוֹם כָּל־גְּבוּל .... לַחֲרִבוֹ וגו repetenda, nisi quod לַחֲרִבוֹ *ad vastandum*, librarii aut lectoris vitio in לְחַרְבּוֹ *gladio eius* immutato, ad sententiae complementum vocabulum *ἀνελεῖν interimere* insertum est, quod cum sequenti *τῇ ῥομφαίᾳ αὐτοῦ*, nullatenus cum praecedenti *τὰ ὅρια* consentit; item ib. 16, et II, 20 *ὁ σύμμικτος* et *ὁ ἐπίμικτος commixtus* et *permixtus* de copiis auxiliaribus accepta hebraicum הָעֶרֶב repraesentant (cf. p. 390, not. (*a*)); similiter II, 11 *ἐν πάσῃ τῇ γῇ σου* ex mendoso בְּכָל־אַרְצְךָ pro בְּכָל־אֲרָצוֹת xv, 7 *ζήσονται ἐπί* ex יִחְיוּ תַחַת pro יִהְיוּ תַחַת; ib. 11 *θάνατος mors* ex chaldaico מוֹתָא pro מוֹרָא *tremor* (Vulg. ib. 9); XIV, 13 *εἰς τέλος in finem* pro *καθόλου prorsus, omnino* ex לָנֶצַח; tandem XVI, 3 *ἐν μυριάσι δυνάμεως in myriadibus virtutis* (Vulg. ib. rectius *in multitudine fortitudinis*) ex רִבּוֹ pro רֹב originem traxerunt. Idem dicendum de variis locorum nominibus, puta Βετάνη et Χελλούς I, 9 quae בֵּית־עֲנוֹת et חַלְחוּל (Ios. xv, 58-59), Ῥασσις II, 23 quae תַּרְשִׁישׁ, Ἰεμναά ib. 28, quae יַבְנֶה Δωταία III, 9, quae דֹּתַיִם (Gen. XXXVII, 17) vel דֹּתָן (IV. Reg. VI, 13) reddere videntur. V. Gesenius, Hallische Lit.-Zeit. I. 1832, Ianuarsheft, Movers, Bonner Zeitschrift f. phil. u. kath. Theol. Heft; 13, S. 31-40, Welte, Einl. 2. Th. 3. Abth. § 21.

liquet; sed enim quamquam multis (*a*), non tamen plurimis post Iudithae obitum annis vulgatum fuisse postulat accurata ac diligens locorum (*b*), copiarum, bellique apparatus (*c*), temporum (*d*), nominum (*e*), decretorum, sermonum, precum, carminis (*f*) descriptio ac minuta adiunctorum (*g*) quorumlibet notatio, quae omnia, saltem pleraque, memoriter servari nequivissent, monumentis autem consignata recentior scriptor utpote aequalibus suis supervacua commodius praeteriisset. Quamobrem non solum iis nequimus assentire qui libri compositionem Christiano iam aevo assignant (*h*), quandoquidem vel ipsa graeca versio multo antea edita sit oportet, ut iamtum in nullis ferme LXX versionis codicibus desideraretur; sed ne iis quidem subscribimus qui illum Antiochi Epiphanis, vel Machabaeorum, aut primi a. Ch. saeculi contemporalem faciunt (*i*); ex eo quod enim haec narratio ad

(*a*) XIV, 6, XVI, 30-31. Verum non omnino repugnaret haec a recentiore adiecta fuisse.

(*b*) I, 1-3, 5-9, II, 12-17, III, 1, 14, VII, 3, VIII, 3.

(*c*) II, 7-11.

(*d*) I, 5, II, 1, 17, III, 15, VII, 11, 23, 25, VIII, 2, 4, XII, 10, XVI, 28-31.

(*e*) VI, 11, VIII, 1-2.

(*f*) II, 3-16 (graece 5-13), V, 3-4, 5-25, VI, 2-7, VIII, 10-27, IX, 2-19, XI, 4-18, XVI, 2-21.

(*g*) VIII, 3, 5-7, XII, 1-XIII, 16.

(*h*) Eichhorn, op. sup. cit. p. 331, Bertholdt, Einl. B. VI, S. 2564, de Wette, Einl. § 308.

(*i*) Grotius, Praef. in lib. Iudith., Iahn, Einl. II, S. 921, ff., Ackermann, Introd. p. 347, Movers, op. cit. p. 47, seq.

Hebraeorum animos difficillimis hisce reipublicae temporibus erigendos accommodatissima videatur, perperam conficeres tunc primum confictam aut scripto exaratam (*a*); maxime cum Hebraeos, superiori perinde ac inferiori memoria, in eadem saepe rerum trepidatione versatos fuisse constet. Iam enim quae de archetypi sermone atque aetate hactenus disputavimus ad scriptoris personam quadantenus definiendam conducunt: sane sicut Iudith (quam a Hieronymo ut operis auctorem ha-

(*a*) Summum, graecam tunc versionem confectam fuisse probabiliter colligeres; qui contra Theodotioni, proindeque II post Chr. saeculo, illam adiudicarunt, ignorasse videntur iam sub prioris exitu a Clemente Romano fuisse laudatam. Perpere similiter Sandbüchler (Erlaeuter. d. bibl. Gesch. Th I. S. 369-83), Iahn, Ackermann (locc. sup. citt.) προσάββατα (*antesabbata*) et προνουμενίας (*anteneomenias*) gr. VIII, 6; Achioris circumcisionem, et Iudaeorum sacris initiationem XIV, 6; frequentes et prolixiores sermones et allocutiones (III, 2-6, IV, 12,14, V, VI, 2-6, 15, 17-18, VII, 8-9, 13-17, 19-21, 23-25, VIII-IX, XI, 11-13, 15-16, XI, 1-3, 4-17, XII, 10-11, 12-14, 17-18, XIII, 17-21, 22-26, 27-28, 31, XIV, 1-5, XV, 10-13) uti recentioris compositionis argumenta habuerunt: demus enim laudatas superius festivitates tarde inductas fuisse; cum a graeco tantum interprete memorentur, ab eoque propterea narrationi superadditae videantur, recentem potius versionis quam exemplaris aetatem demonstrarent: porro Machabaeorum temporibus Ethnicos Hebraeorum sacris per circumcisionis ritum frequentius initiatos fuisse suscipimus; nunquam id antea fieri consuevisse negamus (cf. Gen. XXXIV, 15-17); ceterum iis in rerum adiunctis versabatur Achior, quae profecto singulare aliquod postulabant: ad collocutiones demum quod attinet, cum geminae, breviores aut longiores, in antiquioribus V. F. libris passim occurrant (cf. ex. c. Ios. I, 8-10, II, 9-14, III, 9-13, IX, 6-13, XIV, 6-12, XXII, 1-8, 16-29, XXIII, 2-16, XXIV, 1-24) illas ad graecorum exemplarium instar recens compositas fuisse non est cur dicamus, eo vel maxime quod hoc historicam libri fidem (quam mox indubiam ostendemus) quadantenus debilitaret; admodum enim difficile foret historiae veritatem ab adscititio ornatu discriminare.

bita fuisse temere Calmet suspicatus est, Eichhornius et Bertholdtius (*a*) falso affirmaverunt), et Eliachim recentior esse videtur; ita ab eodem necnon Iosua, Iosedec primi post exsilium Pontificis filio, huiusque nepote Ioacim (*b*) hoc praesertim nomine discriminandus, quod isti opus hebraico sermone condidissent, qui ante captivitatem apud Iudaeos vulgaris, postmodum proprius adhuc hagiographorum fuit; chaldaicus e contrario in borealibus Palaestinae tractibus, qui primum Assyriorum incursionibus patuerunt, iampridem obtinuerat; quare Iudith, Achior, principes Moab et duces Ammon omnes indiscriminatim nullo interprete cum Holoferne colloquuntur. Accedit quod auctor dum diligentiori Palaestinae locorum quam Assyriae imperii definitione Hebraeum se deprehendit, nunquam tamen Ierusalem ut patriam sui sedem, imo contrario, ut remotam urbem designat, ac libentius in iis immoratur, quae ad Bethuliam spectant eiusque viciniam; videtur itaque hoc opus pio cui-

(*a*) Calmet, Prolog. in lib. Iudith., Eichhornius, op. cit. p. 331, Bertholdtius, op. cit. p. 2562. Revera Hieronymus qui Comment. in Aggaei prophet. I, 6 historiam Iudith *librum mulieris* dixerat, hoc nomine non libri auctorem, sed argumentum significasse satis aperte declaravit epist. ad Principiam virginem, inquiens: « Ruth, et Esther, et Iudith tantae gloriae sunt, ut sacris voluminibus nomina indiderint ».

(*b*) Priori librum adiudicarunt non pauci Catholicorum antiquiorum praesertim interpretum, quos laudat Tirinus, op. cit. p. 185, ex recentioribus Glaire, Introduction hist. et crit. aux livres de l'A. et du N. Test. vol. 3, p. 376-82; posterioribus vero Pseudo-Philo Chronogr. l. II, Rabbi Azarias, Meor Enaim l. III, f. 32, p. 106; prudentiores tamen cum Isidoro Orig. l. VI, c. V, auctorem incertum esse fatentur.

dam Israëlitae attribuendum qui, nec locorum nec temporum intervallo ab eventis admodum disiunctus, haec recenti adhuc memoria, paullo ante Babylonicam captivitatem, in coaequalium ac posterorum documentum scripto consignaverit. – Porro archetypo iamnum deperdito, quaenam versio sincerius illud exprimat inquirendum est; at enim cum Itala (*a*)

(*a*) Hoc de Itala indubitanter affirmamus; quamquam enim quaedam ibidem a graeca paullo aliter diversa, alia omissa aut superaddita inveniuntur (plerasque discrepantias exhibet Welte, Einl. § 22, integram versionem videsis apud Sabatier l. sup. cit.), haec tamen et pauca et minima sunt, partim graecorum amanuensium, partim latini interpretis vitio attribuenda *, talia scilicet quorum similia in qualibet antiquiori versione plus minus occurrunt; generatim vero ita pressius atque adstrictius graecae congruit, ac verbum pro verbo reddit, ut nequicquam ex omnino diverso (Eichhorn op. cit. p. 327), maximeve corrupto **, vel librariorum licentia perverso, minusque adhuc, mediis quae vocant temporibus, variis Vulgatae lectionibus interpolato exemplari (Iahn, op. cit. p. 924, seq., Bertholdt. op. cit. p. 2576) prodiisse dicenda sit; quod postremum profecto quam absurdum foret; nimirum cum eo quod Italae usus quod ad libros a Hieronymo latine redditos iamtum obsoleverat, tanta est utriusque diversitas ***, ut neutiquam haec illius ope refecta existimari queat;

* Ex. c. Ital. IX, 2 vocabulum *praeposuisti* ostendit latinum interpretem in graeco exemplari legisse ἐπέταξας loco ἐπάταξας uti nunc habet textus receptus. V. Bendtsen, Specimen exerc. crit. in V. T. lib. apocr. p. 99, seq. Cum librariorum in numeris ac nominibus describendis errata non tam utrius propria, quam cuiusque antiquioris versionis communia sint, haud necesse est ut hac de re aliquid praeterea moneamus.

** Imo quaedam Italae lectiones sunt quae mutilas graecas integritati restituere videantur: sic comma VIII, 19: *quia non despiciet nos, nec auferet salvationem et misericordiam suam a nobis et a genere nostro*, demonstrat post graeca verba VIII, 20, ὅτι οὐχ ὑπερόψεται ἡμᾶς, sequentibus οὐδ᾽ ἀπὸ τοῦ γένους ἡμῶν haec praetermittenda librariorum incuria praeterita, οὐδ᾽ ἀποστήσει τὸ σωτήριον καὶ τὸ ἔλεος αὐτοῦ ἀφ᾽ ἡμῶν, quae lectio unius insuper codicis auctoritate fulcitur. V. Holmes-Parson, editio V. T. Graeci cum variis lectionibus, tom. v. Oxonii 1827, folio.

*** Itala cum Vulgata uno tantum versiculo (XVI, 12) adamussim, in perpaucis quadantenus ad litteram consentit (It. III, 7, V, 6, 21, IX, 10, XII, 7-8, XIII, 1, 9, XIV, 16), in reliquis etiamtum verbo discrepat cum sententia eadem est (ex. c. It. I, 12, II, 15, 17, III, 10, 15, IV, 1-3, V, 1, VI, 7, 21, VIII, 3, X, 14, XI, 1, 13, XII, 9, XIII, 2-3, 17, 18, XIV, 1, 15, XV, 7). Idem dicendum de variis Italae codicibus manu descriptis.

et Syriaca (*a*) haud secus ac reliquae antiquiores versiones (copticae, aethiopicae, armeniacae etc.) a graeca manaverint, nonnisi haec atque Vulgata in quaestionem venire queunt; iamvero cum in multis locis apprime istae consentiant (*b*), at in non paucis adeo discrepent (*c*), ut ex chaldaico quidem exemplari, quod superius probavimus, neutiquam tamen ex eodem archetypo desumtae videantur, sequitur aut duplex autographum esse agnoscen-

hinc etiam falsitatis arguuntur (Eichhorn, op. cit. p. 338, Iahn, l. cit.) qui Hieronymum Itala ad chaldaicum exemplum emendata in sua versione componenda usum fuisse perhibuerunt.

(*a*) Idem dicendum de Syriaca quae in Polyglottis Walton. tom. IV edita est; etenim non modo aptius quam Itala et Vulgata ad graecam respondet, ipsaque diversitas graecae lectionis varietatem ostendit (sic VIII, 24 pro ἐπιδειξώμεθα *ostendamus* legerat ἐπιδεχώμεθα *suscipiamus*, vertit enim ܢܩܒܠ, item IX, 2 pro μήτραν legerat μίτραν neque *zonam*, sed *mitram* intelligens, reddit enim ܣܥܪܗ *crinem*); sed crebris in locis, ex nominum praesertim ac numerorum descriptione, iuxta emendatius eiusdem exemplar condita videtur: ex. c. XV, 11 pro ἐφ᾽ἡμέρας τριάκοντα, *per triginta dies*, legerat τρεῖς *tres*, reddit enim ܬܠܬܐ quod verisimilius.

(*b*) Cf. ex. c. Vulg. VIII, 10-27 cum Gr. ib. 11-27; Vulg. IX, 2-14 cum Gr. ib. 2-19; Vulg. XI, 1-23 cum Gr. ib. 1-21, XII, 1, seq. utrobique.

(*c*) Nam praeter numerorum et nominum varietatem (cf. Vulg. I, 2-3 cum Gr. I, 2-4; Vulg. ib. 5 cum Gr. ib. 13; II, 1, VII, 2 utrobique 1, 9, V, 9 utrobique, VIII, 1 et passim Bethulia pro Βετυλούα) multa hic omissa (cf. Gr. I, 8-9, 12, II, 20-25, VII, 13-15, 17-18, VIII, 6, 21-23, 30-32, IX, 3, X, 9, XV, 13), contracta (cf. Vulg. II, 5-6 cum Gr. ib. 5-13), non pauca superaddita sunt (I, 6, II, 12-13, III, 1, 9, 11, IV, 12-14, V, 11-13, 15-19, 27-29, VI, 6, 17-18, VII, 19-22, VIII, 17, 24-25, 27, IX, 6-8, X, 4, 8, 12, XIII, 21, XIV, 5, 9-10, XV, 4, XVI, 31). Huiusce versionis latinam interpretationem a Flaminio Nobilio confectam videsis ap. Vence, S. Bible, 5.e édit. tom. VIII.

dum, quod absonum et inauditum; aut versionum alterutram a protótypi simplicitate ac veritate aliquatenus descivisse, quod de graeca cumprimis asserere non dubitamus; quamquam enim et ipsum chaldaicum archetypum temporum hominumque vitio nonnihil adulterari potuit, cum tamen Hellenistarum ingenium paullo liberius atque intemperantius fuerit, proindeque pronum esset coniicere graecae versionis exemplar et apographa interpretis ac librariorum licentia passim aucta, imminuta ac multimodis interpolata fuisse, nisi id ex variis eiusdem lectionibus a Patribus (*a*) laudatis, atque ex non paucis etiamnum graecis codicibus calamo exaratis evidenter appareret; cum demum Hieronymus veritatis quam integritatis studiosus *hanc multorum codicum varietatem vitiosissimam amputaverit*, nec singula tamen chaldaici èxemplaris verba, sed *ea tantum quae integra intelligentia invenire potuit*, magisque ad sensum quam ad litteram expresserit (*b*); nemini profecto Vulgatae a graeca diversitas mira videri poterit, sed prudens quisque hanc pleniorem

(*a*) Sic Origenes, hom. I. in Ps. XXXVII, citans Iudith VIII, 17 pro ἀναμένοντες τὴν παρ᾽αὐτοῦ σωτηρίαν *exspectantes, quae ab ipso est, salutem*, legit *humiliate animas vestras*, quod Vulg. VIII, 16 congruit; selecta in Ierem. cap. XXIII, n. 29, allegans Iudith XVI, 15, legit συντριβήσονται πέτραι *conterentur petrae*, loco ὡς κηρὸς τακήσονται *sicut cera liquescent*, prout Graecus, Syrus et Vulgatus ib. 18 legunt; hom. XIX in Ier. n. 7 alium Iudith locum laudat qui nuspiam nunc reperitur, nempe ἀθεσίαν ἐπικαλέσομαι *praevaricationem invocabo*; idem dicendum de genealogia Iudith quam laudat Fulgentius ep. 2 ad Gallam, c. 14.

(*b*) Praef. in lib. Iudith.

quidem plerumque, at illam e diverso sinceriorem (*a*) existimabit. Haec tamen de critica textus sanitate atque integritate intelligenda sunt; namque ad historiae summam atque ad dogmaticam veritatem quod pertinet, Graeca, Syra, Itala perinde conveniunt; merito propterea haec occidentalis olim, priores duo etiamnum orientalis Ecclesiae usu et auctoritate comprobatae sunt.

CXLVI. Iam enim germanam hîc historiam, minime vero parabolam ad paraenesim, aut poëticum figmentum ad animorum oblectationem exhiberi luculenter auctor declarat, affirmans ad suam usque aetatem Achioris stirpem, annuamque solemnitatem in victoriae monumentum institutam perduravisse; unde non solum facti veritatem colligimus, sed vivam eiusdem memoriam, plenamque notitiam diu a posteris fuisse servatam; idipsum confirmat minutissima rerum, rationum, earumque circumstantiarum definitio (*b*), talis scilicet quae in probatissimis ceteroquin narrationibus saepe, in fabularibus

(*a*) Nimirum narrationis exordium lene magis et fluens, minusque contortum est (cf. Vulg. I, 1-5 cum Gr. I, 2-4, 5-13); Nabuchodonosoris consilium, Medorum rege devicto, occidentalium regionum incolas Assyriae rursus dominationi subiiciendi multo probabilius quam horum antea remotam adeo atque insperabilem opem requirendi (cf. Vulg. I, 7-12 cum Gr. I, 6-12); Iudithae petitio Vulg. XII, 5 quam tempestiva graec. ib. 6-7 valde importuna; numeri demum descripti, ut plurimum, credibiliores sunt (cf. Vulg. I, 2, 3, 5, II, 1, VII, 2 cum Gr. I, 1-4, 13, II, 1, VII, 2). Neque tamen inficiamur graecam versionem veriores ullas lectiones suppeditare, talis videtur VIII, 1 *Israel* pro *Ruben* Vulg. ib., cf. IX, 2 utrobique.

(*b*) V. sup. pag. 494. nott. (*c*) (*d*) (*e*) (*f*) (*g*).

autem perpetuo desiderantur, quaeque non tam ad veri similitudinem quam ad veritatem ipsam expressa sunt (*a*). Revera temporum rationes secum invicem et cum profana historia (*b*), necnon cum locorum definitione (*c*) consistunt; personarum nomina ex nativo cuiusque sermone etymon ducunt (*d*), ingenium et indoles, gesta et consilia, mores et

(*a*) Cf. sup. pag. 460-61.

(*b*) V. inf. pag. 511-15.

(*c*) Syriae, Palaestinaeque populi iuxta varias tunc incolarum stirpes ac vires describuntur; pone Ciliciam occidentalem affectatae dominationis terminum sequitur Damascus urbs Syriae potentissima, quae integrae provinciae exemplo praeerat, dein Libanus et Antilibanus, Phaeniciaeque littoris urbes, dissimilium gentium et sui quaeque iuris antiquae sedes, tum habitatores Chanaan secundum diversas Assyriorum colonias potiusquam indigenarum tribus dispertiti, qui medianos ac boreales illius tractus non seorsim, sed una simul cum externis commixti incolebant; quae sane distributio Assyriorum temporibus congrua, recentiori Persicae puta, aut Macedonicae dominationis aetate haud amplius convenisset.

(*d*) Iudith יְהוּדִית *laudata* (cf. Gen. XXVI, 34); Achior אֲחִיאוֹר *frater*, *amicus lucis*, scilicet *doctrinae*, *veritatis* (cf. Is. II, 5); Ozias עֻזִּיָּה *potentia Iehovae* (cf. IV. Reg. XV, 13, Esdr. X, 21, Neh. XI, 4 hebr.), Abra latine, graece Ἄβρα (famula honoratior, *damigella*, *fille d'honneur*, *a Lady's maid*) = chaldaice חֲבֵרָה, syriace ܚܒܪܬܐ *socia*, germana hebraicae aut semiticae originis nomina sunt; idipsum de singulis Iudithae maioribus VIII, 1 dicendum est. Appellativum Nabuchodonosor נְבוּכַדְנֶאצַּר, persice *Mercurii rex princeps* (v. Ges. ad h. v.) uti Chaldaeo dein, ita pridem Assyrio (cf. pag. 423), quemadmodum alterum Arphaxad אַרְפַּכְשַׁד (*Chaldaeae terminus* populi et regionis nomen Gen. X, 22, 24, XI, 10-13) cuivis Medorum regi generatim congruit: nisi mavis hoc postremo nomine *Phraortem* intelligere, *Phra* enim ab Hebraeo scriptore euphoniae causa primum in *Aphra* (uti Xerxem in Assuerum), tum in *Arpha* (sic Graeci θάρσος pro θράσος dixerunt) immutatum est; et pro *ortes*, persice

consuetudines singulorum conditioni, patriae atque instituto respondent; Hebraeorum reditus cum superiori Medorum victoria (*a*), fastosus Nabuchodonoris titulus (*b*), iusiurandum (*c*), divini honoris affectatio (*d*), superba et barbara iussa (*e*), quadrimestres cum victricibus copiis conventus et comissationes (*f*),

magnus, *csad* (a כַּשְׂד) *chaldaeus*, aut, latiori sensu (cf. pag. 423), *benignus* (a חָסַד) suffecit: adde exteros reges variis saepe nominibus donatos aliis plerumque ab Hebraeis atque a Graecis scriptoribus appellatos fuisse. Persicum porro Holophernis nominis etymon declarant gemina a Persis post Cyrum usitata, nempe Dataphernes, Phrataphernes, Artaphernes, Tissaphernes, Intaphernes, Pharnaces, Pharnabazus etc.; homonymum sane (Ὀλοφέρνης, Ὀλοφέρνης) Cappadociae principem memorant Appian. in Syriacis c. XLVII, Diod. Sic. Bibl. Fragm. XXXI, p. 22, 41 ed. Wesselingii, Iustinus lib. XXXV, c. I, Polybius l. III, c. 5, l. XXXII, c. 20, l. XXXIII, c. 12; nec repugnat priorem illum eiusdem dignitatis atque originis fuisse, Assyriae autem regi foederatum universi exercitus imperatorem constitutum.

(*a*) Cf. V, 23 cum I, 1.

(*b*) Cf. II, 5 graece cum Esdr. I, 2 (v. pag. 427. not (*b*)), Esth. XIII, 1-2, Aristoph. Plut. v. 170, Aves, v. 486, Acharn. vv. 65, 115, Jomard, Voyage en Arménie et en Perse p. 229.

(*c*) Cf. I, 12 cum Herod. l. IV, c. 68, Tavernier, Voyage de Perse liv. I.

(*d*) Cf. III, 13, VI, 2 cum Dan. VI, 6-7, Act. XII, 22, Curtius l. V et VIII.

(*e*) Cf. II, 5-13 graece cum Is. X, 6-11, XXXVI, 4-10, speciatim vero II, 7 graece cum Herod. IV, 126, V, 17, ubi antiquus hic mos *terram et aquam* in signum deditionis tradendi confirmatur; geminum Plinii temporibus apud Germanos, et per mediam adhuc aetatem perdurasse ex Plin. hist. nat. lib. XXII, c. 4 et Ducangii Glossario ad v. *Investitura* (tom. II, pag. 103, seq.) perspicitur.

(*f*) Cf. I, 16 graece cum Esth. I, 3-4, Phylarchus ap. Athenaeum Deipnos. l. IV, c. 13, Herod. l I, c. 133, VII, 8, VIII, 67, Curtius l. VII, c. 4, Heeren, Ideen I, S. 470, Brisson, de regio Persarum principatu, pag. 49 et 468, seq., Moldenhawer's Persische Alterthümer S. 15, Malcolm, Hist. Pers. I, pag. 318 versionis germanicae.

harum iuxta diversam originem ac varium armorum genus recensus (*a*), metus quem undique incutiunt, vastitas quam faciunt, latus ac celeris victoris exercitus triumphus; duceque exstincto subita dissipatio (*b*), antiquae orientis historiae probe gnaro nec inusitata nedum incredibilia videbuntur; Esdrelonis planities congruit Holofernis consilio dispersa immensae multitudinis agmina colligendi, eiusdem quaestiones de Iudaeorum virtute, numero ac munitionibus, in ducem sollertem, fiducia quam idem plurimam in equitatu ponit, in Persam cumprimis conveniunt (*c*); Achioris responsum recentem Sennacheribi cladem silentio praetereuntis, contrario Ægyptiorum, Assyriorum hostium, infaustum saepe adversus Hebraeos belli exitum coram principe commemorantis rebus secundis insolentiore quam prudens est ac tempestivum (*d*); Iudithae magnanimitas, patriae caritas, castum viduitatis propositum, fortunataque audacia, Achioris firma in Iehovam fides, atque in Israëlis societatem cooptatio, apud Hebraeos nec rara, nec inaudita sunt (*e*); hoc tamen postremum antiquo Iudaeorum in Moabitas odio, legique Mosaicae specie tenus (*f*) adversum

(*a*) II, 7, 11.

(*b*) Ib. 12-IV, 2, XV, 1-2.

(*c*) III, 9-10, V, 3, VI, 3 graece.

(*d*) V, 5, seq.

(*e*) Cf: XIII cum Iudic. IV-V; XIV, 6 cum Ios. VI, 25. Relege dicta sup. pag. 51, 170, 171 et not. (*c*), 172, 177.

(*f*) Deuter. XXXIII, 3, cf. sup. pag. 210, not. (*b*).

nisi verum, nemo prudens confinxisset; templi cultus et ministerium, oblationes, sacrificia, pius ciborum delectus (*a*), donaria et tropaea Deo dicata (*b*), festum denique in assertae libertatis recordationem inductum (*c*), Hebraeorum institutis, moribus, consuetudini congrua sunt. Quae interna probabilitatis argumenta aliis insuper roborantur quae mox in adversariorum difficultatibus enodandis proferemus, praetereaque totius gentis consensione historicam saltem libri veritatem suscipientis (*d*), tum Hellenistarum, praesertim vero Catholicorum (*e*)

(*a*) Cf. IV, 16, XI, 12, XVI, 22, 24, XII, 2, 9, 19 cum Num. XVIII, 12, Deuter. XII, 6, XIV, 22-23, XVIII, 4, Tob. I, 6-7, 12.

(*b*) Cf. XVI, 23 cum I. Reg. XXI, 10, I. Mach. VI, 2.

(*c*) Cf. XVI, 24, 31 cum Selden. de Synedriis Hebr. p. 133, seq.

(*d*) Id Hieronymus praef. in Iudith aperte testatur; cf. Megillath Taanith, c. 6, R. Nissim ben Ruben ad Alphesi Sabb. c. 2, יְהוּדִית in מַעֲשִׂיּוֹת Cod. Vatic. 285, R. Ioseph ben Salomo, R. Samuel in Toseph. Megilla 4 a, R. David Ganz, Chron. S. p. 71, 175, 274, 310, aliosque ap. Scholz, Einl. 2. Th. S. 611, not. (*o*). Cfr. sup. p. 9, not. (*q*).

(*e*) Recole quae superius pag. 466-72 de libris *deutero-canonicis* generatim disputavimus; Iudithae librum singillatim uti divinum laudarunt, aut adhibuerunt (misso Lucae testimonio I, 42 coll. cum Iudith. XIII, 23, quippe haud insueta salutandi forma, cf. Iudic. V, 24) Paulus ep. I. ad Cor. X, 10 coll. cum Iudith VIII, 35, Clemens Rom. ep. I. ad Cor. n. 55, Clemens Alex. Strom. l. II, n. 7, l. IV, n. XIX, Can. Ap. c. LXXXIV, Origenes, hom. XIX in Ier. n. 7, Select. in Ier. c. 23, l. III, in Ioh. hom. XXVII, in Num. n. 1, Tertullianus, de Monogam. c. XVII, Ambrosius l. III de officiis et lib. de viduis c. 7, Hilarius in Ps. CXXV, n. 6, Augustinus, de doctr. Chr. l. II, c. 8, Basilius l. de Sp. S. c. VIII, n. 19, Sulpitius Severus, hist. sacr. l. II, c. 17, Hieronymus, praef. in Iudith, epp. ad Furiam, Salvinam et Principiam, comm. in c. I Aggaei, Fulgentius, ep. II ad Gallam, c. 14, Ruffinus in expos. Symboli n. 38, Alcimus Avitus poëm. l. VI in opp. Sirmondi tom. II, Bellator apud Cas-

fide, qui divinam eiusdem auctoritatem expresso aut tacito testimonio iugiter confirmarunt.

Nihilominus multa sunt, quaedam vero specie tenus gravissima, quae contra historicam atque divinam libri fidem opponuntur. Et primo quidem negant plures (*a*), ullo temporis intervallo, recte ac commode, quae hîc narrantur, assignari: nimirum ante Babylonicam captivitatem haec contingere nequivisse ex eversi templi et recentis Hebraeorum reditus mentione, necnon ex sacerdotali regiminis forma, repudiataque idololatria coniiciunt (*b*); praesertim cum nullus per id tempus Eliachim Pontifex (*c*), nec Manassis temporibus ullus Arphaxad Mediae aut Nabuchodonosor Assyriae rex fuerit; imo cum huius parens Nabopolassar Ninivem subverterit, ipse vero semel primo, iterum octavo, tertium decimoseptimo regni sui anno Hebraeos devicerit, et captivos abduxerit, tunc Ninive regnasse, atque ab Hebraeis in patriam reducibus tantam cladem et quidem impune accepisse (*d*) haud verisimile est: nec haec deinceps credibiliora fiunt, iamdiu enim Medis cum Assyriis sub Persarum nomine et dominatu commixtis, nullus Medorum aut Assyriorum rex, multoque minus Nabuchodonosoris

siodorum inst. div. lit. capp. v et vi, Iunilius, de part. div. legis l. i, capp. 3 et 4, Isidorus Hispalensis, de off. Eccl. l. i, c. 12, orig. l. vi, c. 1 et 2 prooem. de lib. V. et N. Test., Gregorius M. c. xvii, expos. in c. xxix, Iobi, aliosque plures (quos videsis apud Vincenzi l. sup. cit.), quibus addenda Synodus Nicaena (ap. Hieron., praef. in Iudith), aliaque Concilia sup. pag. 467, not. (*c*) laudata.

(*a*) Eichhorn, op. cit. p. 296-308, Bertholdt, op. cit. p. 2547-61, Iahn, op. cit. p. 916-20, Rainold, Censura Apocryphorum i, p. 821-864, Winer, Realwoerterbuch i, p. 755, de Wette, op. cit. § 307.

(*b*) v, 23 (graec. 18-19), iv, 5, seq. viii, 18.

(*c*) Cf. i. Par. vi cum Esdr. vii, Neh. xii, et Ios. Antiq. l. x, c. viii, § 6.

(*d*) Cf. xvi, 30. Nabuchodonosoris Chaldaeorum regis et Sedeciae temporibus Iudithae facinus assignat Genebrardus, Chron. l. ii.

nómine potuit salutari; tametsi vero haec distinctio et denominatio in Persarum regem quadantenus caderet, profecto gesta quae eidem tribuuntur, in Cambysem, Xerxem, Darium Hystaspis, Artaxerxem Longimanum, Mnemonem, Nothum, Ochum minime convenirent (*a*); quippe horum ulli brevius regnarunt, singuli vero provincias ab illo adhuc occupandas, iam sibi subditas possidebant. Accedit quod Hebraei post reditum, sub Persarum, Alexandri, et Ptolemaeorum dominatione et fide, diuturniori pace ad Antiochum usque fruiti sunt, qua tempestate nec modo reduces diei potuerunt, nec cultum intermissum ac dirutum templum recens instaurasse; insuper Ioacim (i. q. Eliachim) unius post exsilium hoc nomine Pontificis tempora pacatiora, necnon immortale Samaritarum in Iudaeos odium munimentis ab Eliachim in Samaria (*b*) exstructis adversantur. Suscipiunt deinde, talia in geographiam atque in historiam peccata, tot inepta, pugnantia, probrosaque in hoc libro inveniri, ut rudiori cuidam, absurdoque scriptori, neutiquam hagiographo adiudicandus sit. Et ad primum quod spectat, Holofernis eiusque exercitus discursus talis exhibetur, qualem febriens fortassis somniare, sanus strategus nunquam mente concipere, nedum exsequi potuisset:

(*a*) Cambysi attribuerunt Eusebius, Chron. Arm. II, p. 201, Augustinus, de civ. Dei l. XVIII, c. 26, Beda, de temp. et lib. de sex. aetat., Rabanus Maurus in h. l., Suidas ad v. Ὀλοφέρνης, Glycas, Annal. l. 2, Chron. Pasch. p. 116, Syncellus p. 188, ed. Dindorf., Otto Frisingiensis l. II, c. 15, Hugo Cardinalis in h. l., Nicolaus Lyranus, aliique; Xerxi, Iulius Afric. apud Suidam ad v. Ἰουδίθ, Torniellius ad an. m. 3572, Ribera in Nahum II, Natalis Alex. hist. V. T., in VI. m. aet. diss. VII; Dario Hystaspis Estius in Iudith I, 1; Artaxerxi Longimano nonnulli ap. Syncellum p. 188; Mnemonio Hieronymus in Is. XIV, 2; Ocho Sulpitius Severus, hist. s. lib. II, c. XVII, Gibert, Dissertation etc. tom. XXI des Mémoires de l'Académie des Inscriptions etc. Paris, Alphonsus Nicolai Giuditta, Dissertaz. Firenze 1765, Vincenzi, op. cit. P. III, p. 40, seq.

(*b*) IV, 3, seq.

scilicet ab Assyria ad Ciliciam rectaque Arabiam versus progressus, hinc Mesopotamiam, tum Ciliciam iterum et Arabiam, indeque Damascum repetit; tunc exceptis Syriae iampridem direptae, Mesopotamiae et Ciliciae iamdiu devictarum, necnon remotissimae securaeque Libyae legatis denuo Idumaeam revertitur, exinde Iudaeam iterum tertiumque praetervolans in septentrionali Samariae plaga consistit; insuper planities Ragau, fluvius Iadason (graece Hydaspes) prope Tigrim et Euphratem, Melothi Ciliciae urbs, torrens Mambre per Mesopotamiam in mare conterminum effluens, australes fines Iaphet, Syria Sobal et Bethulia locorum nomina sunt aut inaudita, aut perinde absurda (*a*) ac Ecbatanorum descriptio, urbis pridem a Deioce supra collem conditae, ac septem moenium orbibus circumdatae, quorum propugnacula alia aliis excelsiora gradatim assurgerent; quam noster e contrario ab Arphaxad hac arte monstrose exstructam ponit, ut muri altitudinem LXX, latitudinem XXX, turres et portae C cubitorum altitudinem attingerent (*b*). Quod ad secundum, rex Assyrus, moribus Persa, ultione de rebellibus dilata, dataque iisdem propterea foedera viresque iungendi opportunitate, exercitum nunc duodecim, nunc viginti duobus equitum millibus insuper Medis Persisque constantem quadrimestri ignavia luxuriaque dissolvit; qui trimestri tamen excursu, tot tamque dissitas regiones vastavit atque subegit, quot vix tabellarius equo concitatissimo vectus percurrisset; at prope Bethuliam victor adventans parvum hoc oppidulum per vim expugnare non audet, et per integrum mensem otiatur; dein imperator, sero licet, invenit cuniculos aquam ad arcem sursum adducentes intercidere, puteosque urbi proximos occupare; Hebraeis interim tale

(*a*) I, 6, II, 7, III, 15, VII, 1.
(*b*) Cf. I, 2-3 cum Herodot. I, 98.

nihil prohibentibus, sed divinam opem otiose praestolantibus, qui dudum montium iuga, fauces, locorum angustias, omnesque urbis aditus atque accessus armatis ac munitionibus praeceperant (*a*); dux autem Assyrus qui de Iudaeis nihil adhuc unquam audierat, et simplicem Achioris narrationem respuerat, transfugae figmentis credulum se praebet, quae nemini suspecta hac illac noctu incomitata vagatur, neque scortilli fraudem princeps odoratur, quod pietatem ac castitatem praeferens, inhonestam conditionem facili libentique animo accepit; incredibili porro securitate circumvento, nemo ex reliquis ducibus in decollati locum succedit, sed innumerabilis militum vis a parva Hebraeorum manu fugata spolia ditissima iisdem per mensem diripienda relinquit (*b*), quin ignominiosam adeo cladem tandem aliquando ulciscendam Assyriorum dein reges cogitaverint. Subiiciunt nec certam esse Iudithae originem, modo a Ruben, modo a Simeone, perque nimis paucas stirpes descendentis (*c*); neque aetatem, siquidem sexagesimum annum saltem progressa adhuc tamen puella vocatur (*d*); nec sepulturam, quippe modo Bethuliae dicitur condita, modo Balamon inter et Dothaim (*e*); solemnitatem demum in victoriae memoriam institutam antiquioribus Hebraeorum scriptoribus inauditam, imo universam narrationem Esdrae, Iosepho, Philoni, N. F. hagiographis plane ignotam, vel saltem uti fabularem ab iisdem despectam, propterea que silentio praeteritam fuisse. Denique tandem ad tertium quod pertinet, absonum putant feminae laudes praedicare quae matronale decus, carissimum, at semel amissum

(*a*) Cf. I, 5, seq. cum II, 1, seq.; I, 16 graece cum II, 11 - III; II, 7 cum VII, 2; VII, 1-11 cum IV, 3-6; XVI, 12.

(*b*) V-VI, 7, X, 17 - XII, 6; ib. 10-14, XV, 1-13.

(*c*) VIII, 1, IX, 2.

(*d*) XII, 12.

(*e*) Cf. Vulg. XVI, 28 cum VIII, 3 graece.

irreparabile mulieris ornamentum, pudicitiam nempe patriae saluti, et quidem incertae, prostituit; pietatem morumque integritatem ostentans, meretricio interim ornatu ac mollitie, ducis animum fraude ac mendacio (*a*) circumventum ad turpem sui amorem studuit irretire; Deum imo deprecata ut, qui olim vitium Dinae contribuli per vim oblatum dolose cruenterque fuerat ultus, modo stuprum ultro passuram vindicaret (*b*); sed et sacrilegum asserere Deum fallaci ac probroso ipsius proposito conniventem, eiusque nativam pulcritudinem ac venustatem novo decore atque lepore exornantem, eidem principis gratiam lenocinatum fuisse (*c*); quae quidem omnia, concludunt, non modo imperitum et ineruditum scriptorem, sed Dei sanctitatis, morumque honestatis plane rudem atque ignarum demonstrant (*d*).

Haec nonnullis tanti visa sunt, ut narrationem in parabolam deduxerint, aut saltem multis accessionibus ad recentis auctoris arbitrium exornatam iudicaverint (*e*), rati hac via plerasque se difficultates expedituros, quin divinam libri fidem perimerent, aut historiae summam labefactarent. Nequidquam tamen: nam primum illud narratio ipsa manifesto respuit, omniaque allegoricae interpretationis tentamina (*f*) ex polysemis praesertim nominibus, vel ex falso

(*a*) XI, 4-17.
(*b*) IX, 2-4, 13.
(*c*) X, 4.
(*d*) Voltaire, Bible expliquée, Bayle, Dictionnaire, a. Judith.
(*e*) Lutherus, praef. in lib. Iudith, Buddeus, hist. eccl. V. T. tom. II, p. 495, Ioh. Christ. Artopaeus, Meletema historicum etc. Argentorati 1694, 4.°, Grotius, praef. in l. Iudith, Theologi Batavi (Sentimens de quelques Théologiens etc. Lettre LXXXVII), scriptores Actorum Lipsiensium (tom. VI, p. 270), Bayle (l. cit.), aliique ex Protestantibus primae sententiae adhaeserunt; alteram ex Catholicis secuti sunt Sandbüchler, Iahn, Ackermann op. et loc. sup. cit.
(*f*) Grotius ex. c. qui totam narrationem ad parabolam traduxit, hanc coniecturam suam vanitatis damnat ipse vel imprudens, affirmans plura

aut incerto eorumdem etymo desumta, merito nuperrimis Dupuisii Straussiique deliramentis certissima *evangelicae* historiae facta ad mythum ac fabulam detorquentium, aut inani illorum consilio comparaveris, qui diverso olim conatu immortalia Allighierii aut Torquati poëmata figurate ac parabolice exponere aggressi sunt. Alterum vero anceps et lubricum est; quis enim historiae caput a parergis certo, accurateque secernat? quodsi scriptoris fides in accessionibus nutat, quomodo in factorum substantia firma consistet? at enim iniquum est narrationem intimis externisque argumentis comprobatam, propter ullas graviores licet difficultates in dubium revocare, in quas necessario antiquior quaevis historia vel testatissima incurrit; maxime cum rara admodum, incerta, varia insuper atque diversa illorum, de quibus agimus, temporum, locorum, rerumque gestarum monumenta supersint. Haec aequioribus quibusque sufficerent, at morosioribus velificaturi, singillatim obiecta discutimus. — Quamquam itaque haud ita facile est eventuum qui in hoc libro narrantur aetatem certo

in hac parabola « *αἰνιγματώδη* per obscuras ambages dicta, cetera ἐπεισοδιώδη ornamenti causa addita »; hoc enim posito, nemo clausa et obscura certo interpretabitur, vera a fictis tuto secernet; quod revera ex contorta et mutila Grotii interpretatione manifestum est: quis enim Assyria fastum, gladio piorum preces, Nabuchodonosoris nomine diabolum, Holofernis, Antiochum eius ministrum, Eliachim divinae opis fiduciam adumbrari; Arphaxad autem, Ecbatana, Achior et Ozias nomina vacua et inania existimabit? Adde personarum, factorum, temporum rationes adeo ab iis abhorrere quae sub Antiocho Epiphane (aut Ptolemaeo Lathuro uti contra Movers l. cit., probat de Wettius, Einl. § 308, not. (*e*) obtinuerunt), ut quaelibet comparatio absurda fiat: putasne ex. c. in Antiochum iam Syriae dominum novam huiusce occupationem convenire, quae rursus vel XIII eiusdem regni anno (qui tamen per XII tantum regnavit, et a VII ad IX Iudaeos insectatus est), vel, risum teneatis, diabolo (cuius stipendia ille, ut ponitur, merebatur) *tenero* adhuc atque *puello* contigerit? Vah! apage gerras germanas.

definire, eosque cum profanae antiquitatis documentis componere, utpotequae in Assyriorum atque Medorum regum serie, nominibus, rebusque gestis exponendis nec secum ipsis cohaerent; neque tamen apta quaedam compositio (qua sine narrationis fides aeque consisteret) desperanda est. Revera haec acta feruntur, stante adhuc Ninive, templo haud ita pridem polluto, at recens una cum supellectile purgato ab Hebraeis commodum a captivitate reducibus (*a*), qua eorum plurimi a variis gentibus fuerant multati (*b*), nunc vero montana praesertim repetentibus (*c*), nulla interim exterorum dominatione aut intestina discordia pressis, sed Israëlitis atque Iudaeis, civili ac religioso schismate sublato, eadem legitima sacra participantibus, atque Pontificis

(*a*) Gr. IV, 3 cf. Vulg. ib. 2; unde patet templum nondum eversum, secus non expiandum sed exstruendum fuisset; quod opus post Babylonicam captivitatem haud illico absolutum, sed diu intermissum est, nec propterea scriptor reduces « iterum possedisse Ierusalem ubi sancta eorum *sunt* » dicere potuisset ib. V, 19, Vulg. 22; quare verba ib. 18: *καὶ ὁ ναὸς τοῦ θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς ἔδαφος et templum Dei ipsorum factum est in pavimentum*, non de templo *solo aequato*, sed profanorum pedibus *protrito* ac *conculcato* intelligenda sunt: consentit Syrus qui *εἰς ἔδαφος* vertit ܠܕܘܫܐ *in conculcationem;* gemina locutio de templi profanatione usurpatur I. Mach. III, 51: *καὶ τὰ ἅγιά σου καταπεπάτηται καὶ βεβήλωται « et sancta tua* conculcata sunt, et contaminata sunt »; III. Mach. II, 18: *ἡμεῖς κατεπατήσαμεν τὸν οἶκον τοῦ ἁγιασμοῦ, ὡς καταπατοῦνται οἱ οἶκοι τῶν προσοχθισμάτων* « nos conculcavimus domum sanctificationis, ut conculcantur domus abominationum » (idolorum templa); quodsi morosior contenderet hebraismum *εἰς ἔδαφος γίνεσθαι* tantumdem valere ac *εἰς ἔδαφος καθαιρεῖσθαι, καταλύεσθαι, κατασκάπτεσθαι*, tunc fatendum hoc recentioris graeci interpretis temporum rationes inscite pervertentis, erratum aut additamentum esse orationis contextui adversum, ac sapienter a Vulgato reiectum.

(*b*) Variis nempe vicibus sub Assyriis, Phul, Theglathphalasar, Salmanasar, et Asarhaddon qui horum plures varias inter gentes ac regiones disseminarunt unde coloniae in Samariam dimissae sunt I. Par. V, 26, IV. Reg. XV, 29, XVII, 6, 24, Esdr. IV, 2, II. Par. XXXIII, 11, Is. XXII, 15-18.

(*c*) V, 3, VII, 1, insuper Gr. V, 5, 19, VI, 4, XI, 2.

hortatu, dexteras, viresque contra religionis ac patriae hostes amice iungentibus (*a*), quibus profusis, diuturna dein pax consecuta sit (*b*). Quae sane Manassis temporibus cumprimis respondent, nam etiamtum Ninive stabat, et Assyriorum imperium tunc reflorebat; nec alias post recentem dispersionem Solymorum templum expurgatum novimus, germanaque sunt quae Manassi ad bonam frugem converso atque in patriam restituto tribuuntur (*c*); hunc porro ab Asarhaddone captivum abductum plures exsilii proindeque et liberationis socios habuisse, qui una simul cum aliis vel iamdudum deportatis, vel hostibus ingruentibus hac illac dissipatis, postque horum discessum reversis, planioribus locis utut avitis derelictis, securitatis causa in montana secesserint, perquam verisimile est (*d*); hinc etiam intelligitur cur Palaestinae litorales inter Assyriae subditos ac foederatos recenseantur (*e*), Iudith vero quamvis ex Simeone oriunda Bethuliae in tribu Zabulon commorata sit. Iamvero hoc temporis intervallo, hacque rerum in melius conversione, exstincto, post Israëlis regnum dudum eversum, Iudaeorum odio in Israëlitas, et nondum exorta aut exasperata Samaritarum in Hebraeos simultate (*f*), hosce omnes, idolis ad breve licet repudiatis, communi studio patriae ac religionis incolumitati prospexisse gemina nonnullorum sub Ezechia, et reliquorum sub Iosia Israëlita-

(*a*) IV, 3-7, VIII, 18.
(*b*) XVI, 30, Gr. 25.
(*c*) II. Par. XXXIII, 15-16.
(*d*) V. not. praec. (*b*) et pag. 384.
(*e*) II, 28, V, 2, VII, 8 graec.
(*f*) Nondum scilicet Israëlitarum plures et Assyrii coloni in unum populi corpus coaluerant, illique a vero ad superstitiosum horum cultum transfugerant; nec isti a templi restitutione prohibiti livore in Hebraeos exarserant (quod utrumque post Babylonicum praesertim exsilium obtinuisse novimus), nec plurimum aucti Samariam pene omnem possederant.

rum exempla (*a*) declarant; quemadmodum huius integrum atque avitum in Israëlem omnem imperium, ostendit iamdudum Hebraeos, et Palaestinam universam, praeter Assyrios colonos, Philisthaeos atque Phoenices, nullo exterorum dominatui, sed Iudaco dumtaxat principi paruisse. Causa vero cur nulla interim Manassis mentio fiat multiplex suppetit; vel enim, ut nonnullis visum est, nuperrime in libertatem assertum aut timor, aut data fides ab hostium propulsatione deterruit; vel, ut aliis arrisit, nonnisi post cladem acceptam sero ab Asarhaddonis successore dimissus, reduceum postremus advenit; vel, quod probabilius arbitramur, novissime ad meliorem frugem reversus (Iudaeae, cui imperabat, et Solymorum potissimum munitionibus (*b*) forsan intentus), cum nondum tanta apud suos, eoque minus apud Israëlitas opinione et gratia valeret, ut eos suo nomine ad sacrorum defensionem vocaret, impelleret, hortaretur; hanc provinciam prudenti modestoque consilio antiquae omnibusque venerandae Pontificis (*c*) auctoritati

(*a*) II. Par. XXX, 1, 5, 10-11, 18; XXXIV, 6-7, 9, 33.

(*b*) II. Par. XXXIII, 14.

(*c*) Hic modo Eliachim (IV, 5), modo Ioacim (XV, 9) appellatur, quod singulare non est, haec enim synonyma sunt, idemque significant (אֶלְיָקִים = יוֹיָקִים quem Iehova constituit aut erigit); insuper variis saepe nominibus Hebraei salutabantur (cf. sup. p. 372, not. (*a*)); quare nec mirum si utrumque aut alterutrum in variis Pontificum recensionibus ab Esdra (I. Par. VI, 3-15, Esdr. VII, 1-5), Nehemia (XII, 10-11), Iosepho (Antiq. l. X, c. VIII, § 6, cf. Relandi, Antiq. S. P. II, c. II) institutis desideretur; maxime cum non omnia ibidem nomina relata fuisse compertum sit, aliaque interdum tum in aliis canonicis libris (ex. c. I. Reg. XIV, 18 Achias, ib. XXI, 1, Achimelech IV. Reg. XVI, 10 Urias, II. Par. XIX, 11 Amarias, ib. XXIV, 6 Ioiadas singillatim laudantur), tum apud Iosephum ipsum (l. cit.) et סֵדֶר עוֹלָם זוּטָא *chronico parvo* passim occurrant. Verum nihil impedit quominus nomine Eliachim Ezechiae domus praepositum (IV. Reg. XVIII, 18, seq.), maximae iamtum auctoritatis, intelligamus, qui postmo-

atque virtuti demandavit; quem etiam magis quam regem condecuit, parta dein victoria, piam atque magnanimam Iudith, comitantibus Sacerdotibus (*a*), gratulatum invisere. Postremo si ponamus haec xxx regni Manassis anno, Iudith L agente contigisse; cum exinde ad primum sub Ioachim Chaldaeorum in Iudaeam incursum (IV. Reg. XXIV, 1) LX circiter anni interfuerint; Iudith vero quinque supra centum annos nata fato defuncta sit (Iudith XVI, 28); profecto et *reliquo eius vitae spatio, diuque postea nullus fuit qui Israëlem perturbaret* (ib. 30); quinquennium siquidem tum ad ἡμέρας πολλάς graeci interpretis (XVI, 28), tum ad *plures annos* Vulgati (utraque lectio reddit hebraicam יָמִים רַבִּים) apte respondet: nec obstat praelium Megiddunte pugnatum (IV. Reg. XXIII, 29), quippe non ab exteris illatum, sed ultra a Iosia susceptum. — Atqui horum eventuum ac temporum rationes cum profana etiam historia conspirant; nimirum quae de Arphaxad ac Nabuchodonosore traduntur in Phraortem Medorum, et Chyniladan Assyriorum regem conveniunt: Arphaxad Medorum rex pluribus nationibus subiugatis a Nabuchodonosore qui regnabat in Ninive devincitur, transverberatur (*b*); « Phraortes non contentus solis imperare Medis expeditionem in Persas suscepit, quibus debellatis, Asiam pene universam subegit, postea ad Assyros arma convertens periit ipse una cum plurima copiarum parte (*c*) »; similiter plures circa haec tempora Assyriorum dominationi foederi rebellasse uterque scriptor enarrat (*d*); nec minus

dum Pontificio auctus sit (sic Achimaas sub Salomone praefectus III. Reg. IV, 15, sub Roboamo Pontifex creatus est I. Par. VI, 8); quod profecto Isaiae XXII, 20-25 vaticinio confirmatur.

(*a*) Vulg. XV, 9 cum universis *presbyteris suis*; quos perperam graecus *synedrium* (γερουσίαν) anticipans, senatores facit IV, 8, XV, 8.

(*b*) I, 1, 4-5, gr. 15.

(*c*) Herod. l. I, c. 102.

(*d*) Cf. I, 11 cum Herod. l. cit. Hoc sane post Sennacheribi cladem verisimillimum.

ceteris congrua quae noster unus subiungit; Chaldaeum nempe regem caeso Phraorte, animum viresque sumsisse imperii fines ad pristinam amplitudinem prolatandi aeque probabile est, ac Holofernis exercitu profligato, vi subiectos iterum defecisse. Nec quidquam officit aetatis differentia et nominum dissimilitudo; haec scilicet varia quidem at non diversa sunt; noster enim appellativis potiusquam propriis usus videtur; orientalium autem mos fuit cum variis nominibus unum eumdemque, tum iisdem dignitatis titulis varios saepe reges honestare (*a*); aetatis porro discrimen cum levissimum sit, nec sat firma praeterea ac definita illorum temporum ratio, historiae veritatem non perimit, sed magis magisque confirmat (*b*). Eventuum itaque tenore, hac pro-

(*a*) V. pag. 418, 463, nott. (*a*). Sic olim Pharaones primum, dein Ptolemaei Ægyptii, Arethae Arabes, Parthi Arsacides, Caesares vel Augusti Romani imperatores passim audierunt, et etiamnum Sultan et Khan communia Turcarum et Tatarorum regum nomina sunt.

(*b*) Revera cum Phraortes (Arphaxad) iuxta communiter receptam (Iahn, Archaeol. § 40, not. 2, § 41) computandi rationem annos 22 a 665 ad 642 a. Chr., Chyniladan vero (Nabuchodonosor) totidem a 658 ad 636 regnaverit, illius supremus cum duodecimo istius regni anno (I, 5, graec. I, 1) ferme concordat; quodsi cum aliis (V. Scholz, Einl. II. Th. S. 559, 612) sumseris Phraortem anno 635 excessisse, Chyniladan vero 653 regem creatum, illius emortualis cum decimo octavo huius regni anno, et cum graeca lectione (I, 13, II, 1) consentiret. Verum quidem est, quod Nabuchodonosoris victoria iuxta priorem supputationem ad ultimum Manassis, iuxta alteram, ad quintum Iosiae regni annum responderet; cum e contrario redux Manasses ad plures adhuc annos regnavisse videatur (cf. sup. pag. 513); sed enim in re non liquida paucorum annorum differentia minimi facienda est. Ceterum siquis malit eventuum seriem paululum anticipare, ac pro Nabuchodonosore Saosduchin, aut Asarhaddon, pro Phraorte Deiocem intelligere, qui ab Assyriis praelio quidem superatus, neque tamen interemtus sit (quod postremum adiunctum in Deiocem disconveniens silet Herodotus I, 97, nec de Arphaxad memorat Vulgatus I, 5) ille neque adsertores nos, neque adversarios habebit. De hac controversia consulendi Bellarminus, de verbo Dei l. I, c. 12, Petavius,

babili ratione definito, reliquae adversariorum difficultates quae contra aetatem Babylonica captivitate inferiorem facere videntur, cum sententiam nostram confirment, alterius defensoribus enodandas relinquimus; remonemus tamen obiecta ex non satis perspecta aut explorata temporum, factorumque convenientia desumtà neutros movere, quippequae historiae auctoritatem firmis ceteroquin argumentis communitam nequeant labefactare. Porro nutaret si solidiora essent cetera quae subiiciuntur; aeque tamen futilia sunt. Nimirum negamus varias Holofernis expeditiones ordine quo exponuntur susceptas fuisse; nec enim id hagiographus propōsitum habuit, sed vagos passim copiarum excursus, furentesque vastationes summatim attingere: siquidem verisimile est, exercitu multifariam partito (*a*), alios sursum per Tigrim, hinc per Tauri fauces Ciliciam, alios recta Mesopotamiam versus indeque in Syriam agminatim dimissos fuisse (nec sane Ismaëlitae et Madianitae ad Palaestinae austrum vel orientem quaerendi sunt, quippe nomadum more pascua mutantes, incultos tunc septentrionalis Syriae tractus peragrabant, quemadmodum in montanis (*b*) ad austrum Idumaeorum ulli considere potuerunt); interim vero cum Ninive, defensoribus orbata, Cyaxaris aggressioni, parentis ultionem quaesituri, patuisset, plures metropoli suppetias per Mesopotamiam properasse; verum cum repentinus Scytharum in Mediam incursus Cyaxarem domum revocasset (*c*), iter denuo re-

doctrina temporum l. XII, c. 26, Montfaucon, la vérité de l'histoire de Judith, Calmet, praef. et comm. in l. Iudith, speciatim vero Dissertation sur l'histoire de Judith, Bible de Vence tom. VIII, 5.e édit., Glaire, op. et l. cit.

(*a*) III, 15

(*b*) Hoc nempe significat III, 14 *in terra Gabaa* (גְּבוֹהָ alta); ceterum *Idumaeos* pro *Iudaeos* Vulgati mendum esse videtur.

(*c*) Herod. I, 103.

legentes non in Syriam Soba aut interamnanam iamdiu subiectam, sed in obnitentem adhuc Damascenam invasisse. Nec tunc primum gentes devictae legatos miserunt, sed cum legatio antea suscepta irrita fuisset, noster ne factorum tenorem interciperet, illam inferius, per hysterologiam hagiographis et antiquioribus, quibusque scriptoribus usitatam (*a*), memoravit; nec demum absurdum omnibus undique pacem petentibus, hanc et Libycos (*b*) mature ab iis postulasse qui Asia subacta, Ægypto quamcertissime potiri potuissent. — Cum locorum nomina in dies mutentur, nullaque contemporalium profanorum scriptorum testimonia praesto sint, alia tunc obtinuisse, aut a librariis vel interpretibus haud fuisse corrupta quis certo demonstrabit? Atqui multa loca frequenti bello vastata, novaque alia excitata sunt. Ceterum, Melothi (littera *s* in *th*, Chaldaeorum more, immutata) Mallo respondet Ciliciae urbi supra collem ad Pyramum positae (*c*). Mambre = 'Αβρονᾶ = Chaboras (Chobar) fluvius qui ad Circesium in Euphratem (*d*), vel alter homonymus (Habor) qui prope Durbetam (Mossul) in Tigrim influit (*e*). Mesopotamiam mari finitimam noster nullatenus dixit, sed Holofernem omnes illius urbes (aliasque praeterea, quod necessario subauditur) ad mare usque expugnasse. — Iapheti fines sunt extremi regionum limites quas Iapetidae occupaverant; australes puta Mediterranei insulas. — Planities Ragau, Euphratis Tigrisque vicinia

(*a*) Cf. sup. pag. 21-23, 43, 245, 270, not. (*b*).

(*b*) Hos Graecus et Syrus praetermittunt; fortassis III, 1 Vulgati erratum est, et pro Libya legendum Lycia aut Lygies Syriae proximos Herod. VII, 72.

(*c*) Cf. Strabo XII, 539, XIV, 675, Mela, IV, 13, Curt. III, 7 cum II. Mach. IV, 30.

(*d*) Cf. Plin. XXXI, 22, Strabo XVI, 748, Ammian. Marcell. XIV, 3 cum Ezech. I, 1.

(*e*) Cf. Rosenmüller, Alterth. I. B. I. Th. S. 102 cum IV. Reg. XVII, 6, I. Par. V, 26.

et Iadason totidem distincta locorum nomina sunt ubi rex Assyrus contra Medum pugnaverat; Ragau igitur erit Rhagiana provincia, Iadason mons Iason proximus Ecbatanis, vel synonymon Choaspis fluminis ad Susa affluentis qui praeterea Eulaeus (*a*) et fortassis etiam Hydaspes (*b*) dictus est, quippe ex primis Paropamisi iugis exorientis quae Mediam ab India disterminant. — Sobal pro Soba צוֹבָה commune Vulgati et graeci interpretis erratum est (*c*). Bethuliae nomen nusquam occurrit (*d*), quippe urbis in praerupti aridique (*e*) montis cacumine positae, nec cetero notabilis; eius insuper denominatio incerta est (*f*), neque constat utrum antiqua an recens, eadem ne semper an varia tempore fuerit; verum positio accurate circumscribitur (*g*), nec eiusdem memoria penitus exstincta est (*h*). — Urbem exstruere passim dicuntur qui illam novis aedibus augent aut munitionibus firmant (*i*);

(*a*) Reapse Syrus interpres eumdem appellat ܐܘܠܝ (hebr. אוּלָי Dan. VIII, 2); cf. Herod. V, 49, Strabo XV, 3 cum Arrian. Exped. Alex. VII, 7, Plinius, hist. nat. VI, 31. V. Hoeck, Vet. Med. et Pers. Monumenta p. 93.

(*b*) Virg. Georg. IV, 211.

(*c*) Contra uterque II. Reg. X, 6 צוֹבָה reddit Soba, at Ps. LIX, 2, graecus praeterea I. Par. XIX, 6 falso reddunt Sobal Σοβάλ, Σουβάλ.

(*d*) Nam a Bethul, Ios. XIX, 4, re et nomine distincta est.

(*e*) VII, 7, 9, II, 17.

(*f*) Alii etymon ducunt a בְּתוּלְיָה virgo Iehovae, urbs scilicet Deo dicata, nam urbes *virgines*, *filiae* passim appellabantur; alii a בֵּית עֲלִיָּה domus ascensionis, eo quod in excelso posita; alii a בֵּית הֱלוֹהַּ domus Dei.

(*g*) IV, 6, graece, VII, 1, 3.

(*h*) Calmet in Iudith. VI, 7.

(*i*) V. sup. pag. 452, not. (*e*). Sane Graecus extimum tantum memorat murum ab Arphaxado urbi circumdatum, unde copiae ad pugnam egrediebantur I, 1-4: καὶ ᾠκοδόμησεν ἐπ' Ἐκβατάνοιν καὶ κύκλῳ τείχη κτλ. et murum Ecbatanis circumdedit etc.

revera Ecbatana ante Deiocis aetatem satis valida, imo iamdiu Semiramis regiam sibi sedem inibi excitasse fertur (*a*); quare Deioces arcem potiusquam urbem, Arphaxad (Phraortes) e contrario hanc potiusquam illam amplificasse, ac moeniis communivisse videntur; filius scilicet parentis inceptum absolvit atque perfecit: Herodotus igitur de castello, noster de urbe locutus nonnihil necessario discrepant (*b*); verum portarum nomine non ianuam tantum, sed tota moles superstructa intelligenda est; nec moeniorum altitudo ac latitudo iis locis atque temporibus monstrosa (*c*). — Prioribus disiectis ad altera transgredimur. Persis Assyrios moribus fuisse dissimiles perperam ex graecis scriptoribus probares, qui exstincto iam horum imperio floruerunt; at contrarium tum ex proverbiali Sardanapali mollitie conficitur, tum ex eo quod plerumque victores corruptis victorum moribus induantur: sed enim quadrimestris interstitio copiis reficiendis, novaeque expeditionis designationi atque apparatui haud supervacanea fuit: nec sane verendum ne secretum (*d*) interea regis consilium pateret, totque gentes variis perinde studiis ac locis dissociatae, aut commune aliquid molirentur, aut exercitus impetum sustinerent, qui ut illis temporibus usuveniebat, minus virtute quam fortunae opinione vincebat: iamvero agminatim divisus uno eodemque tempore hac illac irrumpens, auctus dein subsidiariis auxiliis (equitatu cumprimis quo Parthi et Persae plurimum aliis praestabant) nunc a su-

(*a*) Polyaenus Stratag. VII, 1, Diod. Sic. II, 13.

(*b*) Ceterum urbis adspectus ac munimenta temporum hominumque iniuria saepe mutata, quare in eiusdem descriptione nec secum invicem, Herod. I, 98, Diod. Sic. II, 110, Polyb. X, 27, consentiunt.

(*c*) Cf. quae de moeniorum Babyloniae altitudine ac latitudine ab Herodoto I, 178, de solis templo Bengalae ab Aycan Acberi tom. II op. sup. p. 312, not. (*e*) cit. traduntur.

(*d*) II, 1.

biectis nationibus, nunc ab Assyria submissis (*a*), latissimos terrae tractus non tam regis imperio adiicere quam turbinis instar vastare potuisse gemina Attilae, Genserici, Gengiskani, Tamerlani, aliorumque populorum domitorum ferocissima exempla ostenderent, nisi imperatorem incredibili usum felicitate ipsa eius admiratio declararet, cum ullos invenit, Hebraeos nempe, qui non ultro se dederent, sed eidem obsistere auderent: nihilominus Bethuliae vicinia mensem commoratus ut dispersas copias reduceret, collatis dein viribus Ægyptum fortassis progressurus; commodum Bethuliensium propositum agnovit, cum eos illico aggreditur, at situ explorato, foederati facilis praedae quam bellicae virtutis studiosiores duci auctores sunt, ut cuniculis praecisis per quos aqua a proximis montibus (*b*) derivata sursum ad arcem assurgebat, suburbanis fontibus occupatis, siti potiusquam armis oppidanos absumat; prudens consilium (*c*) obsessis ineluctabile, quippequi numero pauci nec immensam multitudinem urbis accessu antea prohibere, nec inter muros recepti, posthabita loci securitate, foras erumpentes hostes inde propulsare potuissent. — Holofernem virum forsan externum, atque Assyrii exercitus imperatorem recens creatum, postquam Hebraeorum plures in patriam fuerant regressi, gentis, prae imperii magnitudine, satis obscurae gnarum fuisse

(*a*) Cum Arphaxad (Phraortes) Medorum rex Persas subegisset (Herod. I, 102) Nabuchodonosor (Chyniladan) hoc debellato utrosque ad tempus subditos habuit.

(*b*) Hos ab Idumaeis atque Ammonitis occupatos legimus VII, 18 graece.

(*c*) Nam, quae tunc erat rei militaris conditio, loci natura arteque munitissimi longa tantum obsidione expugnabantur. Cf. quae de Tyro a Salmanasare primum, dein a Nabuchodonosore, tertium ab Alexandro M. obsessa Iosephus, Antiq. l. IX, c. 14, § 2, l. X, c. 11, § 1. cont. Apion. I, 21, Diodorus XVII, 40-46, Arrianus, Exped. Alex. M. II, 16, Curtius IV, 2-4 tradiderunt.

haud equidem sumerem; at ex eo quod pleniorem sibi a finitimis Ammonitis ac Moabitis illius notitiam quaesiverit, nullam omnino antea habuisse temere profecto colligeres. Quod igitur dux propter victoriam superbus ac tumens stupendos Hebraeorum fastos incredulus oderit, haud invenio quare Rationalistae mirentur, quippequi nec maiorem fidem iisdem adiungunt; e contrario, quod sapientis (*a*), disertaeque matronae verbis cito crediderit, quae, desperata Bethuliensium conditione exposita, dum eius auribus serviebat, commenticia Iehovae in eosdem indignatione, et Achioris narrationem unasimul obliquo confirmabat, et nisi religiosum, superstitiosum principis animum omni prorsus metu curaque solutum, oris insuper venustate, necnon eloquii suavitate deliniebat, hoc sane huiusmodi est, ut nullo unquam tempore aut rarum videri queat, aut insuetum. Iamvero illustris Iudithae conditio, matronalis habitus, decor, honestas, dignitas, frugi victus, castae piaeque vigiliae sui admirationem atque observantiam omnibus iniiciebant, eoque magis quod integra atque sincera, neutiquam fucata aut ementita virtute praestaret; ad coenam porro vocata conditionem haud aperte inhonestam (*b*), nec salva principis reverentia respuendam (integra tamen, quae eius fiducia, honestate praestandam) prudenter accepit, quaesitam secus occasionem, ipsamque praeterea pudicitiam per vim amissuram. — Immensam militum catervam ex variis disparatisque gentibus constantem, uno tantum metu aut direptionis cupiditate coactam, inopina imperatoris caede, hostiumque aggressione perterritam, horum clamore ac strepitu rupibus undique repercusso in opinionem adductam ingentem exercitum imminere, Ægyptiorum puta, qui per orientalem

(*a*) VIII, 29 graece, XI, 18, cf. VIII, IX, XI, XVI.

(*b*) Imo Vagoae verba (XII, 13 graece) de vidua inter reliquas ducis ancillas thalami consortes allegenda commode interpretari queunt.

Mediterranei oram progressi ad terga nunc instarent receptum prohibituri; proindeque panico timore perculsam hac illac subito dissipatam, postpositaque praeda (*a*), praecipiti se fugae dedisse, gemina antiquitatis exempla (*b*), et pessima, quae tunc obtinebat, militaris disciplinae conditio verisimillimum faciunt; nec minus probabile post immanem adeo stragem (Assyriorum potentia semel iam, iterumque afflicta, nunc ferme prostrata, subiectorum rursus defectione ad extremum adducta, Cyaxaris tandem incursu delenda) regibus, quales Saosduchin aut Chyniladan, nonnisi nomine notis, insolenti quidem fastu luxuque, at nullo generoso facinore, nec propria, sed imperatoris virtute fortunave praestantibus, vires et animum sed et occasionem iniuriam ulciscendi defuisse. — *Ruben* vel illustrioris cuiusdam ex Simeonis nepotibus nomen est, a quo Iudithae genus descenderit, aut Vulgati erratum loco *Israel* (*c*); porro haud omnes Iudithae proavi hîc serie continua dinumerantur; haec siquidem in genealogiis texendis ab hagiographis perinde atque ab orientalibus omnibus saepius intercipitur (*d*). Iudithae aetas cum Holofernem adivit haud exploratissima quidem; at enim cum annos quinque supra centum vixerit, quinquagesimo viridioris adhuc aetatis bonaeque formae videri potuit (*e*), apteque παιδίσκη *puella* dici, quo nomine ab

(*a*) Syrus castra triduo dumtaxat direpta tradit (V. sup. pag. 498, not. (*a*)), Vulgatus tempus non definit.

(*b*) V. sup. pag. 128-29. Duce interemto, milites plerumque disperdebantur, cf. Iud. IX, 55, I. Reg. XVII, 51, I. Mach. VII, 44, IX, 18.

(*c*) Ita sane legitur in versionibus graeca et syriaca, consentit s. Fulgentius l. sup. cit.

(*d*) Cf. sup. pag. 197, et I. Reg. IX, 1 ubi proximiores tantum Saulis maiores attinguntur.

(*e*) Cf. sup. pag. 514. Sic Sara provectiori etiam aetate semel Ægypti (Gen. XII, 14-15) iterumque Geraræ regi (ib. XX, 2) sui amorem iniicere potuit, Helena vero iam centum annos nata uti καλλιπάρηος *pulcras genas habens* laudari Odyss. XV, 124.

hebraïcis, graecis, latinis scriptoribus nuptae passim, viduaeque vocantur (*a*). — Eadem Bethuliae sepulta est, nempe iuxta vulgarem Hebraeorum consuetudinem (*b*) in agro circumiecto, quod cum graeci interpretis definitione consistit; ceterum, siquis vellet propter singularem utriusque coniugis dignitatem ambos in urbe conditos fuisse, (quod honoris regibus praesertim et prophetis tributum fuisse videtur (*c*)), haud religioni esset graecae lectioni vulgatam anteferre. — Scriptoris aetate anniversariam atque solemnem Bethuliae liberationis recordationem habitam fuisse indubitabile arbitramur; hanc tamen, ut in temporalibus hisce institutionibus usuvenit, haud multo post, Babylonicae scilicet captivitatis aetate obsolevisse libenter dabimus, quippequae Hebraeis inopportuna, exteris iniuriosa visa fuisset; quare uti solemnitas ob victoriam a Iuda contra Nicanorem reportatam Iosephi adhuc temporibus celebrata (*d*), dein intermissa est, ita et prior illa iampridem in desuetudinem potuerat abire; iamvero plurimis Hebraeorum scriptis deperditis, in horum ullis eiusdem mentionem fieri potuisse quis ibit inficias (*e*)?

(*a*) Ita Ruth II, 6, IV, 12 hebraice נַעֲרָה a LXX ib. παιδίσκη, a Vulgato IV, 12 *puella* vocatur, quod postremum recens nuptis, viduis, iisque quae ad alteras iterum nuptias transierint, competit. V. Forcellini Lexicon ad h. v. Idipsum de voce בְּתוּלָה hebraice, νύμφη graece, latine *virgo* dicendum est, cf. Ioel I, 8, Virg. Ecl. VI, 47, Georg. III, 263, Æn. I, 493.

(*b*) Cf. Luc. VII, 12, Ioh. XI, 31.

(*c*) Cf. I. Reg. XXV, 1, XXVIII, 3, III. Reg. II, 10, IV. Reg. X, 35, II. Par. XVI, 14, XXVIII, 27.

(*d*) Cf. I. Mach. VII, 49, II. Mach. XV, 36 cum Ioseph. Antiq. l. XII, c. 10, § 5.

(*e*) Memorant sane suis in kalendariis Æthiopes, qui plura ex Hebraeorum institutis retinuerunt (V. Scaligerum, de emend. temp. l. VII, pag. 633, 652); sed et quaedam eius vestigia in liturgicis horum

Ab Esdrae, Philonis, atque Iosephi silentio neutiquam hac etiam vice movemur: neque enim illis propositum fuit aut privatorum casus uti Tobiae, aut publica quaeque eventa, eoque minus in annales non relata enarrare; cum igitur Iudithae historia eo tempore condita sit, quo dudum Israëlis et Iudae regum annales defuerant (*a*); insuper nec hebraice a *propheta*, sed chaldaice ab *hagiographo* conscripta (*b*); haud miramur nec ab Esdra, nec ab aliis dein in canonem insertam, nec ab eodem in Paralipomenôn aut a Iosepho in suorum operum confectione adhibitam fuisse, utpotequi regum potissimum annalibus, aut prophetarum scriptis ad id utebantur (*c*). Porro N. F. scriptores Iudithae librum obliquo saltem laudarunt (*d*), commode tamen praetermisissent; siquidem multa gestorum Christi praetereuntibus (*e*), haud singula superioris aetatis erant commemoranda. — Postrema et specie graviora, brevibus, solide tamen, ni maxime fallimur, refutamus. Generosum Iudithae consilium patriam liberandi a Deo inditum, viam tamen atque rationem uti Iudicum saepe (*f*), ita et Iudithae arbitrio permissam fuisse affirmamus; desperatissimo perfugio usam non diffitemur; verum ad extrema deditionis compulsis nonnisi extrema

libris supersunt, cf. Seldenus, de Synedr. l. III, c. 13, Sigonius, de rep. hebr. l. III, c. 17, Léon de Modène, Cérémonies et coutumes des Juifs, part. III, ch. 9.

(*a*) Cf. pag. 297, not. (*f*).

(*b*) Cf. pag. 469, not. (*d*), pag. 470, not. (*a*), pag. 471, not. (*a*).

(*c*) Nec obstat quod Iosephus et Machabaeorum libris usus sit, nam horum temporum historiam descripturo nulla *prophetarum* scripta suppetebant. Ceterum Iudithae, aut saltem illius aetatis historiam attingere sibi proposuisse, ex eiusdem testimonio (Antiq. l. x, c. 2, § 2) verisimiliter colligitur. Quod ad Philonem v. sup. p. 487, nott. (*b*) (*c*).

(*d*) V. pag. 504, not. (*c*).

(*e*) Ioh. xx, 30, xxi, 25.

(*f*) Cf. sup. pag. 176-178.

remedia supersunt; quanto se periculo obiecerit, post tantam temporum ac rerum dissimilitudinem perperam coniicimus; at enim quae quantaque successus exspectatio eidem affulserit, e re ipsa haud inepte iudicamus; nimirum generis nobilitatem, formam eximiam, convenientem ornatum, sapiens eloquium apud expolitum, quantumvis licentem, imperatorem plurimum valitura merito praesumebat: expers metus, suique secura nihil sibi, sed patriae timens, cuius salutem, neutiquam iniuriae sibi inferendae ultionem fuerat deprecata, tale inceptum Iehovam fortunaturum simpliciter nec temere poterat sperare; iamvero nullis illecebris, sed nativo ingenuae pulcritudinis splendore, cui decor, verecundia, pietas, eumprimis divinum, quo aestuabat, patriae ac religionis studium caelestem quamdam efficaciam atque virtutem addebant, tantam sui reverentiam in omnes induxit, ut ducis animum ad se alliciens, eius tamen licentiam, ipsoque favente, ceterorum etiam audaciam refrenaverit (*a*); demum patriae oppressorem dolo ac fallaciis deceptum per insidias interimere, id illis moribus atque temporibus nedum turpe, ne inhonestum quidem existimabatur (*b*). Neque tamen propterea quod piam atque magnanimam mulierem omni prorsus culpa verisimiliter eximimus, factum ipsum omnimode probamus, quod nude historicus exhibens nullatenus laudat; sed eum Dei clementiam suspicimus, qui ad hominum infirmitatem descendens mancos piorum conatus (*c*), ad horum vires potiusquam ad summam veritatem exactos, et iuvat et approbat, nec eadem lance cultorum, ru-

(*a*) XIII, 20.

(*b*) Repete quae superius pag. 50-51, 177-78 de Rahabae mendacio, necnon de Ahodi ac Iahelis facinore dicta sunt. Ceterum, si quid temerarium, minusque rectum admiserit, simpliciori eius fidei ignoscendum.

(*c*) Rom. VIII, 26-28.

diumque facinora expendit; tum eius sapientiam admiramur qui bene aut malefacta ad ordinis concinnitatem servandam, promovendam perinde convertit (*a*).

(*a*) Quo sensu temeraria aut perversa hominum consilia saepe Deo eadem moderanti, neutiquam sane probanti, attribuuntur; ita sane Iudithae verba IX, 2-3 intelligenda sunt, cf. Ex. IV, 21, III. Reg. XI, 23, XII, 15, XXII, 23, Ier. XXII, 9, Ezech. XXX, 24-25, aliaque passim. De reliquo, parentis Simeonis laudes piae quidem castaeque neptis, at neque prophetidis, neque hagiographi scriptoris propriae sunt.

CAPUT XI.

DE LIBRO ESTHER

ARTICULUS UNICUS

Nomen, aetas, fides divina, veritas historica.

CXLVII. Hic liber quem Hebraei ab argumento מְגִלַּת אֶסְתֵּר *volumen Estheris*, nonnunquam אֲחַשְׁוֵרוֹשׁ *Assueri*, vel κατ' ἐξοχήν מְגִלָּה *volumen* simpliciter appellant (*a*), ac vario ordine collocant (*b*), in graeca atque vulgata editione, eodem Estheris nomine inscriptus, Iudithae historiae apte subiicitur, cui quadam materiae similitudine congruit, et temporis ratione proxime continuatur. Nimirum Holoferne,

(*a*) Iamdiu enim in Synagogae usum, festo *sortium* die legendum, a ceteris seponunt, et etiamsi inter *hagiographa* referant (quippe בְּרוּחַ הַקֹּדֶשׁ conscriptum, v. Maimonides, More Nevochim l. II, c. 45), *prophetis* tamen praelatum pari cum Pentateucho religione venerantur, falso praesumentes hos tantum libros una cum *lege orali* aeternum duraturos, v. Maimonides, Iad chazakah, tractatu Meghillah c. II, sect. 18, Pfeiffer, Thesaur. Herm. p 597, seq.

(*b*) Cf. sup. pag. 186, not. (*a*). Nunc communiter Koheleth (Ecclesiasten) inter atque Danielem interiiciunt.

ut olim Sisara, marte femineo dudum peremto, praesens dein exitium Hebraeis a Persis intentatum alterius feminae interventu Deus avertit, qui *infirma mundi eligens ut confundat fortia, deponens potentes de sede, et egenum de pulvere suscitans* (*a*), supremum se eventuum moderatorem, iustitiae vindicem, virtutis praesidium, scelerum ultorem luculentissime deprehendit. – Porro textus hebraicus a graeca ceterisque ad hanc expressis versionibus hoc maxime discriminatur, quod istae abundantiores sunt, pluribusque vel insertis vel applicitis additamentis locupletatae (*b*), quorum haud secus ac illius aetas, auctor et fides a multis imo a longe plurimis addubitatur. Prioris nempe alii Esdram (*c*), aut Ioachim Pontificem (*d*), aut

(*a*) I. Cor. I, 17, Luc. I, 52, I. Reg. II, 8.

(*b*) Haec scilicet in graeca, aliisque ad hanc expressis versionibus itala, syriaca Pauli Tellensis (in cod. Masii, comm. in lib. Iosuae p. 6, 23), coptica, aethiopica, arabica, armeniaca, georgia, slava, suo quaeque loco in orationis contextu distributa sunt; at ex graeco in latinum sermonem translata Hieronymus Vulgatae, quam ex hebraeo ad verbum expressit, sub narrationis finem adiunxit. Cf. gr. I initio, III, 13, seq., IV, 17, seq., V initio, VIII, 13, seq., X, 3, seq. cum Vulg. XI-XII, XIII, 1-7, 8-XIV, XV, XVI, X, 4, seq. Male haec eadem plures ab Hieronymo ex Itala desumta opinantur; nomine siquidem *editionis vulgatae, quae graecorum* lingua et litteris continetur (X, 3), haud aliam ac κοινὴν ἔκδοσιν *communem*, *vulgarem* LXX editionem, ut saepe alias (V. Sabatier, op. cit. t. I, pag. 794-96), intellexit, quod reapse ex Vulgatae et Italae discrepantia manifestum est.

(*c*) Epiphanius, de pond. et mens. c. IV, Augustinus, de civ. Dei l. XVIII, c. 36, Isidorus, origin. l. VI, c. 2, Iudaeorum ulli, Baba bathra c. I

(*d*) Pseudo-Philo in Chronographia, R. Azarias, Imre binah, c. 2.

Synagogam (*a*), plerique (*b*), Catholicorum cumprimis, Mardochaeum auctorem faciunt; additamenta vero graeci interpretis ingenio quamplures adiudicant (*c*). At enim uti Mardochaeum quaedam scripsisse certissimum est, ita aeque manifestum hebraici textus perinde atque additamentorum auctores alios se ab illo deprehendere, quippequi ab eiusdem epistolis actisque opus suum accurate distinguunt (*d*), quod insuper horum alter ad *sortium* festivitatis originem non tunc primum inductae, sed dudum receptae (*e*) declarandam evulgavit; utrumque tamen Mardochaei scriptis usum

(*a*) Talmudistae, Baba bathra l. cit., Huetius, demonstr. evang. prop. IV, de lib. Esther § 2.

(*b*) Clemens Alex. Strom. l. I, R. Abenesra, Moyses Hispanus, Nicolaus Lyrensis, Dionysius Carthusianus, Fevardentius, Bonfrerius, Serarius aliique, quibus aliquatenus consentiunt Carpzovius, Calmet, Glaire.

(*c*) Ex Catholicis Rabanus Maurus, Hugo Cardinalis, Nicolaus Lyrensis, Dionysius Carthusianus, Paulus Brugensis, Caietanus, S. Paguinus, Sixtus Senensis, recentiores Iahn, Einl. II, 889 ff. Dupin, Dissert. prélim. liv. I, ch. III, § IX; ex *Protestantibus* antiquiores ac recentiores pene omnes.

(*d*) IX, 20, 23, 26, 29, 32, XII, 4. Num Mardochaei *litterae* (XII, 4) ab eiusdem *epistolis* סְפָרִים (IX, 20), seu *epistola* אִגֶּרֶת (ib. 26), distinguendae sint, ac *liber* סֵפֶר quo Estheris *sermo*, sive *decretum* מַאֲמַר, conscriptus est (ib. 32 hebr.) unus idemque habendus ac *altera* Mardochaei *epistola* (ib. 29) cui ad graviorem confirmationem Estheris subscriptio apposita sit, in medio relinquimus. Hebraei, quos inter Abenesra, Kimchius vocabulum בַּסֵּפֶר de singulari quodam libro ea aetate celebri et nunc deperdito intelligunt; Haevernick (Einl. 2 Th. 1 Abth. S. 363) de ipso canonico Estheris volumine interpretatur.

(*e*) IX, 19.

fuisse verisimillimum arbitramur, ita ut nisi quod ad formam, saltem quod ad substantiam, integer hic liber eidem acceptus referendus sit. – Revera scriptor hebraeus accuratam adeo atque specialem huiusce historiae notitiam praebet, adeo rerum (*a*) ac personarum (*b*), locorum ac temporum (*c*), Persarum morum atque consuetudinum gnarum se praestat (*d*), et narrationem suam illius aetatis atque regionis finibus concludens, ab alienis admiscendis abstinet, ut nisi aequalis ipse, coaeva certe documenta adhibuisse censendus sit. Similiter quum graecae versionis additamenta, per se admodum probabilia, ita cum hebraico textu et universa illius aetatis historia consentiant, ut ex iisdem omnino fontibus sint repetenda, quae haud alia fuisse videntur quam Persarum annales ac Mardochaei scripta, quae uterque frequenter allegat (*e*); quum insuper additamentorum auctor ab hebraici textus conditore, et a graeco eiusdem interprete hoc praesertim nomine distinguatur, quod non modo integre exponit quae summatim illi perstringunt (*f*), sed eadem iterat, imo et iis specie diversa producit

(*a*) Cf. ex. c. I, 1, 5-11, II, 3, 9, 12-14, V, 14, VIII, 8-10, 15, 17, IX, 12, 15-16 etc.

(*b*) I, 3, 10, 14, 16, II, 3, 5, 14, 21, III, 1, IV, 5, V, 10, 14, IX, 7-9.

(*c*) I, 1, 3-5, II, 12, 16, III, 7, X, 1, XI, 1, 13, VIII, 1, 9, IX, 1, 15.

(*d*) V. inf. pag. 541, seq.

(*e*) II, 23, VI, 1, X, 2, IX, 20, 23, 26, 29, XII, 4.

(*f*) Cf. XI-XII, 4 cum II, 23, VI, 1-2; XIII, 1-7 cum III, 14, IV, 8; XIII, 8-18 cum IV, 15-17; XVI cum VIII, 13.

quae illi proponunt (*a*), praetereaque se Persidis Palaestinaeve incolam scribendi genere demonstrat (*b*), quod externa etiam indicia confirmant (*c*); facile

(*a*) Cf. XI, 2-5 cum II, 5-6, XII, 1-6 cum II, 21, XV, 1-10 cum V, 1-2, XI, 3 cum II, 5; XI, 4 cum II, 6; XI, 2, XII, 1 cum II, 16, 21; XII, 5 cum VI, 3, XII, 6 cum III, 6; XIII, 6 cum III, 13, VIII, 12, IX, 1; XV, 10 cum V, 2, XVI, 13 cum III, 1.

(*b*) Nempe et ulli hîc *hebraismi* aut *chaldaismi* deteguntur, sic ex. c. VI, 2, gr. 1, τῇ μιᾷ = בְּאֶחָד *una* h. e. *prima* die; XIV, 10, gr. IV, ἀρετὰς ματαίων = תְּהִלּוֹת הֲבָלִים *virtutes vanitatum* h. c. *laudes idolorum*; XIV, 14, gr. IV, ῥῦσαι ἐν χειρί = הַצִּיל בְּיַד *libera in manu*, h. e. *virtute*; ib. 9, αἰνεῖν *laudare* sequente dativo = הִלֵּל vel הוֹדָה frequens demum καί = ו *et* prae ceteris coniunctionibus usus. Nec contra est quod pericopae XIII, 1-7, XVI nulla exhibent versionis indicia; neque enim haec vel in superioribus ex hebraeo certe desumtis, neque in universum semper manifesta sunt; eoque minus quo interpres, qualis hic noster, liberior est, atque puriori utitur sermone; siquidem inter reliquos LXX versionis libros graecitate hic Estheris cum paucis excellit. Quare nedum Eichhornio (op. cit. p. 496, seq.) atque Bertholdtio (op. cit. p. 2468, seq.) qui Iudaei cuiusdam Ægyptii figmentum haec additamenta universim existimant; sed ne Iahnio (op. cit. p. 886) quidem et Ackermanno (op. cit. p. 335) assentimur, qui laudatas modo pericopas graeca primum lingua compositas ex dictionis proprietate coniiciunt. Quamquam cetero non repugnaret Artaxerxis epistolas vario cuiusque gentis sermone descriptas (III, 12, VIII, 9), graeco ad Hellenistas Persarum ditioni subditos missas fuisse.

(*c*) Revera haec additamenta (teste Origene, ep. ad Afr. n. 3), in Theodotionis versione continebantur, quam novimus ad hebraicam veritatem exactam fuisse; eorum ulla etiamnum in variis hebraicis codicibus chaldaico sermone descripta supersunt, quae profecto nimis a graeca latinaque interpretatione dissentiunt, ut inde hausta dicenda sint, et si forte sequioribus temporibus passim interpolata, utraque tamen edita priori ac posteriori Estheris paraphrasi antiquiora habenda esse ipsa collatio demonstrat. V. egreg. nostratis I. B. De-Rossi, Specimen variar. lect. s. text. et chaldaica Estheris additamenta, Romae MDCCLXXXII p. 122-24, 135. Praeterea aramaica eorum origo ex ipsa

in illos concedimus, qui ponunt Mardochaeum, aut probabilius eiusdem aequalem, confestim post incredibilem illam rerum conversionem, accuratam huius notitiam Hebraeorum in gratiam, qui Persicae dominationi parebant, iusto volumine, et, vulgari tunc sermone, chaldaico nimirum praescripsisse; quam integram appositisque documentis refertam narrationem, curante dein supremo Palaestinensium magistratu, Pontifex, Sacerdos *(a)*, vel alius quivis doctus piusque hebraice reddiderit atque contraxerit, quo commodius in *sortium* festivitate praelegeretur: quo factum sit ut hebraicum hocce summarium in canonem insertum usum et auctoritatem obtinuerit, primigenium autem chaldaicum exemplar sensim obsoleverit, non ita tamen ut quaedam, nisi omnes *(b)*, longiores eiusdem peri-

graecae versionis conclusione colligitur, quae cum non ab ipso interprete, sed a tabulario apposita videatur, communem Alexandrinorum persuasionem declarat superiorem epistolam, *τὴν προκειμένην ἐπιστολήν*, a Hierosolymitano Sacerdote graece (ex hebraeo sane aut chaldaico sermone) translatam fuisse; porro epistolae nomen, in totum librum haud inconveniens, fac unam tantum pericopam (VIII, 13 seq. graece, Vulg. XVI) significare; quod de hac expresse affirmatur, haud inepte de reliquis sumitur. Perperam autem nonnullis verba *ὃς ἔφη εἶναι qui se ferebat*, *ἣν ἔφασαν quam dixerunt* (XI, 1) dubietatem faciunt; neque enim haec dubitantis, sed asserentis sunt, ipsamque iustam (cf. Deuter. XVII, 6, XIX, 15, Matth. XVIII, 16, II. Cor. XIII, 1) atque solemnem *duorum testium* declarationem subscribentis.

(a) Cf. sup. pag. 528, nott. *(c)* *(d)*, 529, not. *(a)*.

(b) Codices videlicet a De-Rossio superius laudati neque omnia graecae versionis additamenta complectuntur (praeter Mardochaei somnium, eiusdem necnon Estheris preces, cetera desiderantur), neque ista singula exhibent documenta quae in hebraico Esdrae libro

copae vel seorsim descriptae, vel ipsi breviario insertae aut adiectae variis in codicibus non servarentur (*a*): hinc facile intelligitur quare graecus interpres (*b*) tali quodam codice usus, compendiaria una simul et ampliori narratione adhibita, modo cum hebraico textu congruat adamussim, modo nova producat, vel iam descripta iteret, vel iisdem interdum contradicere videatur (*c*). Quae cum ita sint, haud difficile erit utriusque narrationis necnon graecae versionis aetatem definire; copiosior scilicet eventuum aequalis, contractior suppar, certe Esdrae temporibus haud inferior fuisse videtur, alioquin neutiquam in canonem inserta fuisset (*d*): graeca

allegantur (cf. I, 19, 22, IX, 20, 29, 32); at perperam inde cum Bertholdtio (op. cit. p. 2461-63) concluderes singula quae in summario attinguntur totidem distinctas amplioris narrationis partes esse debuisse, easque ad unam omnes iugiter eadem religione servari.

(*a*) Cf. De-Rossi op. cit. p. 131-34, cui assentiuntur Welte, Einl. in die deuter. Büch. d. A. T. S. 270-72, Scholz, Einl. 2. Th. S. 539-40. Haec sane sententia altera Bellarmini (De verbo Dei l. I. c. VII. § 10) longe verisimilior, qui summam tantum Estheris historiae primum conscriptam fuisse ponebat, quam alius dein copiosius enarravisset.

(*b*) Nisi mavis duplicem agnoscere quorum unus hebraicum dumtaxat textum expresserit, alter additamenta graece reddiderit ac suo quaeque loco digesserit; cave tamen ne varium horum interpretem, nedum auctorem (hoc Bertholdtii peccatum op. cit. p. 2462) ex stili diversitate coniicias, quae ex materiei dissimilitudine omnino repetenda est; neque enim decreta et preces ex. c. eodem prorsus stilo exponenda erant.

(*c*) Hac ratione difficultates a Bertholdtio (op. cit. p. 2461-63) contra De-Rossii sententiam propositae diluuntur.

(*d*) Cf. sup. pag. 358, not. (*g*). Unde refelluntur Spinoza (tract. theol. polit. c. X, p. 131, seq.), Bertholdt (op. cit. p. 2444, seq.), de Welte, Einl. S. 199), qui futilibus rationibus innixi Machabaeorum contem-

autem versio sive partim, sive in totum Lysimacho attribuatur (*a*), saltem II a. Chr. saeculo absoluta censenda est, quandoquidem constat Iosephum integram illam adhibuisse (*b*).

CXLVIII. Haec igitur viam nobis communiunt ad divinam atque historicam libri auctoritatem asserendam: hebraici siquidem textus in Iudaeorum canonem insertio (*c*), ut nihil de perpetua illius

poraneam faciunt. Quod enim pertinet ad corruptum dicendi genus et ad truculentos gentis spiritus; sint ista: neque tamen Ptolemaeorum aut Seleucidarum aetatis dumtaxat propria erunt; siquidem vel inde ab exsilii temporibus hebraicus sermo vitiatus est; et horum aequales hagiographi ultimas diras Hebraeorum hostibus sunt imprecati (cf. Ps. CXXXVI, 8-9 quem exsilio haud multo inferiorem fatetur de Wettius Comm. üb. die Psalm. 4.e Aufl. S. 621): ceterum ut dictio ab Esdrae ac Nehemiae stilo parum abludit (V. Haevernick, Einl. 1. Th. 1. Abth. S. 234. ff.), ita si forte inquinatior est, minus, antiqui sermonis peritum, nequaquam multo recentiorem scriptorem necessario deprehendit; porro nimiae ultionis libidine Hebraeos inferius liberabimus. Quod vero spectat ad Persicorum morum, verborum, necnon Hebraeorum consuetudinum declarationes (cf. ex. c. I, 1, II, 13, VIII, 8, III, 7, IX, 22) cum eo quod pleraeque contemporalem non dedecerent (cf. Bohaeddin vita Saladini p. 70 ed. Schult.), tum suppari, qualis hebraeus breviator, non pro Persidis, sed pro Palaestinae incolis, nec pro aequalibus tantum, sed et pro posteris scribenti convenientissimae sunt.

(*a*) Hunc alii propter cognominum Ptolemaei, Cleopatrae et Dosithei (cf. XI, 1 cum Ioseph. cont. Apion. II, § 5) aequalitatem, Ptolemaei Philometoris contemporalem (a. 180-145 a. Chr.), alii Philadelphi (284-246) coaevum faciunt, proptereaque ponunt *epistolam Phurim*, quarto eius regni anno translatam, triennio LXX versionis confectionem praecessisse; haec nos cuiusque iudicio libenter permittimus.

(*b*) Antiq. l. XI, c. 6.

(*c*) Cf. Iosephum et Talmudistas loc. sup. cit. Quod ad Philonis silentium v. sup. pag. 487.

praelectione in antiqua (*a*) *sortium* festivitate, necnon constanti nimiaque (*b*) observantia dicamus, firmam eorumdem de divina illius auctoritate persuasionem satis superque testatur; a qua nunquam Christianorum fides ablusit, utpotequi divinam libri fidem luculentis apertisque testimoniis saepe professi sunt (*c*); generatim vero integrum Hebraeorum canonem nullo non tempore probaverunt; proindeque siqui Patres sacrorum librorum seriem describentes, Esther interdum praeterierunt (*d*), quademumcumque ratione id factum sit (*e*), ne-

(*a*) V. inf. pag. 538, not. (*a*).

(*b*) V. sup. pag. 527, not. (*a*)

(*c*) Quamquam Christi et Apostolorum testimonia desunt, neque tamen desideramus (cf. sup. pag. 524); ceterum nonnulli Esth. II, 6, XI, 4 cum Matth. I, 11, et salutarem Mardochaei fidem Esth. III, 14 cum Hebr. XI, 34 conferentes, vestigia quaedam eorum quae in libro Estherae narrantur sibi invenisse visi sunt. Ex Patribus laudamus Origenem apud Euseb. hist. eccl. l. VI, c. 25, Cyrillum Hieros. catech. IV nn. 33-36, Epiphanium l. de pond. et mens. c. V, nn. 22-23, Basilium cont. Eunom. l. II, c. 19, Chrysostomum hom. III ad pop. Antioch. c. 2, Hilarium prol. in Ps. n. 15, Hieronymum epp. ad Paulinum et Principiam, et prol. galeat., Augustinum, de doctr. Christ. l. II, c. 8, Damascenum l. IV, de orth. fide, c. 18; ex Conciliis Laodicenum c. 59, Carthaginiense III, can. 47, Romanum I, et Florentinum ap. Labbé t. IV, p. 1260-61, tom. XIII, p. 1206.

(*d*) Melito ap. Euseb. hist. eccl. l. IV, c. 26, Gregorius Nazianz. carm. de genuin. script. opp. tom. II, p. 98, ed. Colon., Amphilochius ib. p. 194, Athanasius ep. festali, opp. tom. I, p. 961, auctor Synopseos ib. tom. II, p. 126 (qui tamen ibid. non dissimulat Estheris librum apud Hebraeos in canone haberi), Iunilius, de partibus div. legis c. 3, uterque Nicephorus, unus in iambis, alter in Chronogr. compend. p. 787, ed. Dindorf., Leontius, de sectis actio II ap. Galland. Bibl. PP. tom. XII, p. 628, seq.

(*e*) Libri Esther a Melitone praetermissi alii alias proferunt causas: quod Esdrae nomen olim non modo Nehemiam, sed et Esther per

quaquam illud inde exclusisse censendi sunt. Ad additamenta vero quod pertinet, haec non tam novas operis accessiones quam amplioris olim reliquias, eiusdemque atque integrum historiae corpus fidei atque auctoritatis habenda ex antiqua Hebraeorum et constanti atque universali Christianorum opinione demonstramus. Prioris enimvero luculenta documenta sunt *epistola phurim* II. a. Chr. saeculo graece a Palaestinensibus reddita, atque ad Alexandrinos delata, versiones LXX et Theodotionis (*a*), una et altera chaldaica paraphrasis (*b*), Iosephi Flavii, et Gorionidis testimonia (*c*), necnon variorum hebraicorum codicum auctoritas (*d*): posterioris autem eadem LXX versio aliaeque orientalis atque occiden-

synecdochen significaret; quod Melito LXX versionis exemplari in suis circa sacrorum librorum canonem quaestionibus usus, ut ex horum apud ipsum denominatione apparet, librum Esther additamentis auctum inter apocryphos a Iudaeis recenseri intellexerit; quod eius librarius propter Esdrae et Esther nominum affinitatem, visu aut memoria falsus, alterum omiserit; quod hic liber a ceteris distinctus seponeretur; quae porro causae Melitonem fallere eaedem et ceteros decipere potuerunt, eoque magis quo horum ulli non tam novum ipsi canonem condere, quam prioris catalogum describere satis habuerunt.

(*a*) Cf. sup. pag. 531, not. (*c*).

(*b*) Alterum nempe Targum, et Midrasch Esther f. 128, *b*, *c*, *d*.

(*c*) Ios. cont. Ap. l. XI, c. 6. Iosephus Gorionides pag. 74-80 edit. Breithaupt, Gothae 1707, 4.°

(*d*) Codicibus a De-Rossi op. et loc. cit. sup. pag. 531. not. (*c*) laudatis tres alii addendi sunt, eiusdem dein studio collecti; nimirum cod. De-Rossi 7, 42, 737. Illud autem singulare atque notatu dignissimum est, quod in horum ullis additamenta charactere, punctis, accentibus, titulo, epigraphe a reliqua libri parte aut a ceteris *protocanonicis* parum vel nihil omnino distinguantur.

talis Ecclesiae usu probatae (*a*), expressus (*b*) aut tacitus Patrum consensus, necnon Synodorum, Tridentinae praesertim, decreta (*c*), quorum illi Estheris librum generatim allegantes, istae inter sacros atque divinos recensentes, singulas eius partes oblique saltem approbarunt (*d*). – Atqui historica ve-

(*a*) Cf. sup. pag. 528, not. (*b*).

(*b*) Origenes, comm. in Ioh. tom. II, c. VII, ep. ad Afric. n. 3; Basilius, Chrysostomus l. sup. cit. pag. 535, not. (*c*), Augustinus ep. CCLXII, n. 10, contra duas ep. Pelag. l. I, c. 20, lib. de grat. et lib. arb. c. 21, Hieronymus ep. ad Demetriadem, et comm. in ep. ad Gal. c. I, vv. 6-7.

(*c*) V. Patres et Concilia sup. pag 535, not. (*c*) et pag. 467, not. (*b*) laudata quae nunquam inter priora atque postrema Estheris libri capita distinxerunt.

(*d*) Idque multo magis quadrat in Tridentinam, quae sess. IV anathema illum dixit « qui libros ipos integros cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata latina habentur, pro sacris et canonicis non susceperit. » Quare temeritatis arguendi Sixtus Senensis, quique illum secuti sunt Iahnius et Dupinius (v. sup. pag. 529, not. (*c*)) putantes *hunc canonem de veris et germanis partibus, non autem de laceris quibusdam appendicibus, et pannosis additamentis, qualia ultima Estheris voluminis capita, intelligendum esse* (Sixt. Sen. Bibl. S. l. I); cum enim Patribus propositum esset illorum audaciam coërcere, qui nonnullos libros contra communem Ecclesiae sensum vel partim, vel in totum ex sacrorum canone reiiciebant, in illas ipsas partes animum intendisse censendi sunt, quas illi ausu sacrilego repudiabant, qualia profecto Danielis fragmenta et Estheris additamenta sunt; nisi absurde ponas viros sapientissimos, de librorum integritate, partiumque sinceritate, criticorum adhuc iudicio declarandis ac definiendis, inepte et importune locutos; quos constat e diverso ad Ecclesiae Catholicae traditionem et disciplinam adversarios appellasse, quae laudatas pericopas uti divinas perpetuo reverita, in ipsis sacrorum solemniis legere consuevit. V. Bellarminus, de verbo Dei, lib. I, c. VII, § 8. Nequidquam autem idem ille Origenis et Hieronymi testimonia producit; prior enim (ep. ad Afric. n. 3-4) fatetur quidem haec additamenta a Iudaeis reprobari, at ignorantiae arguit et temeritatis, qui hisce velificaturi eorumdem

ritas, quam Hebraei atque Christiani nullo non tempore aeque certissimam habuerunt, necessario inde consequitur: quod enim inexplorata libri natura divinam eiusdem auctoritatem illi agnoverint, aut historicam deinde fidem narrationi praebuerint, quam uti fabularem a maioribus accepissent, perinde absurdum est; prorsus vero incredibile ad commenticii eventus recordationem solemnitatem institutam, eamque iamtum universim obtinuisse, cum exitus adeo celebris ulla adhuc memoria perstare debuisset (*a*). Adde talem esse huiusce festi-

hac in re consilium sequerentur: alter vero affirmans, praef. in lib. Esther, hunc *variis translatoribus esse vitiatum*, atque in *editione vulgata* (graeca nempe v. sup. pag. 528, not. (*b*)) *laciniosis hinc inde sinibus trahi*; non de longioribus illis pericopis loquitur quae in hebraeo textu prorsus desiderantur, quasque ipse magni faciens suae versioni subiecit, et comm. in ep. ad Galat. allegavit; sed de brevioribus aliis reliquum historiae corpus audaciori interpretum paraphrasi deturpantibus, quod ipse propterea *de archiviis Hebraeorum revelans*, *verbum e verbo expressius transtulit*; quae sane additamenta partim etiamnum, collatis graecis versionibus LXX, alteraque ab Usserio edita *, necnon Itala cum hebraico textu atque Vulgata, deprehenduntur.

(*a*) Cf. II. Mach. XV, 37, Ioseph. Antiq. l. XI, c. VI, § 13, ubi hoc festum non recens invectum sed iamdudum inductum fuisse colligitur. Huius originem perperam Michaëlisius (annott. in cit. l. Mach.) repetit a victoria quam Iudas de Nicanore reportavit, quaeque eadem die agebatur qua Iudaei ultionem de hostibus in Perside sumsisse dicuntur; non enim hac ipsa die, sed duobus insequentibus Mardochaei festum celebratum fuisse apparet ex laudato Machabaeorum loco. Argumentum vero quod OEderus (Freie Untersuchungen über den Kanon des A. T.) ex Meghillah hieros. f. 70, 4 (ap. Lightfoot, horae hebr. et talm. tom. II, p. 645) depromit, ubi LXXXII seniores quos

* V. Iacobi Usserii Armachani de graeca septuaginta interpretum versione syntagma, Lond. 1655, p. 111, seq. Hanc nonnulli eamdem atque Theodotionis existimaverunt, v. Fabricii, Bibl. graec. ed. Harless. vol. III, p. 742.

vitatis ad rei successum responsum, ut ad eumdem reipsa significandum aptissima illa sit (*a*), eo tamen nomine insignitam, quod utpote peregrinum (*b*) atque a sortibus per scelestum Amanum iactis mutuatum, nemini excogitatum videri poterit. - At enim non modo facti substantia historica est, sed universa narratio ita ad veritatem expressa, ut simplici animo illam legentibus indubitabilem fidem faciat, tantumque abest, ne testatissimis illius aetatis, regionis, ac gentis monumentis contradicat, ut imo iisdem declarandis inserviat, mutuamque inde lucem et confirmationem desumat.

inter plus quam xxx prophetae huic festivitatis institutioni contradixisse feruntur, posito quod certae traditioni, non fabulari tantum rumore innitatur (de hoc facto silet Mischna in tract. Meghillah), potius sententiam nostram confirmat; ut enim haud inverisimile est superstitiosiores praesertim extra Persidem commorantes religioni habuisse novum festum non pontificia aut sacerdotali auctoritate, sed reginae aulicique nomine constitutum celebrare, ita incredibile foret hoc idem universim, scrupulis dubitantibus exemtis, obtinere potuisse, ubi ne certa quidem atque explorata factorum veritas fuisset. Hoc institutum perpetuo dein ad hanc aetatem servatum ex cod. Theodos. de Iudaeis tit. xii, lib. i, l. ii, et Buxtorfii synagoga iudaica c. xxix colligitur.

(*a*) Cave tamen ne priscam festi simplicitatem cum recentiori licentia confundas. Cf. Buxtorf. op. et l. cit. Wagenseil in Sota pag. 466, Seldenus, otior. theol. l. iii, exercit. i, p. 446, Schulzius, Biblioth. Haganae classis v, fasc. ii, p. 261.

(*b*) Nimirum Purim פּוּרִים a פּוּר, quod iii, 7 hebraice interpretatur גּוֹרָל, etymon ducit a persico بهره *behre*, *pars*, *sors*; ex hac voce hebraicis primum in textu, graecis deinde litteris in LXX versione descripta, tum in aliam graecae linguae affiniorem immutata, orta est lectio *φρουραί* (aut *φρουραῖα* in cod. Alexandrino), quasi nempe hoc festum *ἀπὸ τῶν φρουρῶν a custodiis* dictum fuisset.

Scilicet narratio secum ipsa egregie consentit; etenim si ad primarum partium personas animum attendamus, harum gesta ad cuiusque indolem, conditionem et institutum apprime constanterque respondent: aulicum Mardochaei munus, nobiles spiritus, sensus generosi, firma in Deum fides, caritas in fratris neptem, amor erga contribules, Estherae modestia, eiusdem vel reginae filialis in nutricium pietas atque observantia, reverentia qua periculosissimum sibi illius mandatum studet declinare, magnanimitas qua Dei auxilio suis, ancillarum, Iudaeorum omnium precibus atque ieiuniis exorato (*a*), pro fratrum salute vitam periclitatur, cum illustribus utriusque natalibus, recta neptis disciplina, mutua gentis fide ac caritate eiusdemque privatis ac publicis, civilibus ac religiosis placitis, legibus, moribus consentiunt; Assueri impotentia, fastus, libido, repudium inobsequenti uxori remissum, et consequens facti poenitentia, meritorum vel turpis oblivio, vel munificentissima remuneratio, rerum publicarum incuriositas, vitae subditorum nulla aestimatio, caeca in vicarium fiducia, summa huius auctoritas, et praeceps ruina cum regis ingenio (quale esse solet eorum qui totos se luxuriae ac libidinibus tradunt) levi, inconstanti, ad externarum rerum vicem in omnes partes mutabili, nunc ad pietatem prono, nunc in iracundiam effuso, subito impetu extrema consilia capienti apte conveniunt; Amanis demum animus in prosperis arrogans, intolerandus et ferus, in adversis vilis atque abiectissimus in aulico homine honorum cupidissimo, turpi assentatione ad altiores gradus progresso, id praesertim aetatis ac gentis, nec insolens, nec disconveniens. Quod argumentum ex verisimili sibique constanti cuiusque habitu vitaeque ratione depromtum eo validius est, quod Hebraei scriptores minime, ut Graeci, artem historias fingendi calluerunt; absonum pro-

(*a*) Cf. IV, 16 cum Judith IV, 8.

inde artificiosum adeo figmentum nostro adiudicare, cui consimili concinnando vel litteratissimus et elegantissimus Xenophon impar fuisse videtur (*a*): insuper rerum peregrinarum valde incuriosi, nisi si eventuum testes ipsi fuissent, aut coaevis domesticisque documentis uterentur, in magna earumdem ignoratione versabantur (quod Iosephi praesertim exemplum declarat (*b*)), easque consulte praetermittebant; noster e diverso accuratam adeo atque plenissimam rerum persicarum notitiam exhibet, ut harum rerum peritis aestimatoribus ceu locupletissimus persicae antiquitatis fons habeatur (*c*).

Et primo quidem id ex pluribus persicis vocabulis atque nominibus probabiliter argumentamur: etenim vox אֲחַשְׁדַּרְפְּנִים *satrapae* (*d*), etymon ducit a persica ستراپ *sitrap*, antiquitus duriuscule (*e*) *khschatrapa* (h. e. *miles exercitus*) cui duriori formae respondet graeca ἐξατράπης, ex qua sensim processit lenior σατράπης; illam porro litterarum *khsch* asperitatem Hebraei חשׁ et א posthetico exprimere consueverunt (*f*); quare similiter persicum

(*a*) Antiquitus enim recepta opinio est Cyropaediam non ad historiae fidem, sed ad effigiem iusti imperii conscriptam fuisse, Cicero ep. ad Quintum fratrem I, 1, 8, cf. Plato de Legibus, III, 12. Nimirum verisimilitudo veritatis vicem nunquam praestabit.

(*b*) V. sup. pag. 438, nott. (*d*) (*e*).

(*c*) V. Brissonius, de rég. Persarum principatu passim, Heeren, Ideen, I Th., I Abth. S. 132, vgl. 466, qui absurde profecto ibidem hanc narrationem tot inaffectatae veritatis characteribus insignitam figmentum nihilominus existimat.

(*d*) Esth. III, 12, VIII, 9, IX, 3.

(*e*) Antiquiores nempe pro lenioris pronuntiationis litteris س *sin* et ش *scin* sonos longe asperiores adhibuerunt, sic pro *schach* rex *khschêhiôh* dixerunt. V. Gesen. Lexicon ad v. l.

(*f*) Ita pro *khschyêrschâ* (haec nativa Xerxis nominis forma quae ex scriptura cuneata nuper emersit, v. Gesen. ad v.) = neo-persico شيرشاه h. e. *leo rex* (cf. Esth. XIV, 13), efferebant אֲחַשְׁוֵרשׁ; *Ar-*

استار *estar*, استر *ester* olim *ekhschter*, sanscr. *açwatara* reddiderunt אֲחַשְׁתְּרָנִים *mulos* (*a*). Parili ratione פַּרְתְּמִים primores (*b*) a pehlevico *pardom*, sanscr. *prathama*, unde πρῶτος *primus* procedit; item פַּחוֹת paefecti provinciarum (III, 12, VIII, 9 coll. cum Esdr. V, 3, 14, VI, 7, Neh. V, 14, 18, Agg. I, 1, 14, II, 2, 21) a sanscr. *paksha* (prakrit. *pakka* veteribus Persis *pascha*) *socius*, utpote regis socii atque armigeri; cognomina demum Estheris (*c*) אֶסְתֵּר et Vasthi וַשְׁתִּי, Amanis הָמָן et Mardochaei מָרְדֳּכַי, ut reliqua secundarum partium praetermittamus (*d*), persicum etiam etymon habent: primum nempe a ستاره *sitareh*, zendice *stara*, sanscritice *tara* (unde gr. ἀστήρ, lat. *aster*, germ. *stern*, angl. *star*) h. e. *stella* (*e*); alterum a وشتي *femina pulcra;* tertium a sanscritico *hêmau, Mercurius planeta;* postremum a مرذكي *homuncio* vel *Martis cultor* (*f*). Quodsi a nominibus ad res ipsas dein progredimur, quantum istae Persarum moribus adamussim conveniant innumeris propemodum profanae antiquitatis testimoniis conficitur: congruunt sane quae de Assueri convivio a nostro

tachschatra (ab *art* fortis, et zend. sanscr. *khschatra* rex) *r* et *s* permutatis, *Artachsasta* (Artaxerxem) pronuntiabant. Cf. sup. pag. 418, not. (*a*).

(*a*) VIII, 10, 14.

(*b*) I, 3, VI, 9.

(*c*) Haec antea הֲדַסָּה (Edissa) vocabatur, quae vox, uti araba هدس myrthum significans, nomen persicis etiam mulieribus commune fuisse videtur; congruit sane filiae Cyri et Hystaspis uxoris nomen Ἄτοσσα.

(*d*) Scilicet idipsum dicendum est de reliquis nominibus I, 10, 14, II, 3, 14, 21, III, 1, IV, 5, V, 10, IX, 7-9, de quibus consulendus Gesenii thesaurus ad singulas voces.

(*e*) Quod sane sideris cognomentum de iuvene aut puella bona forma spectabili quovis fere sermone novimus usurpatum; cf. Horat. III od. IX, 21, Val. Flacc. V, 467, Silv. Stat. III, IV, 26, Claud. XI, 1.

(*f*) V. sup. pag. 428, not. (*f*).

scriptore narrantur (*a*) cum iis quae generatim de Persarum luxurie atque deliciis (*b*), de convivarum numero, epularum copia et sumtuositate (*c*), tum speciatim quae de regiis hortis (*d*) et tabernaculorum structura (*e*), de vario atque pretioso tegumentorum (*f*), necnon generoso regique peculiari vini genere (*g*), deque *legibus insanis* quibus *reges* convivas *mero torquere* solebant, hac ceteroquin vice ab Assuero abrogatis (*h*), de ingenti auri, argenti atque gemmarum copia (unde lectuli, pocula, pavimenta constabant) ab antiquis scriptoribus traduntur atque ex recentiorum itinerariis confirmantur (*i*). Parili porro ratione

(*a*) Esth. I, 3-5.

(*b*) Athenaeus, Deipnos. l. IV, c. 25, X, 45, XII, 9, 38, 39, 45, 55.

(*c*) Herod. VII, 118-119, Xenoph., Cyrop. VIII, 2, 4 coll. cum IV, 7, 8, VI, 11, et Anab. I, 9, 25, 26, Athen. I, 30, IV, 26, 27, Plutarchus, Sympos. VII, 4, Strabo l. XV, p. 328, tom. III, ed. Tauchnitz, Ælian. de nat. anim. VII, 1, Theopomp. Fragm. n. 124, Horat. Carm. I, 38, 1, Chardin, Voyages en Perse. tom. II, p. 249, tom. III, p. 74, ed. Amstel. 1735, cf. sup. pag. 502, not. (*f*).

(*d*) Xenophontis Œconom. IV, 13, Diod. Sic. Bibl. XVI, 41, Plutarchus in Artaxerxe c. 25, Steph. Byzant. ad voc. Σοῦσα, vide consona recentiorum Shawii, Pocockii, Russellii, Maundrellii testimonia apud Dereser, comment. in h. l., quibus addendus Petrus Della Valle, Itinerar., tom. II, p. 174, seq., ed. Genev.

(*e*) Ælianus et Athenaeus apud Brissonium op. cit. tom. I, p. 781, Polyaenus apud Clericum in h. l., Heeren, Ideen, I, 1, p. 230.

(*f*) Cf. I, 6 cum I. H. Vossio, Mytholog. tom. III, p. 307, 2. edit., Hartmann, die Hebraeerinn am Putztische B. III, S. 39, ff. 409, ff., Chardin, Voyages, éd. Langlès, tom. II, p. 116.

(*g*) Cf. ib. 7 cum Athenaeo I, 51, coll. cum IV, 26, Plutarcho, fortuna Alexand. I, 1, Strabone, op. cit. p. 320, Ezech. XXVII, 18, Erasmi Adag. chil. I, cent. X, 47, Brisson. loc. cit. tom. I, p. 129.

(*h*) Cf. ib. 8 cum Horat. Art. poët. v. 434, Satyr. l. II, Sat. VI, 68, Brisson. loc. cit. p. 462, seq., Chardin, op. cit. tom. I, p. 197, seq.

(*i*) Ib. 6 cum Strab. l. c., Ctesia, fragm. Pers. l. III, Herodot. IX, 81, Xenoph. Cyrop. VIII, 8, 16, Athen. II, 31, XI, 14, Plutarch. Pelopidas c. 30, Artaxer. c. 22, Curt. III, 13; cf. etiam Philostratus in vita Apoll. l. II, c. 2, Martialis, ep. l. XII, 50, Senec. ep. 86, ap. Bochart. Hieroz. tom. III, p. 651, ed. Rosenmüller, Le Bruyn, Voyages tom. IV, p. 95, Chardin, l. cit., Brisson. l. cit. p. 105, 476, Heeren, l. cit. p. 10, 87, 105.

probantur quae regiae et gynaecei mores, aulicorum vitae rationem, officia, ministeria, regni iura et consuetudines attingunt: sic lex, qua sub poena capitis cautum erat ne quis ad regem invocatus adiret, cum antiquo more consentit regis personam omnibus, praeterquam proximioribus regis administris, aut quos ipse advocaverit, occulendi (*a*); quae consuetudo a Media, ut videtur (*b*), in Persiam invecta, opinione de divina regis natura nitebatur, quem Persae uti Oromasdis imaginem, progeniem, imo *exsistentis orbis terrarum auctorem*, adorationis ritu, aliisque divinis honoribus prosequebantur (*c*); hic propterea tum domi, tum foris in aureo solio suo plerumque assidebat, aut gestabatur (*d*), quod regiae dignitatis praecipuum erat insigne (*e*), et adeo sacrum, ut capitale haberetur siquis praeterea illud tetigisset (*f*); quemadmodum in universum regis tantum propria ac sacra erant quae ad eius usum destinabantur,

(*a*) Cf. iv, 11, 14 cum Herodot. i, 99, iii, 140, Xenoph. Agesil. ix, 1, Athen. xii, 3, Plutarch. Themist. 23, 29, Aristot. de mundo c. 6, Corn. Nep. Conon, 3, Iustin. i, 9, Chardin, op. cit. tom. iii, p. 304; et Esth. i, 10, 14 cum Herod. iii, 84, 128.

(*b*) V. Herod. i, 99.

(*c*) Plutarch. Themist. c. 27, Isocrates, Paneg. c. 41, Corn. Nep. l. c., Valer. Max. l. vi, c. 2, De Sacy, Mémoires sur div. antiq. de la Perse, pl. 1, p. 27, 31, Mémoires de l'Institut, hist. etc. tom. ii, p. 184, 188, Münter, Religion der Babylonier, S. 29, Lassen, die altperschischen Keilinschriften S. 157, vergl. 174, cf. Hengstenberg, Beytraege B. 1, S. 129, ff. V. sup. pag. 453, not. (*a*), 502, not. (*d*).

(*d*) Cf. i, 1 et v, 1-2 cum Athen. xii, 2, Herod. vii, 212, ix, 88, Plutarch. Themist. 13, 29, Philostratus lib. ii, Icon. tab. 32, Brissonius loc. cit. p. 103, 683.

(*e*) Plutarch. de frat. am. c. 18, Herod. vii, 15-17.

(*f*) Herod. vii, 16, Val. Max. v, 1, Curtius viii, 4; hic v, 2 sellam regiam describens excelsiorem fuisse tradit, verum cum reges praelongo sceptro uterentur (ut in monumentis Persepolitanis videre est), facile intelligitur quomodo Esther ad Assuerum accedens protensi sceptri summitatem attingere potuerit, Esth. v, 2.

vestem (*a*) puta, tiaram (*b*), diadema (*c*), peculiare non modo vini, sed et aquae genus (*d*), et mensam ipsam (*e*); hinc etiam fiebat, ut regis verba (*f*), praesertim vero scripta decreta (*g*), regio sigillo munita (*h*) et in annales relata (*i*), divinam quamdam efficaciam haberent, fatalem scilicet atque irrevocabilem necessitatem (*k*); proindeque ut illico exsequerentur, praesto erant regii scribae (*l*) et interpretes, qui eadem in multa exemplaria (*m*), suo cuiusque

(*a*) Plutarch. Artaxer. sub initio, Curtius, VI, 2, 5; cf. Brisson. loc. cit. p. 35, Hoeck, Monum. vet. Med. et Pers. p. 44, seq.

(*b*) Xenoph. Cyrop. VIII, 3, 13, Anabas. II, 5, 23, Curtius, III, 3, Plutarch. Artax. 27-28, Iustin. X, 1.

(*c*) Arrian. Exped. VII, 22.

(*d*) Athen. l. XII ap. Brisson. loc. cit. p. 125, cf. sup. pag. 543, not. (*g*).

(*e*) Curt. V, 2.

(*f*) Herod. VII, 16, Diod. Sic. XVII, 30, cf. Briss. loc. cit. p. 185.

(*g*) Nam ore tantum probata, a regibus poenitentia ductis absque divinitatis iactura, interdum revocabantur, Herod. VII, 194, ib 4, 11 coll. cum 13, 18; ad quod praecavendum Aman III, 9 et Esther VIII, 5 curant ut regis edictum (יִכָּתֵב) *describatur.*

(*h*) Cf. III, 12, VIII, 8, 10 cum III. Reg. XXI, 8, Dan. VI, 17, Herod. III, 128, Xenoph. hist. graec. VII, 1, 39, Pocockii, Shawii, Hanwaii testimonia vide ap. Rosenmüller, A. u. N. Morgenl. B. III, S. 205.

(*i*) In his non modo regis mandata et graviora reipublicae negotia (cf. I, 19, II, 23, VI, 1, X, 2 coll. cum Esdr. IV, 15, 19, V, 17, VI, 2, necnon cum Diod. II, 32), sed et leviora, uti ministrorum nomen, munus et gesta, eorum praesertim (ὀροσάγγαι) qui de rege benemeriti fuissent (cf. X, 3 cum Herod. VIII, 85, 90, coll. Plutarch. Themist. c. 13), describebantur.

(*k*) Cf. I, 19, VIII, 8 cum Dan. VI, 8, 15; Chardinius (op. cit. tom. III, p. 418) idipsum etiamnum de Persarum, et Lüdeckius (Beschr. des Türk. Reiches I, S. 275) de Turcarum regum decretis obtinere tradunt.

(*l*) Cf. III, 12, VIII, 9 cum Herod. VII, 100, VIII, 90, Plutarch. Artax. c. 29, unde patet regem in solemnitatibus, exercitus lustratione, ipsoque bellorum tumultu comitatos fuisse. Cf. Albulfasi, hist. des Tatares p. 323, Heeren, I, 1, p. 135.

(*m*) Haec III, 14, IV, 8, VIII, 13 eodem ac Esdr. IV, 11, 23, V, 6, VII, 11 verbo designantur; nam פַּתְשֶׁגֶן et פַּרְשֶׁגֶן propter fre-

gentis sermone, transcriberent (*a*), ab expeditissimis tabellariis (*b*) ad remotissimos imperii fines, variis quibusque magistratibus ac populis, quamcitissime transmittenda. Porro quemadmodum Oromasdis personam rex sustinebat, ita

quentem literarum *t* et *r* in persica lingua permutationem, unum idemque vocabulum sunt. Auctor autem fidem suam hoc etiam commendat, quod in iisdem allegandis, eorum solemnibus conceptisque formulis usus esse videtur, cuiusmodi sunt: III, 14, VIII, 13, פַּתְשֶׁגֶן הַכְּתָב לְהִנָּתֵן דָּת, *exemplar descriptum ut instar legis sit;* III, 15, VIII, 14, coll. IX, 8, וְהַדָּת נִתְּנָה בְּשׁוּשַׁן הַבִּירָה, *et edictum datum est in regia Susorum arce.*

(*a*) Cf. I, 22, III, 12, coll. VIII, 13 cum Thucydide hist. l. IV, c. 50, ubi epistolae a rege Persarum per legatum ad Lacedaemones missae atque ab Atheniensibus interceptae, ex Assyriis quidem litteris (ἐκ τῶν Ἀσσυρίων γραμμάτων) in graecas, neutiquam ex assyrio sermone (ἐκ τῆς Ἀσσυρίας γλώσσης vel διαλέκτου) in graecum translatae dicuntur. Ceterum verba III, 12: מְדִינָה וּמְדִינָה כִּכְתָבָהּ וְעַם וָעָם כִּלְשׁוֹנוֹ haud ita exponenda sunt, ac si singulae provinciae vario inter se scribendi genere aut sermone uterentur, sed ita ut, pro cuiusque gentis diversitate inter varias imperii provincias distributae, diversa etiam exemplaria describerentur.

(*b*) Ἄγγαροι vel Ἀστάνδαι persico vocabulo a Graecis nuncupati. Cf. III, 15, VIII, 10, 14 cum Herod. V, 14, VIII, 98, Xenoph. Cyrop. VIII, 6, 17, alia vide ap. Brisson. loc. cit. p. 311. Nec refert quod illos Herodotus equis, noster mulis vectos fuisse tradit; unus siquidem generalem tantum equitandi notionem, alter vero, quippe rem praesentem sibique notam describens, peculiare iumenti genus accuratius voluit significare; quos igitur equos סוּסִים et ipse dixerat, mulos deinde vocat, et per epexegesin בְּנֵי הָרַמָּכִים *filios equarum*, et recte quidem; mulos enim, ut in toto Oriente (cf. II. Reg. XVIII, 9, III. Reg. I, 33), ita et in Perside, uti nobile vecturae genus, quippe robore atque velocitate praestantes, quavis aetate habitos fuisse locupletissime testantur Herod. IV, 128, 134, 135, Ctesias, Persic. c. 45, Della Valle op. cit. tom. III, p. 7, 132, Chardin. op. cit. tom. V, p. 147; porro mulorum genus quod ex asino et equa generatur, robore atque velocitate excellere Plinius, hist. nat. l. VIII, c. 44, Columella, de re rust. l. VI, c. 37, Ælianus, hist. anim. l. XVI, c. 9 declararunt.

suam ipse vicem, signatorio anulo tradito (*a*), ministro delegabat, quae vicaria atque indefinita potestas nullo non tempore apud Persas haud secus ac apud ceteros orientis populos (*b*), propter frequentem primum regum expeditiones suscipientium absentiam, dein propter eorumdem imbecillitatem atque mollitiem potissimum obtinuit (*c*). Pone hunc prae ceteris excelsiori solio considentem, inferiori ordine atque subsellio (*d*), proximi a rege sequuntur septem huius assessores (*e*), eidem perpetuo adstantes, eiusque conspectu fruentes, cum astrologiae gnari (*f*), cuius maxima in privatis publicisque Orientis negotiis componendis auctoritas (*g*), tum iure periti (*h*), quod solemni דָּת *legis* vel דָּתֵי פָרַס וּמָדַי *legum Persarum atque Medorum* nomine (*i*) rem universam sacram atque

(*a*) Cf. III, 10, VIII, 2 cum Gen. XLI, 41-42, Iustin. XII, 9, Curt. V, 10, Ios. Antiq. l. XII, c. IX, § 2, l. XX, c. 2, § 3, Aristoph. Equ. v. 947, Paulsen, Regier. der Morgenl. S. 297; vide aliorum testimonia apud Rosenmüller, A. und N. Morgenl. B. 1. S. 192-194.

(*b*) Cf. Gen. XLI, 40-44, Dan. VI, 4, Herod. VII, 52.

(*c*) Chardin. op. cit. tom. III, p. 326, seq., Le Bruyn tom. IV, p. 138.

(*d*) Cf. III, 1, I, 13-14 cum Xenoph. Cyrop. l. VIII, c. I, 39, c. IV, 5.

(*e*) Cf. I, 14 cum Esdr. VII, 14-15, Brisson. op. cit. § 133.

(*f*) Isti I, 13 hebr. non modo generali חֲכָמִים *sapientum* nomine, ut alibi saepe (Is. XLIV, 25, Ierem. L, 35, Dan. passim), vocantur, sed *tempora docti* יֹדְעֵי הָעִתִּים dicuntur.

(*g*) Cf. Ezech. XXI, 21, Os. IV, 12, Herod. VII, 37, Arrian. Exped. VII, 22, Heeren, Ideen, I, S. 481, Chardin. op. cit. tom. III, p. 163, 203, 304, Tavernier, Voyages tom. I, p. 261, Della Valle, id. tom. III, p. 4, Van Dale, de orac. p. 341, seq. Iam enim ex III, 7 coll. cum VI, 13 apparet Amanem et suos habuisse חֲכָמִים astrologos, quorum opera ad ardua per sortes capessenda uteretur. De Persarum sortitione cf. Herod. III, 128, Xenoph. Cyrop. I, 6, 46, IV, 5, 55.

(*h*) Cf. I, 13 cum Esdr. l. cit., Herod. III, 14, 31, V, 29, VII, 194, Plutarch. Artax. c. 29, Ælian. var. hist. l. I, c. 34, Heeren, l. cit. p. 458, Briss. op. cit. § 132-133, Leo, Univ. Gesch. I, S. 128. ff.

(*i*) Persas peregrinis institutis admittendis maxime pronos (Herod. I, 135) non modo vestibus (ib. et III, 84, Xenoph. Cyrop. VIII, 1, 40) et armis (Herod. VII, 62), sed moribus (Strabo l. XV, p. 525, ed. cit.)

civilem, publicam atque domesticam, ad Medorum instituta compositam complectebatur (*a*); neque eiusdem praetermittitur sanctio, sed poenas inter capitalis per crucem (*b*), indeque consequens bonorum proscriptio (*c*) commemoratur. Consiliarios excipiunt imperii administratores, quos modo generatim principes (*d*), ministros (*e*), procurato-

atque universa vitae ratione (Ælian. hist. anim. l. I, c. 14) Medorum imitationi adeo studuisse constat, ut saepius Medorum nomine Persae designarentur (v. ex. c. Herod. IX, 7, 8): verissime propterea noster communi hoc Persarum atque Medorum titulo cum legem in universum (I, 19 coll. cum 22), tum exercitum (I, 3), optimates (I, 14, 18), annales (X, 2), paucis, rem omnem publicam atque imperium ipsum significat; atqui in hac solemni formula adhibenda cum Daniele consentit, nisi quod hic generatim Persas Medis, contra ille Medos Persis iugiter praescribit (VI, 8, 13, 15); et rectissime quidem, nam sub Dario Medo Danielis aequali vixdum Persarum dominationi cesserant Medi, quae sub Xerxe nostri contemporali (v. inf. pag. 563, not. (*a*)) iamdudum praevaluerat; at enim cum hic ad annales allegat (X, 2), Persas Medis scite postscribit, quippe illorum annales ex superiori horum historia partim coaluisse videntur.

(*a*) Heeren, op. et l. cit. p. 426.

(*b*) Cf. II, 23, V, 14, VII, 9-10, IX, 13-14 cum Esdr. VI, 11, Herod. III, 125, 158, IV, 43, VI, 30, VII, 194, IX, 119, Plutarch. Artax. c. 17, Ctes. Pers. c. 5, quae profanorum scriptorum loca non modo plebeios, sed et proceres, contra Romanorum morem, in cruce suspensos fuisse confirmant; pro graviori autem criminis gravitate atque ignominia altiori suffixos tradunt Suetonius, Galb. 9, Iustinus XVIII, 7; sed et occisos interdum in crucem actos ex Herod. VII, 238, IX, 77 coll. cum Esth. IX, 13-14 colligitur; quod vero formula תָּלָה פ' עַל עֵץ cruci quempiam affigere significetur probavit Vitringa, Observ. S. p. 431, seq. Quamquam igitur id genus supplicii nec apud Persas, nec apud ullos Orientis populos modo usitatum est, perperam inde conficit Chardinius (op. cit. tom. II, p. 160) neque a veteribus Persis olim fuisse usurpatum. Cf. sup. pag. 428, not. (*c*). De poena mortis tacite probata, cum rex subito assurgit atque secedit, cf. Tavernierii et Olearii testimonia apud Dereser comment. in Esth. VII, 7.

(*c*) Cf. VIII, 1 cum Esdr. VI, 11, Chardin. op. cit. tom. II, p. 51, 299, III, 310.

(*d*) שָׂרִים I, 18, III, 12.

(*e*) עֲבָדִים I, 3, II, 18.

res (*a*) appellat, modo accuratius iuxta cuiusque ordinem proprio satraparum, praefectorum, optimatum nomine distinguit (*b*). Consequuntur *sedentes in porta* (*c*), magistratus nempe et nobiles aulici in regiae vestibulo ad regis accitum et iussa parati (*d*); plurimus ac potentissimus apud Asiaticos eunuchorum ordo, quorum septeni regi praesentes, eius ministerio iugiter addicti, eiusque interna mandata curantes (*e*), alii ianitores perpetuas excubias agentes (*f*), reliqui ad varios frequentis (*g*) gynaecei usus destinati; et ex primariis unus quidem virginibus (*h*), alter iam tori consortibus praeerat (*i*), ceteri singularum mi-

(*a*) עֹשֵׂי הַמְּלָאכָה III, 9, IX, 3.

(*b*) Cf. sup. pag. 541-542.

(*c*) יֹשְׁבֵי בְּשַׁעַר II, 19, 21, III, 2-3, V, 9, 13, VI, 10; simili synecdoche etiamnum in Oriente *portae* nomine regis aula et ministerium designatur, ex. c. *Porta Ottomana;* v. Lüdecke op. cit. I, 281, Ios. v. Hammer, des Osmanisch. Reichs Staatsverf. II. Th. S. 137.

(*d*) Cf. II, 19, 21, III, 2-3, V, 9, 13 cum Dan. II, 49, Herod. III, 34, 35, 118, 120, Xenoph. Cyrop. I, 3, n. 2, VIII, 1, n. 6, Anab. I, 9, n. 3, Plutarch. Them. c. 29, Pelop. c. 30, Arist. de mundo c. 6, Athen. l. VI, c. 13, Heeren, l. cit. p. 214, Tavernier, l. cit. p. 239.

(*e*) Cf. I, 10-11, VI, 13, VII, 9 cum Xenoph. Cyrop. l. VII, c. V, nn. 59-65, Herod. VIII, 105, Athen. l. IV, c. 28 et 146, ubi generatim aulicorum multitudinem commemorat.

(*f*) שֹׁמְרֵי הַסַּף *liminis custodes*, cf. II, 21, VI, 2 cum Herod., Xenoph., Plutarch., Arist. l. sup. cit. et Chardin. op. cit. tom. III, p. 334.

(*g*) Herod. I, 35, Athen. l. XIII, c. 9, Curtius l. III, c. 3. Brisson. op. cit. tom. II, § 154.

(*h*) II, 3, 8, 15. Hae inter speciosissimas delectae (et vel invitas ad id honoris, vel dicam turpitudinis adlectas ex II, 8 coll. cum XIV, 15-18, et Ælian. var. hist. XII, 1 colligitur; cf. et Gen. XII, 15, XX, 2) undique studiosissime conquirebantur, cum ad perenne regiae libidinis irritamentum, tum etiam, quae aulicorum officiositas atque versutia, ut harum gratiosissima in iustam uxorem ac reginam assumpta, repudiatae desiderium ac restitutionis periculum amoveretur, II, 1-5.

(*i*) II, 14.

nisterio addicebantur (*a*). Diligens demum descriptio eorum quae ad intimiores hosce recessus pertinent, varia nimirum pigmentorum genera et amatoria lenocinia quibus per annum virgines ad regis thalamum praeparabantur, in concubinarum dein ordinem distinctasque aedes concessurae (*b*), harum nocturnae ad regis nutum vicissitudines (*c*), unius delectio quae diademata reliquis praeeminеret, huiusque solemniores nuptiae publica festivitate celebratae, publico etiam decreto solutae (*d*), festa eiusdem convivia quibus sodales tantum intererant, vel privata in quae rex unus interdum aut ullus eius carissimus adhibebatur (*e*), opportuna consiliis capiendis (*f*), aut beneficiis certo impetrandis (*g*) coenam subsequens compotatio (*h*), cum

(*a*) Cf. IV, 4-5 cum Terent. Eunuch. I, 2, 166. Estheris ministerio, quippequae multa apud Egeum gratia valeret, septem ancillae forma atque ornatu spectabiles praeterea assignantur II, 9; de hoc septenario numero saepius repetito (cf. I, 10, 3, 1), Persis etiam solemni atque frequenti v. Grot. in h. l. et Heeren, l. cit. p. 490.

(*b*) II, 12-14. Simile amatoriae praeparationis exemplum videsis ap. Paulsen, Regier. d. Morgenl. S. 392; Persas unguentis maxime delectatos tradit Plinius, hist. nat. l. XIII, c. 1.

(*c*) Cf. II, 14-16 cum Herod. III, 69, Diod. Sic. XVII, 77, Iust. XII, 3.

(*d*) Cf. I, 11, 19, II, 17-18 cum Neh. II, 6, Plutarch. de princ. indoct. opp. ed. Xyl., tom. II, p. 780, Athen. l. XIII, c. 1, Brisson. l. cit. p. 159. Similia apud Babylonios (Dan. V, 10) et Habessinios (Paulsen, op. cit. p. 413) obtinuisse novimus.

(*e*) I, 9, V, 4, 8. Apud Orientales cum rex solemnia convivia celebrat, similia in gynaeceo habentur, cf. I, 9 cum Rosenmüller A. u. N. Morg. n. 705, Brisson. l. cit. p. 156, Persarum rex solus coenare solitus interdum uxores et liberos (Athen. IV, 26, Plutarch. Artax. c. 5) rarissime familiarissimum quempiam in convivium adhibebat (cf. Athen. II, 9 et Baehr ad Herod. III, 132); hinc Amanis laetitia facile intelligitur V, 12.

(*f*) Cf. I, 3-4 cum Herod. VII, 8, Athen. V, 19 coll. IV, 23, Strab. l. cit. p 329, Amm. Marc. l. XVIII, c. 5, v. sup. pag. 502, not. (*f*), Heeren, l. cit. p. 471.

(*g*) Herod. I, 133, IX, 110, 111, Brisson. loc. cit. p. 220, Athen. V, 19, coll. IV, 23.

(*h*) מִשְׁתֵּה הַיַּיִן. *compotatio* V, 6, VII, 2, cf. Ath. l. cit., Ælianus,

universim probabilia (*a*), tum partim aliorum testimoniis confirmata ostendunt auctorem difficillimam (*b*), at veram harum rerum cognitionem, a regis penetralibus maxime proximis aut assuetis accepisse. Neque illud praetereundum hunc narrationis nostrae cum profana antiquitate consensum cumulatius demonstrari ubi ponatur, quae modo vulgaris criticorum opinio est (*c*), Assuerum Xerxem

var. hist. xi, 1, idipsum et Turcae etiamnum usurpant, v. Tavernier, Rélat. du Sérail, ch. 13; at Persae recentiores hunc potum ante coenam habere consueverunt, v. Rosenmüller, op. cit. n. 712.

(*a*) Heeren, l. cit. pag. 466.

(*b*) Chardin. op. cit. tom. iii, p. 385.

(*c*) Hanc scilicet veteribus haud ignotam (cf. Euseb. Chron. Armen. i, p. 199, ii, p. 111, qui tamen ab iis dissentit hac una de causa, quia secus in Esdrae libro eventus adeo proximi mentio fieri debuisset, quod sup. pag. 440 iure negavimus) post Scaligeri (de emend. temp. l. vi) Iustique (ap. Eichhorn, Repertorium etc. t. xv, p. 1-38) lucubrationes recentiores communiter sequuntur. Antiquiores e diverso multum inter se dissident; alii pro Medorum rege Astyage (Syncellus, Chronogr. p. 232, Prideaux, Connex. d. A. u. N. T. mit. d. Voelkerhist. i, S. 91, f.), Cyaxare i (Des Vignoles, Chronol. de l'hist. s. l. iv, ch. v, § ii, Jackson, Chron. Alterth. ii, S. 306-307), Cyaxare ii (Marsham, Can. chron. ii, c. 15) pugnantes; alii pro Cambyse (Hebraei in Seder Olam Rabba, c. 29, Zuta p. 108 ed. Meyer, Kohlreif, Chron. S. P. ii, c. 15), Dario Hystaspis (Usserius, Annal. ad an. 4193, Calmet, praef. in Esther), Artaxerxe Longimano (Ios. Antiq. l. xi, c. 6, Abenesra, Clericus, Vence), aut Mnemone (Euseb. Chron. Armen. ii, p. 216, Hieronymus in Ezech. c. iv, cont. Pelag. iii, 10, in Zach. i, 1, in Dan. c. vii, Sulpitius Sever. hist. l. ii, c. 14). Utrum lxx et Vulgatus xi, 2, xiii, 1, xv, 1, xvi, 1 intellexerint incertum, maxime cum Graeci Xerxem ipsum Artaxerxis nomine appellare consueverint. — At enim sub Medis alia regni sedes, quia Susa ad Babylonios spectabant (Dan. viii, 2, v. inf. p. 552, not. (*d*)); minor imperii amplitudo, quia primus Darius Indos, Ionesque subegit (Herod. iv, 42, iii, 90); nec ante Cyrum Persae Medis praevaluerunt (cf. sup. pag. 547, not. (*i*)). Cambyses vero vii regni sui anno, mense quinto, letali vulnere Ecbatanis defunctus (Herod. iii, 68), nec duos post menses Estheris nuptias celebrare (Esth. ii, 16), nec quatuor post annos truculentum contra Hebraeos decretum edere (ib. iii, 7) potuit. Neque haec magis

significare, ad quem reapse nomen (*a*) et indoles (*b*), imperii (*c*) regiaeque (*d*) definitio, rerum ac temporum

in Darium aut Artaxerxem conveniunt, qui nunquam in sacris litteris aliter denominantur, atque ab Assuero moribus etiam quam nomine dissimiliores sunt, tanto insuper, tamque maturo favore Hebraeos prosecuti ut Amanis ausus incredibilis foret, et Estheris deprecatio nimis sera aut intempestiva videretur (cf. Esdr. VI, 1-15, VII, 7-8, 12-26 cum Esth. II, 16); adde nullomodo fieri potuisse ut Darius ullam ex quatuor uxoribus Cyro aut Otani consanguineis temere repudiaret, quas ad maiorem imperii firmitatem conciliandam prudentissimus duxerat (Herod. III, 88); Nehemias autem nullam Estheris aut Mardochaei mentionem haberet, ubi uterque tanta apud Artaxerxem gratia atque auctoritate valuisset; quodsi hunc ipsum Xerxis atque Estheris filium dixeris, optima eiusdem in Hebraeos voluntas longe verisimilior apparebit.

(*a*) V. sup. pag. 541, not. (*f*). Huius enim κατ' ἐξοχήν proprium est, licet et aliis commune fuerit, Astyagi nempe (Dan. IX, 1) et Cambysi (Esdr. IV, 6), cf. sup. pag. 418, not. (*a*), quibus profecto hîc minime congruit, v. not. praeced.

(*b*) Cf. nimirum quae superius pag. 540 de superbo, luxurioso, mutabili, crudeli Assueri ingenio dicta sunt, cum iis quae de consimili Xerxis indole Graeci Latinique scriptores memoriae prodiderunt; v. Herod. VII, 37-39, 238, VIII, 24-25, IX, 107-112, Plutarch. in Artaxerxe c. 13, Athen. l. VIII, Phanodemi fragm. n. 16, Ioh. Tzetzes hist. chiliad. I, cap. 132, Cicero, Tusc. V, 7, Iustin. l. II, c. 2, Seneca de ira lib. VII, c. 17, Val. Max. Mem. lib. IX, c. 1, § 3. Quod ad Assueri et Xerxis liberalitatem cf. Esth. V, 6, VII, 2 coll. Marc. VI, 23 cum Herod. IX, 109, Senec. de benef. l. VI, c. 31.

(*c*) Cf. I, 1, VIII, 9 cum Herod. VII, 9, 65, 69-70, ubi Indi et Æthiopes Xerxi paruisse dicuntur; CXXVII autem provinciae, quot ferme a Daniele numerantur (cf. Esth. I, 1, VIII, 9 cum Dan. VI, 1), totidem minores praefecturae sunt ex singulis nationibus, contributibus quaeque praefectis obtemperantes, quarum LXX circiter memorat Herodotus (III, 90-94) inter XX satrapias distributas (cf. sup. pag. 427, nott. (*d*) (*f*)), XXVIII autem coaeva aliarum nomina nuper in monumento Dario dicato, cuneiformibus litteris descripta Persepoli reperta sunt, v. Lassen, die altpersch. Keilinschrift. S. 116-117, Ritter, Erdkunde B. VIII, S. 87; cf. Heeren l. cit. p. 135.

(*d*) Susa scilicet ex tempore Darii Hystaspis (antiquiores enim tum hîc, tum Babylone, tum Ecbatanis pro tempestatis ratione commo-

rationes (*a*) apertissime respondent.

rabantur, Xenoph. Cyrop. VIII, 6, 22, Anab. . III, 5, 15, Plutarch. de exil. c. 12, Ælian. hist. anim. III, 13, X, 6) vulgarem stabilemque Persarum regum (Herod. V, 49, Strabo l. XV, p. 317, 329 ed. cit., Amm. Marcell. XXIII, 6), nominatim vero Cambysis (Herod. III, 64, 65), Darii (id. III, 129, 132, IV, 83, V, 25, 30, 107, VI, 1, 20, 119, VII, 3), Xerxis (cf. Esth. I, 1 cum Herod. VII, 6, 135, 136, IX, 107) sedem fuisse compertum est.

(*a*) Xerxes et Assuerus uterque tertio regni anno primores Persarum Susis convocant; hic solemnis ac diuturnioris convivii caussa (Esth. I, 3); ille ut cum iisdem de bello contra Graecos suscipiendo atque adornando deliberationes haberet (Herod. VII, 8), quod ad idem redit; huiusmodi namque consilia inter epulas agitare solebant Persae (Amm. Marcell. l. XVIII, c. 5, Strab. l. cit. p. 329, v. sup. pag. 502, not. (*f*)): quare ut Herodotus hoc adiunctum haud inepte praeteriit, ita noster, bellico eiusdem consilio apte praetermisso (quippequi peculiarem tantum eventum, nequaquam integram historiam, et interna ac domestica potiusquam externa persequebatur), opportunius regis fastum et ostentationem commemoravit, quibuscum reginae convivium renuentis repudium arcte connexum erat, unde tota narrationis tela exorienda. Quod autem in locum Vasthi tunc dimissae, nonnisi post triennium (II, 16) aliam, Estheram nempe, ex speciosissimis undique selectis virginibus Assuerus suffecerit, hoc cum Xerxis in Graeciam expeditione redituque post cladem perbelle consentit: hic enim quinto imperii sui anno Susis in bellum profectus, eodem exeunte ad Salaminam devictus, insequenti Macedonii copiis ad Plataeas profligatis, septimo * Susa reversus totum se libidini, nefariisque amoribus dedit, quo probrosam tantae cladis memoriam exstingueret (cf. Herod. VII, 20, 67, 117, IX, 108, seq., Diod. XI, 18-20, 28, 36). Nec minus congruum tributum ab Assuero continenti atque insulis, seu litoralibus regionibus (haec nempe vocis אִיִּים potestas, Ps. LXXII, 10, Dan. XI, 18) impositum; quod enim

* Hoc primum anno aut insequenti inde progressus fuisset, Estheris propterea nuptiae expeditionem praecessissent, ubi ponatur cum Herodoto (VII, 20) Xerxem, post bellum decretum, hoc per quadriennium parasse; at plerique temporum periti hanc eius rationem omnino negligunt, quum veteres scriptores hac de re mire inter se discrepent (cf. Diod. XI, 2, Iustin. II, 10, Lysias, orat. parent. c. 9, Iulian. orat. I, p. 42, 1), quae diversitas inde orta videtur quod ad postremum Xerxis apparatum et ea interdum referuntur, quae ipse paullo ante contra Ægyptios, vel eius parens Darius iampridem contra Graecos paraverat. V. Petav. doctr. temp. l. XIII, pag. 313, Scaliger. de emend. temp. lib. VI. — Neque pariter nobis adversatur eorum sententia (Hengstenberg, Christol. I, S. 541-60) qui Xerxis imperio, pro viginti, duodecim tantum annos assignant; nec enim noster Assueri regnum ultra producit.

CXLIX. Itaque merito conficimus narrationis fidem hisce internis, externisque veritatis indiciis confirmatam, nullis difficultatibus concuti posse aut infirmari; quod enim obscura quaedam, impedita, vel specie pugnantia, ut in quavis antiquiori historia, in hac etiam deprehendantur, nemo mirabitur: at sinceram adeo rerum persicarum imaginem a recentiori ac fabulari hebraeo scriptore exhiberi potuisse, quin unquam in ulla re manifestae falsitatis ab aliquo revinceretur, hoc *Rationalistis* dumtaxat erit credibile, qui a media supe-

Xerxes post parentis exemplum (Herod. III, 96) aut novum indixerit, aut antiquum auxerit, vel exigendum curaverit, id sane ad cupidum eius ingenium (id. I, 183) et ad affectas post tot clades ac sumtus imperii opes restaurandas maxime accommodatum. Quamquam vero graecae nonnullae provinciae tunc rebellarunt (ib. IX, 103, Thucyd. I, 89) brevi tamen ab exercitu Sardis relicto (Diod. XI, 36) recuperatas tum ex eo colligitur quod Artaxerxes illico post Xerxis mortem plura illarum oppida Themistocli donare potuit (Thucyd. I, 138, Diod. XI, 57, Plutarch. Them. c. 29, Corn. Nep. Them. x, 3), tum ex eo quod Herodotus narrat (VI, 42) tributum a Dario Ionibus impositum sua adhuc aetate Persis solutum fuisse. Nonnulli tandem Assueri ministri iis cognomines videntur qui a profanis scriptoribus Xerxi attribuuntur: scilicet Marsanae (Esth. I, 14), *s* in *d* Chaldaeorum more commutata, congruit Mardonius Xerxis exercitus praefectus (Herod. VII, 82); Egeus et Athac (Esth. II, 8, IV, 5) consentiunt cum Hegia Xerxis familiari, et Athaca potentissimo ex eius eunuchis (Ctes. Pers. c. 24 et ap. Phot. Bibl. cod. LXXII, p. 115): Amestris Xerxis uxoris (Herod. IX, 108, seq.) nomen ad Vasthi, indoles ad Esther minime respondet; verum quum Persarum reges multas uxores legitimas praeter concubinas habere consueverint (cf. Dan. V, 3, Herod. I, 135, III, 7, Chardin, op. cit. tom. IV, p. 217, Paulsen, op. cit. p. 388, seq.) et Assuerus Estheram prae caeteris mulieribus adamavisse dicatur (Esth. II, 17), nihil vetat quominus Amestris hisce annumeretur. — Porro Estheris et Mardochaei sepulcrum ac veneratio hodiedum Ecbatanis (*Hamadan*) perstare tradit Ritter, Geogr. Asien, VI, 2, S. 124.

riori aetate historicam atque divinam libri auctoritatem omnibus antea persuasam (*a*), multo dein eruditionis apparatu convellere tentarunt (*b*): nequidquam tamen; tantum enim abest ut insolubilia protulerint, ut imo candidioribus iudicibus occasionem praebuerint inconcussam libri fidem luculentius manifestandi (*c*).

En sane praecipua quae opponuntur. Semestre convivium imperii principibus, hebdomadale Susianis ab Assuero paratum a parco et continenti Persarum victu, necnon ab invisibili regis maiestate discordat (*d*); absonum insuper satrapas a suis quemque provinciis abesse, regiumque fiscum immanes adeo sumtus ferre potuisse; neque credibile reginam convivium renuntiasse cui de more interesse debuisset (*e*); aut lege cautum ne mulieres imposterum maritos contemnerent, quae generatim in Oriente ancillarum loco sunt. Nec magis verisimile viros externos

(*a*) Praeter Lutherum, lib. de sacro arbitrio, tom. III, ed. lat. Ian. p. 182.

(*b*) Primus in aciem prodivit OEder, op. sup. cit. p. 12, seq., quem secuti sunt Semler, Unters. des Kanons II, S. 149, ff. Appar. ad lib. V. T. interp. p. 152, seq., Michaëlis, Orient. Bibl. II, S. 35, Corrodi, Beleucht. d. bibl. Kanons I, S. 66, ff., Augusti, Einl. S. 274, ff., Bertholdt, Einl. B. V, S. 2425, ff., de Wette, Einl. § 109.

(*c*) Clerico (comm. in h. lib.) et Adami (obs. theol. phil. c. 2, Groningae 1710, 4.°) iampridem praeeuntibus accesserunt Schulze, op. sup. cit., Vos, orat. pro lib. Esth., Eichhorn, Einl. III. B. § 510, Iahn, Einl. II. Th. I. Abth. § 67, Dereser, comment. in h. lib., Rosenmüller, Bibl. Alterthumsk. I. B. I. Th. S. 360-85, Pareau, instit. interpr. p. 422, seq., Kelle, Vindiciae libri Esth. novissimae, Baumgarten, de fide libri Esth. Halae 1839.

(*d*) Cf. I, 1-5 cum Herod. I, 71, Xenoph. Cyrop. VII, 5, 67 et sup. pag. 544.

(*e*) Cf. I, 11-12 cum Herod. V, 18.

et satis obscuros inter nobiles septemviros cooptatos, imo supremum magistratum adeptos, regiisque insignibus (nefas! (a)) honestatos fuisse; et Mardochaeum quidem, hominem aulicum, regis vicario adorationis honorem denegasse, quem Hebraei primoribus suis praestare consueverunt; Aman vero ad iram explendam, capitali sententia in gentem insontem, anno antequam exsequenda, improvide promulgata, reum Mardochaeum inanes propterea clamores imprudenter edentem, semel tamen iterumque impune contumacem, nonnisi uxoris suasione suspendio damnasse. Repugnare aiunt puellam ignotae stirpis reginam creatam, quae ex Cyri, Achaemenidum, vel septemvirum saltem domo esse debuisset (b); negant fieri potuisse ut Estheris genus, huiusce famulitio haud ignotum (utpotequod illius cum nutricio necessitudinem officiose iuvabat, etiamque triduani ac trinoctialis ieiunii particeps fuerat), Aman nihilominus regemque latuerit, qui bis ad eiusdem coenam vocati ex iudaico ciborum delectu Estheris originem coniicere debuissent. Absurdum porro putant reginam, quum commode posset sui adventum per proximos ministros regi praenuntiare, cum capitis discrimine id facere neglexisse, tum vero, praesenti quidquid vellet postulandi opportunitate dimissa, aliam praestolasse; regem autem truculentum adeo decretum, re inexplorata, contra infinitam subditorum multitudinem tulisse, illudque paullo post (sicut et alia plura pridem a se gesta) oblitum revocasse (quod inauditum), vel, firmo adhuc manente, Hebraeis semet defendendi veniam dedisse, quod imparibus inutile, praevalidis superfluum futurum erat; imo multa iam caede cruentis et alteram permisisse ut saevo et sanguinario Estheris ingenio indulgeret, quod praesumtam huiusce pietatem, Deique tutelam in summam invidiam adducit.

(a) V. sup. pag. 545, noll. (a), (b), (c).
(b) Herod. III, 84, 88, Ctes. 20, et Baehr in h. l.

— Et haec quidem contra hebraici textus narrationem; ad additamenta namque quod pertinet, cum ista saepius illi contradicere pugnantiaque exhibere, tum universim declamatorio scribendi genere spuriam sui originem manifesto deprehendere vel aequioribus nonnullis (*a*) visa sunt. Videlicet Mardochaeus unus ex captivis a Nabuchodonosore deportatis, inde a II Assueri anno magnus vir et primarius, conspiratoribus Bagatha (gr. Γαβαθά) et Thara regi delatis, praemium obtinet, Amanis autem invidiam subit; qui contrario abducti pronepos, nonnisi VII Assueri anno aulicus, pro reginae detecta Bagathan et Thares seditione iusto praemio fraudatur, dein ob adorationis honorem Amano denegatum huius indignationem in se convertit (*b*). Rursus Aman Macedo, Persidem Macedonibus subdere molitur, et Estheris eiusque popularium ruinam intendit, qui e diverso huius originem ignorabat, et Amalecites ipse de amplissimo regno in populi ditionem redigendo, qui tunc ne inter Graecos quidem praepollebat, nisi demens haud potuisset cogitare (*c*). Item Assuerus nunc Estheram sereno excipit vultu, nunc torvis adeo oculis intuetur, ut illi prae metu animus concidat; Hebraei nunc die XIII, nunc postridie caedendi; Amanis filii modo cum parente, modo multo post tempore interemti dicuntur; quodque improbabile deridiculum est, Persae quotannis festivam suorum stragis recordationem una cum Iudaeis agere iubentur (*d*). Generatim vero compendiosam textus simplicitatem cum rhetorica additamentorum abundantia conferunt, ubi Mardochaei somnium et laudes, profusae huius et Estheris ad

(*a*) Eichhorn, Einl. in die Apocr. S. 483-504, tum etiam Baumgarten, op. sup. cit. c. II, quem cetero nobiscum consentientem, dolemus sectae (*Protestantium*) praeiudiciis abreptum hic nobis adversari.

(*b*) Cf. XI, 2-4 cum II, 6; XII, 2-3 cum VIII, 2; XII, 1 coll. XI, 2 cum II, 16, 21; XII, 5 cum VI, 3; XII, 6 cum III, 6.

(*c*) Cf. XVI, 10 cum III, 1; XVI, 13-14 cum V, 12.

(*d*) Cf. XV, 10 cum V, 2; XIII, 6 cum III, 13, VIII, 12, IX, 1.

Deum preces, Iehovae eiusque providentiae praeconium, deorum abominatio, dirae in eorumdem cultores, et Mosaicarum caerimoniarum observantia (*a*) cum alto de hisce omnibus in hebraico textu silentio adeo manifeste repugnant, ut huius divina, historica illorum auctoritas omnino concidat necesse sit.

Hisce singulatim occurrentes eadem in propositionis nostrae argumenta convertimus. Fatemur itaque priscam Persarum continentiam atque simplicitatem, a qua tamen paullatim istos deflexisse aeque certum est (*b*); haec scilicet perpetua populorum conditio fuit ut nativa animi corporisque integritate praestantes mollitie depravatos atque corruptos debellarent; at mox horum deliciis capti ac deliniti, quos armis subegerant, eorum dein moribus inservirent: pristinae nihilominus frugalitatis indicium exhibet Assueri mandatum, quo antiquae adhuc disciplinae tenaces *insanis legibus* iam tum inolescentibus *solutos* (*c*) voluit. Praeterea damus infinitum convivarum numerum, verum ut Persa Susianos, ita Romani dein imperatores universos ad se urbis incolas ad convivium interdum adduxerunt (*d*); quid si semel intra septiduum singulatim adhibiti fuerint? immanes impensae, at Assueri thesauri exhausti propterea videntur (*e*); satrapae diutius a suis quique provinciis abfuerunt, at vicarios reliquerant, nec omnes fortassis una simul, sed per vices atque intervalla adventantes epulis protrahendis occasionem praebuerunt: haec ceterum nedum incredibilia, ne singularia quidem dicenda sunt (*f*). Item rex raro se civium aspectui dabat,

(*a*) x, 4 - xii, xiii, 8, seq., xiv.

(*b*) Xenoph. Cyrop. l. viii, c. 8, § 12, coll. cum i, 2, 16, Strabo lib. xv, p. 329 ed. cit., Athen. xii, 55.

(*c*) Cf. sup. pag. 543, not. (*g*).

(*d*) Sueton. in Iul. c. 38, in Tiber. c. 20.

(*e*) Esth. iii, 9, x, 1.

(*f*) Cf. Dan. v, 1 et sup. pag. 502, not. (*f*).

at enim, cum eo quod Persarum rex plerumque aulaco interposito, per quod omnibus invisus convivas ipse videbat, seorsum ab istis coenare solitus erat, nec nisi paucos per eunuchum vocatos ad subsequens symposium adhibebat (*a*); tum etiam non repugnat quod, antiqua morum severitate sensim declinante, liberioribus iam tunc usus Assuerus in publicum convivium prodierit, utque postmodum Mnemon non modo suum, sed et Statirae uxoris adspectum omnibus patere voluit (*b*), sic ipse coena peracta, nimis iam mero incalescens, Vasthi e gynaceei penetralibus arcessiverit ut singularem eius formam convivarum admirationi proponeret, quod hanc aegre tulisse facile intelligimus; tantum enim abest ut uxores sub coenae finem advocarentur, ut imo siquae adfuissent, tunc inde recederent, psaltriis atque pellicibus locum daturae (*c*). Quare Vasthi quidem magnanimitatem suspicimus matronale decus regiumque habitum temulentae multitudini prostituere recusantis, neutiquam poti regis insolentiam aut assentatoriam iudicum facilitatem miramur, qui principis voluntatem legem aestimantes, quo iure Cambysis incestum (*d*), eodem Assueri divortium, nec ingratiis, probare potuerunt; etenim ambitiosis eorum ausis quantum dissoluti regis ignavia proderat, tantum altiores reginae spiritus officere potuissent, cuius potestas quanti facienda tot Persarum regum exempla declarant, qui in rebus publicis ge-

(*a*) Athen. lib. IV, c. 26.

(*b*) Plutarch. Apophtheg. reg. et imp. sub init. cf. Artax. c. 5.

(*c*) Idem Sympos. l. I, qu. 1, de coniug. praec. opp. t. II, p. 138, ed. sup. cit. Ælian. var. hist. l. XII, c. 1, Curt. l. VIII, c. 4. Herodotus quidem V, 18 Persas legatos perhibentes inducit hanc esse patriam eorum consuetudinem, ut post coenam inter potandum pellices et legitimae uxóres adducantur, at praeterquamquod isti libidinis explendae causa mentiti esse videntur; profecto quod de concubinis ac secundi ordinis uxoribus dicitur, in reginam derivare absurdum est, cf. Dan. V, 2-3 cum ib. 10.

(*d*) Herod. III, 31.

rendis uxoris maxime consilio et arbitrio usi sunt (*a*); unde non modo Estheris auctoritas (*b*), sed et Assueri decretum illustratur, quo praeceptum est ut suae vir quisque domus principatum teneret, patrioque sermone loqueretur (*c*): nimirum quum privati pessima cumprimis regis facinora imitentur, eadem illorum ac huius conditio fuisse videtur (deterior futura ubi audax reginae abnuitio impunis fuisset (*d*)), ita ut molles et mulierosi uxoriam et ipsi dominationem paterentur, insuper peregrinarum mulierum mores, consuetudines et linguas usurparent (*e*); revera Aman coniugis praesertim sententiam explorat, in eamque ipse cum consiliariis concedit (*f*). Aman et Mardochaeus non in primarium septemvirum collegium cooptati sunt, sed uterque excelsiori prae reliquis administris solio donatus vicariam regis personam sustinuit (*g*): neutri tamen muneri externa illorum origo vel humilis locus (*h*) impedimento esse potuisset; falso enim praesu-

(*a*) Cf. Neh. II, 6, Herod. III, 1, 134, seq., VII, 4, Xenoph. Anab. l. I, c. I, § 4, Athen. XVIII, 18, Ælian. var. hist. XII, 1, Plut. Artax. c. 14 et l. sup. cit. p. 550, not. (*d*), 559, not. (*c*).

(*b*) Esth. IX, 29-32.

(*c*) Ib. I, 22 לִהְיוֹת כָּל־אִישׁ שֹׂרֵר בְּבֵיתוֹ וּמְדַבֵּר כִּלְשׁוֹן עַמּוֹ ut esset quisque vir princeps in domo sua, et loquens iuxta linguam populi sui; male postrema verba reddit Vulgatus: *et hoc per cunctos populos divulgari;* nec aliter verterat graecus interpres.

(*d*) Ib. 17-18.

(*e*) Cf. III. Reg. XI, 1-8, Neh. XIII, 23-24. Praeposteri huiusce dominatus, aut liberioris saltem quam vulgo credatur orientalium mulierum conditionis vestigia antiqua ac recens historia suppeditat; cf. ex. c. Diod. Sic. lib. I, c. 27, Niebuhr, Reisebeschr. II, S. 317, ff., Abu Talib, Reise Heidelb. 1812, S. 305, ff., aliosque ap. Baumgarten op. cit. p. 22. Cum igitur et illud verisimillimum sit Persarum, regis in primis, uxores sacrorum saltem libertatem retinuisse, quis Estherae succenseat, quod ad regis nuptias vocata oblatam suis opitulandi (IV, 14) occasionem, haud absque proprio eorumque discrimine repudiandam, acceptaverit?

(*f*) Esth. V, 14, VI, 14.

(*g*) Cf. I, 14 cum III, 1 coll. ib. 10, VIII, 2.

(*h*) Huius rei luculentissima apud orientales praesertim specimina

mitur septemviros a septem illis nobilibus Persis descendere qui contra Pseudo-Smerdem coniuraverant: quandoquidem uno eorum (Dario) rege creato, altero (Otane) recedente, quinque tantum remanserant, hocque unum decreverunt ut sibi aditus absque internuncio ad regem pateret (aliud profecto ac regi perpetuo adesse Esth. I, 13-14, aut ministrare ib. 10), nec huic fas esset aliunde quam ex eorum familia ducere uxorem (*a*): quamquam igitur reges inde prognati affinibus praesertim favisse credendum est, cum nulla tamen lege alienos ad publica munia adlegere prohiberentur, haec interdum eorum ullis demandasse pronum esset coniicere, nisi id praeterea de Graecis (*b*), Afris (*c*), cumprimis vero de Hebraeis luculentissime constaret, a quorum religione Oromasdis cultores minus quam ceterae gentes abhorrebant (*d*), quosque proinde Persarum reges cum universim singulari saepe favore ac laude prosecuti sunt, tum singillatim sapientiorum ingenio atque industria usi maximis illos honoribus affecerunt (*e*). Horum autem meritorum recens memoria uxoris Aman huiusque consiliariorum metum (*f*) ob novissima ac plane singularia quibus Mardochaeus cumulatus fuerat, egregie illustrant atque confirmant: singularia dixi, neque tamen absurda; siquidem decora ab Amano pro-

proxima ac superiora suppeditant Gen. XLI, 12-45, Maillet, Description de l'Égypte, lettre XII, p. 177, Dow's Geschichte von Indostan Th. I, S. 117, Niebuhr, Reise Th. I. S. 134. Verum ut Mardochaeus domi nobilis (cf. II, 5 cum IV. Reg. XXIV, 14-16) primum inter regis ianitores (II, 19) adlectus est, ita et Aman per inferiores officiorum gradus ad eorumdem fastigium pervenisse videtur.

(*a*) Herod. III, 83-85.

(*b*) Id. VIII, 85, cf. Brisson. l. cit. p. 194, seq., qui id praesertim sub Xerxe obtinuisse demonstrat.

(*c*) Niebuhr l. cit. p. 147.

(*d*) V. sup. pag. 428, not. (*f*).

(*e*) Cf. Esdr. I, VII, et loca sup. pag. 462, not. (*c*) laudata.

(*f*) VI, 13.

posita, peculiare (*a*) nempe atque regale (*b*) vestimenti genus quo vir a rege honorandus induendus foret, nobilis minister quo stratore in equum levandus, ac per urbis plateas ducendus (*c*), quoque praecone laudandus (*d*), haec sane persica sunt; immodica vero aut incredibilia nequaquam videbuntur reputantibus Aman haec sibi deferenda existimasse, cui summis iam honoribus atque insignibus aucto (*e*), nil nisi regis cultus expetendus erat,

(*a*) Uti nunc Persarum primores, et quotquot rex voluerit honestare, veste, quam *caftan* seu *calat* vocant, ab eodem donantur, ita rex ipse, principes et optimates solemniorem Medicam stolam olim induebant (Herod. I, 135, III, 84, VII, 116, Xenoph. Anab. l. I, c. 2, § 27, coll. Ælian. var. hist. I, 22, fin. Cyrop. l. VIII, c. I, § 40, c. 3, § 1) cuiusmodi honoris exempla in Persepolitanis monumentis adhuc conspiciuntur, v. Heeren, l. cit. p. 214, seq., Mongez, Mém. de l'Institut IV, p. 89, seq.

(*b*) Nimirum purpura cerulea (ἁλιπόρφυρος), seu hyacinthina albis fasciolis distincta cf. VI, 8 cum VIII, 15; v. Briss. op. cit. l. I, p. 35. Stolas hyacinthinas antiquitus maximo in pretio habitas apparet ex Gen. XXVIII, 31. Etiamnum Turcarum imperatores quem singulariter honestare cupiunt propriam vestem induere solent; v. Herbelot, Bibl. Orient. p. 578.

(*c*) Cf. VI, IX cum III. Reg. I, 33, 44, Stat. Theb. l. VIII, p. 369, ed. Curcei, Xenoph. de re equestri VI, 12, Anab. l. IV, c. 4, § 4. Sic medio aevo imperator Fridericus I Alexandro III equum conscensuro stapedem tenuit, et aliquantulum stratoris more per freni lora deduxit, quem S. Pontifex benedicens ad hospitium redire permisit; v. Romualdi Salern. Chronicon apud Muratori Rer. Ital. Script. tom. VII, col. 232, c. De regiorum equorum apud Persas nobilitate v. Herod. VII, 40, Brisson. l. cit. p. 175, 667.

(*d*) De hoc praeconio cf. Gen. XLI, 43; haud absimile et nunc a Persis usurpatur, at in eius infamiam qui capite damnatur; v. Tavernier, op. cit. tom. I, p. 223, seq. 259. Consimilem vero totius scenae descriptionem exhibet Plutarch. Pomp. c. 36; nec aliter etiamnum a Mauritanis honestantur qui, Mosaico aut Christiano cultu repudiato, Muhammedis institutiones amplexantur. V. Pitt's Account of the religion and manners of the Mahometans, p. 198.

(*e*) III, 1-2, 10.

cuius et solium iam affectabat (*a*); talia porro Assuerum eo facilius Mardochaeo concessisse quod in benemerentissimum (*b*), at inferioris ordinis virum collata, dum hunc valde honestabant, minus adhuc de regis praecellentia detrahere videbantur. Ceterum huic tuendae parum aut nihil iam reges studebant, postquam scilicet infimis libidinibus ac peregrinis, Graecorum praesertim, moribus indulserunt; hinc factum est ut multa regibus propria, nimia horum facilitate, privatis interdum communia fierent; quid igitur ni rectae cidaris usum Demarato, salva tamen regis gratia, negatum (*c*), Antalcidae vero ab Artaxerxe concessum (*d*) Assuerus Mardochaeo permiserit? At enim non ipsius sed equino capiti imponenda fuit (*e*). Mardochaeus adorationis honorem Amano recusavit, quippecui eadem mente, eodemque ritu ac regi, cuius personam ille undequaque sustinebat, praestandus fuisset, huic autem divini honores tribuebantur (*f*), quod Hebraeorum lege interdictum (*g*). Hinc apparet haud absurde Aman singulos in Perside dispersos similis pertinaciae socios reosque habuisse, tales proinde qui ut modo insolenti eius vanitati, ita dein seditiosis eiusdem inceptis

(*a*) Hoc aperte ex XVI, 12-14, oblique ex V, 14 colligitur, ubi hebraica verba כִּי אֵין הַצָּר שֹׁוֶה בְּנֵזֶק הַמֶּלֶךְ reddi possunt: *quia non est angustia* (nostra) *regis damno comparabilis.*

(*b*) Maxima apud Persas beneficiorum gratia, cf. Cyrop. I, 2, 7, Herod. VIII, 35; v. sup. pag. 545, not. (*i*).

(*c*) Plutarch. Themist. c. 29, Senec. de beneficiis VI, 31.

(*d*) V. Brisson. loc. cit. p. 217, seq.

(*e*) Nam verba hebraica VI, 8: וַאֲשֶׁר נִתַּן כֶּתֶר מַלְכוּת בְּרֹאשׁוֹ *et cuius capiti regia cidaris imponitur* ad equum manifesto referuntur; sane Chardin. op. cit. tom. III, n.° 29 picturam exhibet in qua equi et regis insidentis caput eodem ornatu distincta sunt.

(*f*) Cf. III, 4 cum XIII, 14. V. sup. pag. 544, not. (*c*), cf. Gen. XLI, 43.

(*g*) Cf. Deuter. VII, 13 cum Matth. IV, 10. Revera aulici non modo corpore inclinato מִשְׁתַּחֲוִים, sed כֹּרְעִים flexo poplite Amanum venerabantur, qui honos in sacris litteris nunquam hominibus exhibetur.

ausi fuissent obsistere; ceterum vanissimo, efferato, praetereaque potentissimo in insontes etiam saeviendi nec animus neque facultas deesse poterat (*a*): porro superstitiosus haud secus ac ferus, veritus immanem adeo stragem nefasta atque ominosa die edere, hanc sorti designandam commisit; neque imprudenter multo antea divulgavit, quandoquidem cum regis decretum esset irrevocabile, nec facile a distractis Hebraeorum viribus frustrandum, dum ultionis cupidus hanc quodammodo praegustabat, ullisque interea sponte in exsilium concedentibus, horum bonis ditescebat, hoc spatio fortassis ad conspirandum usus est, ut occasione caedis Hebraeorum universalis seditio prorumperet; consulte demum Aman poenam a refractario praesumere subverebatur, ne scilicet regi de aulici culpa et supplicio necessarie (*b*) admonendo vera lati contra Hebraeos decreti ratio suboleret; at effrenis, quae mulierum esse solet (*c*), vindictae libido utrumque coniugem occaecavit. Iamvero negamus clamores in quos Mardochaeus gravissimo casu perculsus, pro impotenti orientalium ingenio, naturaliter erupit, aliorum dein assensu ingeminatos inanes fuisse (*d*); haec enim una patebat via ut rex atque regina, in causam tanti strepitus inquirentes, obrepticii decreti naturam edocerentur. - Tyranni cupiditas omni lege aut consuetudine potior (*e*), timor insuper ne dimissae arrogantia totius domus propria esset regem et aulicos permoverunt ut speciem conditioni anteferrent; nec mirum idcirco si Estheris originem rex ignoravit,

(*a*) Recens consimilis facinoris exemplum a barbaro praefecto Turcarum admissi narrat D'Arvieux, Mémoires tom. I, pag. 391, suiv.

(*b*) V, 14.

(*c*) Cf. Herod. IX, 110, 112.

(*d*) Cf. IV, 1-3 cum Herod. VIII, 99, Curt. l. III, c. 2, l. IV, c. 10. Num aliquid praeterea fieri potuerit, aut factum sit quis iure asserat, aut ibit inficias?

(*e*) V. sup. pag. 559, not. (*d*).

cum verisimile sit ne ipsos quidem pellicum exquisitores sive praefectos, venustatis in primis studiosos, aut illam probe tenuisse, aut iugiter recordatos; quodsi unus aut alter ex familiaribus illam rescivit, propter summam horum fidem et taciturnitatem (*a*), non ita facile ceteris innotuit; verum nec ex ieiunio (*b*) coniicere potuerunt, quippe orientalium omniumque ferme populorum more receptum (*c*); neque ex ciborum delectu, nam et dapibus utrique genti communibus mensam instruere potuit, aut varias delectus rationes simulare; nec demum ex Mardochaei necessitudine, utpotequi nunquam gynaecei limina ingressus per intimiorem Estheris ministrum cum ipsa colloquebatur (*d*). Haec vero haud potuisset regis adeundi veniam postulare quin secretum proderet, vel ipsa rei novitate suspicionem moveret; omnem e contrario a se propulsavit, quum rege eiusque vicario semel iterumque ad

(*a*) V. Brisson. loc. cit. p. 51.

(*b*) Esther cum famulis triduum atque trinoctium e cibo potuque abstinuisse hyperbolice dictum est; videlicet per biduum a iusta coena temperavit, cf. Esth. III, 16 coll. V, 1 cum Matth. XI, 18 coll. III, 4.

(*c*) Cf. de Ninivitis Ion. III, 5, de Ægyptiis Herod. II, 40, IV, 186, de Graecis et Romanis Plut. de Isid. et Osir. p. 378, Aristoph. Av. v. 1518, Liv. XXXVI, 37, Suet. Aug. c. 76, de antiquis ac recentibus generatim Spanhem. ad Callim. Cerer. 6, seq., Meiners, Gesch. d. Relig. II, 139, ff.; notissimum omnibus Arabum رمضان *ramadân*.

(*d*) Cf. II, 11 cum IV, 5, seq. Neque ex eo quod Esther II, 21 coniurationis revelatorem Mardochaeum Assuero indicaverit, ullam hic utriusque necessitatem colligere potuit, quum saepe huiusmodi arcana in gynaecei penetralibus agitentur. De reliquo sume genus Estheris, postquam regina creata est, regi et Amano patuisse; id scilicet nullibi negatur, et cum Amanis patientia (V, 10), Estheris querela (VII, 4), eiusque prudentissima agendi ratione (IV, 16, V, 4, 8), regis stupore (VII, 5), necnon decreti verbis (XVI, 13-14) optime consistit: Amanis certe audacia non est supra fidem, utpotequi sicuti regem, ita et reginam fallere praesumebat, eamque gentis suae obliviosam aut negligentem (quae fortunatorum consuetudo) suspicabatur.

coenam vocatis, unius animum magis ac magis allexit, alteri omnem dubitationem exemit. Barbarum porro et lucrosum decretum vago, speciosoque (*a*) rebellionis praetextu contra multam sine nomine (*b*) plebem, non coactam sed dissipatam, a potulento forsan rege nec sui compote (*c*) facile extortam oblitamque fuisse aeque probabile, quam rerum praesentium et proximarum valde incuriosum, superiorum memoriam, ob imperii vastitatem, multam, variam, et labilem taedii abigendi aut somni conciliandi caussa repetere voluisse. Nec latum semel edictum hic revocavit (*d*), sed venia semet tuendi Hebraeis concessa, satis suam in eos voluntatem manifestavit, ut iisdem multisque horum fautoribus animum adderet, praefectis vero metum iniiceret ne contra praesumtam regis

(*a*) Cf. similes Ethnicorum calumnias ap. Tacit. hist. l. v, c. 5, Cicer. pro Flacco c. 28, Iuvenal. Satyr. xiv, vv. 95, seq.

(*b*) Consulto Aman hoc siluit (iii, 8) ac si de pauca vilique plebecula ageretur; hinc regis stupor cum Hebraeos indicatos intellexit vii, 5.

(*c*) Hoc ex iii, 15 confici videtur; ceterum hic vitae subditorum contemptus cum incohibili (v. Heeren, l. cit. p. 75, 443), arbitraria (v. Chardin op. cit. tom. iii, p. 293), crudeli (v. Herod. vii, 39, ix, 111, Plutarch. Artax. c. 16) orientalium, persarum praesertim, tyrannide consentit, apud quos *regnare* proverbialiter tantumdem valet ac violenter et iniuste agere (Chardin. l. cit. p. 289). Similia vero vitae subditorum contemtus ac feritatis exempla antiqua ac recentiora videsis apud Xenoph. Anab. i, 1, 8, Cicer. pro lege Manil. c. 3, pro Flacco c. 25, Valer. Max. l. ix, c 2, Gregorius Barhebraeus, Chronicon dynast. x, p. 219, D'Arvieux l. sup. cit. p. 564, not. (*a*).

(*d*) Pro eo quod Vulgatus xvi, 9 habet: *si diversa iubeamus*, et graecus in edit. Rom. χρώμενοι ταῖς μεταβολαῖς, Codex Alexandrinus contra legit οὐ χρώμενοι ταῖς μεταβολαῖς *nihil immutantes;* vetus autem altera Usserii editio (v. sup. pag. 538), quacum Iosephus, Aquila, Origenes consentiunt: οὐ χρώμενοι ταῖς διαβολαῖς *accusationes haud auscultantes*; item pro lectione Vulgati ib. 17 *eas litteras .... scialis esse irritas*, in graeco legitur: καλῶς οὖν ποιήσετε μὴ προσχρησάμενοι *bene igitur agetis* (easdem) *insuper habentes.*

et apertam novissimi ac praepotentis vicarii mentem agentes utriusque gratiam, sed et officium amitterent (*a*): horum itaque conniventia, fortassis et amicorum auxilio suffultis haud difficile fuit pervicaciorum impetum propulsare (*b*); verum quum una die debellatum non sit, et cladi superstites pugnam postridie essent renovaturi, infensissimas hasce reliquias Hebraeorum, necnon imperii securitati devovisse neque crudelis Estheris petitio, nec immite Assueri consilium fuit, multoque minus hoc in Deum redundat qui profecto nequaquam necessario rem approbat cuius exitum moderatur (*c*). Hinc patet quam vere de Wettius (*d*) affirmaverit ingenii perspicaciam et historiae peritiam satis esse ad singulas difficultates feliciter enodandas; quamque absurde proinde idem ipse subdiderit, universam nihilominus narrationem numquam sinceram historiae imaginem exhibituram; talis siquidem errorum immunitas, uti praescripsimus (*e*), non modo inexplicabilis, sed incredibilis foret. – Nec alia sane atque textus additamentorum conditio apparebit, dummodo varia a diversis, plena a compendiosis probe distinguantur. Revera Mardochaeus non ipse abductus dicitur, sed e numero captivorum, captivus scilicet coloniarius, quod aeque in horum nepotes convenit (*f*); idem vir magnus per prolepsin nun-

(*a*) VIII, 17, IX, 2-5 coll. cum VI, 13, cf. sup. pag. 561, nott. (*e*) (*f*).

(*b*) Hebraicum comma IX, 2: וְאִישׁ לֹא־עָמַד בִּפְנֵיהֶם *nemo restitit eis*, non significat nullum Hebraeorum interemtum, sed generatim horum hostes ubique caesos ac profligatos; Hebraeos vero suae tantum defensionis sollicitos cum textus aperte declarat VIII, 11, IX, 1-2, 16, tum ex iusta praeda liberaliter dimissa colligitur IX, 10, 15, 16; nec sane nullibi legitur irae impotentes contra infantes atque mulieres saeviisse, quod impune facere potuissent v. IX, 11.

(*c*) V. sup. pag. 525, not. (*b*), 526, not. (*a*).

(*d*) Einl. § 198, 3.[e] Aufl.

(*e*) V. sup. pag. 541, 554.

(*f*) Graece ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας *e captivitate* = מִקְּהַל הַגּוֹלָה *de coetu transmigrationis* Esdr. X, 8, cf. IV. Reg. XVII, 23. Nonnulli e contrario

cupatus, conspirationem regi per reginam denunciat: coniuratorum autem nomina utrobique eadem sunt; nisi quod interpretis aut amanuensis vitio paulo aliter descripta; neque propter Vulgati incisum *eodem tempore* quod et indefinitum est, et in graeca versione desideratur, illorum conspiratio II Assueri anno assignanda; ob hanc frustratam Mardochaeus muneris confirmationem et donaria privatim obtinuit, at nulla publica honestamenta, Amanis fortassis invidia qui ab illorum partibus stabat, quique externus ceterorum, Iudaeorum cumprimis aemulationem pertimescebat (*a*); haec prima simultatis initia, quam Mardochaei dein obfirmatio implacabiliorem effecit. Aman neque Amalecites, neque Macedo (*b*), haec

relativum אֲשֶׁר *qui* II, 6 non ad proximum Cis, sed ad Mardochaeum referentes, hunc ipsum inter captivos abductum opinantur, et CXXV annos natum (tot enim a Iechoniae captivitate ad XII Xerxis interfluxerunt) rerum summae praefectum fuisse, cuius longaevitatis exempla (II. Par. XXIV, 15) producunt: difficultatem autem inde petitam, quod Esther eius patruelis (בַּת־דֹּדוֹ *filia patrui eius* II, 7 hebr.) provectiori fuisset aetate ut inter viridiores (II, 15) emineret, ita dissolvunt ut ponant Semei utriusque avum anno XX Iair (ex quo totidem annos nato Mardochaeus ortus sit), LXX vero Abichail genuisse qui et ipse septuagenarius Estherem procreaverit, quo sumto haec vicenaria ad regem adiisset; vel rectius דּוֹד non *patruum* sed בֶּן דּוֹד *patruelem* (cf. Ierem. XXXII, 12), sive בַּת non *filiam* sed *neptem* interpretantur; quod et ipsi probamus, nisi quod nomine Semei et Cis alios quam Saulis cognatos (II. Reg. XVI, 5, I. Reg. IX, 1) intelligimus, Mardochaeum ab antiquiori cognomine (Esdr. II, 2, Neh. VII, 7) distinguimus, neque contractam putamus, sed continuam eiusdem genealogiam tantum ad proavum usque productam, quia huius captivitas memorabilis erat eventus alteri definiendo aptissimus; siquidem inde ad XII Xerxis annum tres dumtaxat generationes interiectae sunt.

(*a*) V. sup. pag. 563, not. (*a*), 561, nott. (*e*) (*f*). Ceterum XI, 5 ea fortassis munera praeoccupantur, quae illi postmodum VI, 10, seq. data sunt.

(*b*) Haud sane repugnaret aliquem ex filiis Agag regis Amalecitarum patris neci superstitem (I. Reg. XV, 8, 33) ad Macedones trans-

namque vaga nomina sunt, vir scilicet externus regnum affectans, et universale Iudaeis exitium intentans, illud exteris prodendi, hoc in reginam ipsam inferendi iure potuit insimulari (*a*). Mulieris inopinato accedentis audacia permotus rex primo severus illam aspexit, dein reginam agnoscens trepidam salutis atque pallentem ipsoque languore gratiorem, hanc blando sermone vultuque exceptam recreavit. XIV pro XIII die graeci interpretis aut librarii erratum est haud sibi constantis (*b*); haec porro, fausta per sortem declarata, Amanis decreto cum edendo tum exse-

iisse, ex quo genere Aman iste descenderet; neque ignobiles tunc Macedones, iam sub Dario potentes Herod. VI, 44-45: at הָאֲגָגִי quod Vulgatus vertit *de stirpe*, vel *progenie* Agag (III, 1, 10, IX, 24) cum gentilicium, tum officiale nomen esse potest; consonat profecto persicum آغا *aga*, *dominus*, nec abludit graecus qui (III, 1, cf. Vulg. XII, 6, gr. I) reddit Βουγαῖος *Bagoas* nempe aut *Vagoas* (Iudith. XII, 11) communis eunuchorum et ministrorum Babylonensium appellatio (Plin. hist. nat. l. XIII, c. 4), vel idem ac *thraso* (Iliad. XIII, 824, Odys. XVIII, 78). Ceterum, sicuti post Alexandrum M., nimirum graeci interpretis aetate, non modo Graeci in universum sed et Syrii Ægyptiique reges et principes exercitus passim Macedones denominabantur (cf. I. Mach. VIII, 18, II. Mach. IV, 15, VIII, 20), ita Amalecites in infensissimum quemvis Hebraeorum hostem optime cadit (cf. III, 10, IX, 24 cum Exod. XVII, 14, Num. XXIV, 20, Deut. XXV, 17, I. Reg. XV, 2-3), quo latiori sensu Hebraei interdum Sodomitae, Gomorrhaei, Amorrhaei, Chananaei (Is. I, 10, Ezech. XVI, 3, Dan. XIII, 56), moribus nempe et ingenio, dicti sunt. Iosephus Flavius (l. sup. cit.) in Assueri decreto, et auctor chaldaici additamenti (ap. De-Rossi op. cit. p. 143) in oratione Mardochaei Aman Amalecitam non Macedonem vocant. Utcumque, haec postrema denominatio graeco tantum interpreti propria est, qui tunc etiam illam usurpat cum hebraicum textum interpretatur IX, 24.

(*a*) De reliquo vera ne an falsa criminatio non quaerimus: etenim rerum novarum dubitatio atque suspicio homini politico veritatis vicem nullo non tempore praestitit, neque nos probabiles insimulationis causas, sed historiae veritatem propugnamus.

(*b*) Cf. VIII, 12. Vel caedem designat XIII die inceptam, XIV absolutam.

quendo designanda fuit, nec alia propterea Hebraeorum defensioni destinanda. Quotquot ex Amanis familiaribus prehendi potuerunt una cum ipso interfecti sunt (id enim Persarum, omniumque ferme veterum populorum consuetudine receptum (*a*), ut in gravioribus criminibus patremfamilias cum integra domo una ruina involveret); at ex plurima prole (*b*) decem evaserant qui Iudaeorum caedem inhiantes et mortem oppetentes, ut seditionis auctores ad aliorum terriculamentum, de Persarum more (*c*), corvorum pastus, in crucem exanimes suffixi sunt. Persarum ac Iudaeorum festum tempore consilioque distincta sunt (*d*); illis enim pridie (*e*) celebrandum fuit, nec modo pro concivium Iudaeorum, sed et pro regis atque reginae incolumitate, deletisque turbis ac seditiosis exstinctis (*f*) pro restituta totius imperii pace atque tranquillitate lactandum. Hebraici textus inopia in compendio maxime decet; at additamentorum abundantia neutiquam

(*a*) Cf. Herod. III, 118-119, Iustin. x, 2, Amm. Marcell. XXIII, c. 6, Curtius VI, 11; Iosue VII, 24-25.

(*b*) V, 11. Hoc Persis honoris et muneris causa (cf. Herod. I, 136, Strab. l. XV, et praescriptiones hac super re in Vendídad-Fargard V, XIX), quare Aman inter cetera de hoc etiam gloriatur, quod licet uxori et amicis notissimum, haud minus propterea erat iactitandum; nec omnes Amanis liberi ex una Zares suscepti dicendi sunt.

(*c*) Herod. III, 125.

(*d*) Utraque tamen utriusque gentis moribus congruunt; nam consuevisse Persas haud secus atque Iudaeos talium eventuum memoriam singulari festivitate celebrare probat Μαγοφόνια, Magorum scilicet occisio quam quot annis solemniter recolebant (Herod. III, 79); eorum etiam mos fuisse videtur, dum convivia agitarent, ciborum partes (מָנוֹת) ad invicem mittere, cf. Esth. IX, 19, 22, Neh. VIII, 10, 12 cum Cyrop. VIII, 2, § 1-5, Plutarch. in Agesil. et Brisson. loc. cit. p. 155, seq.

(*e*) Cf. XVI, 20-22 cum IX, 21.

(*f*) Qui et ipsi externi fuisse videntur, Cuthaei scilicet, aut Amalecitae, aliive Hebraeorum hostes qui olim de horum vicinia ad Persas demigraverint.

declamatoria censenda est; etenim quae uberius hîc edicuntur illis pressioribus congruunt ac connectuntur, imo eorum pleraque eo ipso quod summatim illic attinguntur, plenius alibi descripta fuisse conficitur. Profecto Mardochaei somnium eiusdem obfirmatam divinae opis fiduciam (*a*) egregie declarat; haec autem, necnon generosum Estheris consilium, ieiunium et deprecatio Iudaeis omnibus indicta (*b*) cum longioribus utriusque precibus, diligenti Mosaicarum legum observantia, superstitionis eorumque cultorum abominatione apte consistunt; neque honesta quae de Iehova, Mardochaeo eiusque popularibus praedicantur Persarum placitis (*c*), proindeque Mardochaei decretum conscribentis modestiae adversantur. Quum igitur Hebraeorum salus in utraque narratione Deo per ieiunium ac preces exorato attribuatur, manifestum est Dei providentiam eiusque legis studium utrobique elucere, nisi quod unius auctor talia in annexis monumentis fusius persecutus, in gestorum textu (ab epistolari Mardochaei narratiuncula (*d*) fortassis descripto) leviter obiterque commemoravit, proindeque, monumentis praetermissis, in hebraico compendio aeque strictim perscripta sunt. Quare absurdi perinde qui hebraicum scriptorem propter divini nomi-

(*a*) IV, 14.

(*b*) Ib. 6.

(*c*) Cf. XVI, 13 cum XIII, 3, 6, I. Mach. XI, 32, Brisson. l. cit. p. 272. Nimirum Persarum reges benemerentes quosque summa benevolentia complectebantur, v. sup. pag. 545, not. (*i*), 563, not. (*b*); Hebraicam autem gentem ac religionem summis saepe muneribus ac laudibus cumularunt, propriisque uti legibus concesserunt; cf. XVI, 15-16, 19-20 cum Esdr. I, VII, Dan. II, 46, 48-49, III, 99, IV, 34, VI, 26, XIV, 42, et locis sup. pag. 462, not. (*c*) laudatis, quibus Mardochaei contumaciae excusatio (III, 2-4) iusta probatur.

(*d*) IX, 20. Nimirum in epistola a regis vicario publici documenti instar ad suos contribules missa, peculiaris hebraicorum dogmatum rituumque conditio vel generaliter erat attingenda, vel omnino praetereunda.

nis omissionem impietatis accusant, quique additamentorum auctorem ob pleniorem rerum sacrarum descriptionem superstitionis criminantur; quasi nempe religio (hoc *Deistis* atque *Rationalistis* arridet) mero ac nudo Dei nomine contineatur (*a*): nos vero uti Dei nomen, nullis litteris, in universa rerum natura atque factorum harmonia manifestissime legimus, ita eiusdem mentem ac voluntatem, nostramque fidem atque amorem ex divinorum praescriptorum notitia eruendam, eorumque observantia manifestandam esse censemus. - Quae cum ita sint, tantum abest ut in Estheris historia nefanda ultionis, superbiae, impietatisque argumenta cum de Wettio (*b*) deprehendamus, ut imo locupletissimum christianae eruditionis documentum illam existimemus: utpotequae non modo splendida pietatis ac fidei, constantiae ac magnanimitatis, patriae divinaeque caritatis specimina privatis publicisque viris imitanda proponit; sed integrae gentis exemplo, propter irrepugnabilem unius virtutem ad extremum adductae, indeque Deo vindice ereptae, cum luculenter nos docet omnia, ubi opus, virtutis ergo periclitanda, quippe una mortalium salus, unum societatis praesidium ac firmamentum; tum etiam Ecclesiae conditionem, iampridem variis Iosephi casibus adumbratam, iterum in melius mutatis, Estheris gratia, Mardochaei, Hebraeorum sed et Persarum sortibus, graphice praesignificavit; videlicet esse in fatis, ut haec inter discrimina rerum fortior exsistat, utque non solum inimicorum impetum sustineat atque retundat, sed aliam iis induat mentem, eosque ad sui amorem atque admirationem pertrahens, singulis beatitatem hinc inchoatam, alibi perennandam, largiatur.

(*a*) Frequens huiusce nominis in additamentis iteratio (si preces excipias in quibus peropportuna est), minus auctori quam interpreti attribuenda videtur; hic enim tunc etiam illud usurpat, cum in hebraico textu desideratur; cf. II, 20, IV, 8, VI, 1, 13.

(*b*) Loc. sup. cit.

CAPUT XII.

DE DUOBUS MACHABAEORUM LIBRIS

ARTICULUS UNICUS

Argumentum, nomen, aetas, auctor et fides.

CL. Perpetuam religiosam atque politicam hebraicae gentis historiam, speciali Tobiae, Iudith, Estherisque gestorum narratione interruptam, duo Machabaeorum libri intervallo prosequentes Esdrae ac Nehemiae quadantenus continuantur, aptumque in Evangelia transitum parant. Quemadmodum scilicet igneae faces, vitaque ipsa iamiam exstinguendae, haec recreari (sapientibus non tam instantis mortis indicium, quam παλιγγενεσίας proximae regenerationis altiorisque vitae argumentum), illae vividiorem lucem emittere videntur; ita Hebraei qui intestina discordia diu multumque vexati, facilis propterea finitimorum praeda, gravissimum primo Assyriorum et Chaldaeorum iugum aegro animo perpessi, aequissimo dein leviorem Persarum, Ægyptiorum, Syrorum dominatum tolerantes, omnem

pristinae libertatis sensum ac desiderium exuisse videbantur, nefariis Antiochi ausis indignati, sopitam at inexstinctam virtutem illico exserentes, bello tricennali (*a*) heroica Iudicum tempora atque facinora renovarunt; seque in religiosam atque civilem libertatem asseruentes ostenderunt, ubi honestatis pietatisque semina vigeant, senescentes iam populos repubescere posse, vitamque agere immortalem: quodsi generosi paucorum conatus (infelix Machabaeorum conditio!), multorum, domesticorum cumprimis, iniquitate elidantur; hoc ipsum piorum impiorumque discrimen atque dissidium sincerae virtutis ascensum atque efficaciam magis magisque provehere; neque de civitatis iactura dolendum, quoties in eius vicem humanitas ipsa succedit: ut Iudaeorum exemplo manifestum est qui, inde a Machabaeorum aetate, in duas contrarias partes distracti, dum alii Ethnicorum moribus plus nimio faventes, alii antiquae opinionis tenaciores ne latum quidem unguem a veteri consuetudine declinantes, neutri propterea temporibus consulte servientes, utrique rempublicam perdiderunt; paucissimi horum medii *angulari lapidi* adhaerentes *qui facit utraque unum* (*b*), Synagogae constantiam cum Ecclesiae libertate mirifice copularunt.

CLI. Suprema itaque bellicae, religiosaeque virtutis egregia specimina atque novissimum hebraicae

(*a*) A Mathathiae incepto an. 166 a. Chr. ad Iohannis Hyrcani pontificatum an. 135 a. Chr.

(*b*) Ephes. II, 20, 14.

reipublicae florem describunt duo Machabaeorum libri, nomen sortiti ab eorum gestis qui id temporis contra Syrorum tyrannidem, pro fide avita, patriaeque libertate propugnarunt; quod enim initio proprium Iudae Mathathiae filio cognomen (*a*) erat,

(*a*) Huius originem ulli (Grotius in h. l., Wolf, Bibl. hebr. II, 202, aliique) deducunt a litteris מ כ ב י M C B I initialibus verborum מִי־כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה (*quis similis tui in fortibus Domine* Ex. xv, 11), vel מַתִּתְיָה כֹּהֵן בֶּן־יוֹחָנָן (*Mathathias sacerdos filius Iohanan*, ita Delitzch, Gesch. d. iud. Poës. Leipz. 1836, S. 28), vel מִלְחָמַת כֹּחַ בִּיהוּדָה (*belli vis in Iuda*, Serarius op. cit. p. 366), quas Iudas ceu militaris tessera una simul et omen victoriae vexillis intexuerit, Romanorum instar qui litteris S. P. Q. R. *Senatum PopulumQue Romanum* significabant: at cum eo quod compendiarias huiusmodi notas iamtum * apud Hebraeos invaluisse improbabile est, prior aeque in alium quemvis ac Iudam, altera nonnisi in Mathathiam convenit, tertia grammatice vitiosa est, omnes vero respuit graecus interpres qui loco secundae litterae non כ sed ק legisse videtur, secus pro Μακκαβαῖος, Μαχαβαῖος descripsisset; qua ratione et *cabbalistae* refelluntur qui litteras illas censent esse notam numeralem (מ' 40, כ' 20, ב' 2, י' 10, = 72) LXXII Dei nomina designantem, quique reddunt *exstinctorem* a כָּבָה *exstinguo*, aut *per me plaga* מַכֶּה בִּי, aut *percutiens in Domino* מַכֶּה בְּיָהּ. Vera igitur nominis lectio et interpretatio videtur esse מַקָּבִי *malleator* ** (a מַקָּבָה *malleus* quod a נָקַב *perforare*), quasi hostium *protritor* (consonant tum affinis Arabum vox نقب *fodit*, et *dux electus est*, tum Isidorus Pelusiota Orig. III, 4, et auctor etymologici inediti qui nominis originem persicam putant, et κοίρανον *dominum* interpretantur), quod cognomentum Iudas ob bellicam fortitudinem promeruerit, eoque I. Mach. II, 4 per prolepsin insignitus sit; cf. Zach. II, 3-4 (Vulg. I, 20-21), ubi Iudaeorum ultores fabri חָרָשִׁים vocantur.

* Rabbinis dein usitatas novimus quibus ex. c. רלבג, רשי, רמבם idem est ac *Rabbi Levi Ben Gersom*, *Rabbi Salomon Iarchi*, *Rabbi Mose Ben Maimon*, v. Buxtorf. de abbrev. hebr. p. 2, seq.

** Frustra nonnulli Carolum cognomento *Martellum* hîc allegant, hoc enim *Martini* diminutivum videtur.

huius dein familiae (quae et Asamonaeorum (*a*) dicta est), fratrum, nepotum, nec modo ducum, sed et commilitonum totiusque aetatis communis denominatio fuit, imo et qui pridem horum constantiam ac fortitudinem sub Ptolemaeo Philopatore praeoccupaverant (*b*), aut posterius sunt imitati (*c*). – Horum librorum unum, Hebraeorum fata ab Antiocho Epiphane ad Simonis obitum continentem, aramaico sermone scriptum fuisse, praeter Origenis et Hieronymi testimonia (*d*), frequentes graeci exem-

(*a*) Ἀσαμωναῖοι (Ioseph. Antiq. l. XIV, c. 16, § 14, l. XX, c. 8, § 11, c. 10, § 3), חַשְׁמוֹנָאִים חַשְׁמוֹנִים (Talmud, Baba batra fol. 3. *a*, Ios. Gorion. op. cit. p. 66, 159, 443, R. Azarias, Meor Enaim fol. 89. *a*), ita dicti a חַשְׁמוֹן Chasmon Mathathiae proavo (Ios. Antiq. l. XI, c. 6, § 1), quod cognomen idem videtur ac חַשְׁמַן = ܚܫܝܡ *magnas*, *optimas*. Iidem et Assidaei Ἀσιδαῖοι חֲסִידִים *pii* nempe cum aliis pluribus audierunt II. Mach. XIV, 6 coll. I. Mach. II, 42, VII, 13. Cf. Eichhorn, Einl. in die Apocr. S. 217, Bertholdt, Einl. III, S. 1043-45.

(*b*) Scaliger. in animadv. ad Chron. Euseb. p. 143, Prideaux, Histoire des Juifs, tom. IV, p. 214.

(*c*) Euseb. hist. eccl. l. III, c. 10.

(*d*) Origenes ap. Euseb. hist. eccl. l. VI, c. 25; ἔξω δὲ τούτων ἐστὶ τὰ Μακκαβαϊκὰ, ἅπερ ἐπιγέγραπται Σαρβὴθ Σαρβανὲ ἔλ; « extra hos (scilicet extra Iudaeorum canonem) sunt Maccabaica quae inscribuntur *Sarbeth Sarbane el* »: nempe vel שַׁרְבַת שַׂר בְּנֵי אֵל (syr. ܫܪܒܬܐ) *genealogia*, seu *historia principis filiorum Dei*, vel שַׂר בֵּית שַׂר בְּנֵי אֵל *princeps templi* (h. e. Pontifex maximus), *princeps filiorum Dei* (h. e. dux populi iudaici); vel שַׁרְבִיט סַרְבָנֵי אֵל *sceptrum rebellium Dei* (h. e. Ethnicorum); Hieronymus in Prologo Galeato : *primum Machabaeorum librum hebraicum* (h. e. syro-chaldaicum) *reperi*. Perperam porro Hengstenberg (Beitraege I, S. 292, f.) ponit utrumque non de primigenio hebraico, sed de graeco exemplari pessime chaldaice refecto locutum fuisse, taleque putat a Bartoloccio (Bibl. M. Rabb. I, 382, seq.) editum ; at enim, hoc primum dato, neutiquam conficitur graecum ipsum exemplar archetypum fuisse, neque ex hebraico translatum;

plaris aramaeismi (*a*), ullaque peccata cetero incogi-

absonum dein fabulosam adeo atque compendiariam narrationem (qualis chaldaica, unde hebraicum Bartoloccii exemplar translatum, cf. Kennicotti Dissert. gen. ed. Bruns. p. 347, diss. II, ed. Teller, p. 520, seq.), ne historiae quidem nomine dignam, atque a Machabaeorum libris plurimum vel initio abludentem, pro horum alterutro a viris hebraice doctissimis haberi potuisse.

(*a*) Narratio ex. c. a dictione καὶ ἐγένετο = וַיְהִי *et fuit*, apodosis a particula καί = ו saepe inchoata (I, 1, V, 1, IX, 1, 29); usus infinitivi, ut praemisso ל assolent Hebraei, ad finem, causam, conclusionem designandam (II, 22, 29, 34, III, 10, 15, VIII, 18); adverbium αὖθις *rursus* verbo προστίθημι = יָסַף *addo* circumscriptum (IX, 1); locutiones: γίγνεσθαι εἰς φόρον = הָיָה לְמַס fieri *in tributum*, h. e. tributarii (I, 4, Vulg. 5); ἀνὴρ τῷ πλησίον αὐτοῦ = אִישׁ אֶל־רֵעֵהוּ *vir ad proximum suum*, h. e. alter ad alterum (II, 40); δυνάμενος δυνήσεται πρὸς ἡμᾶς = יָכֹל יוּכַל לָנוּ *potens poterit* adversus nos, h. e. praevalebit (V, 40); vocum potestas: ἐπράθησαν τοῦ ποιῆσαι τὸ πονηρόν = הִתְמַכְּרוּ לַעֲשׂוֹת הָרַע *venditi sunt ut facerent malum*, h. e. sceleribus sese manciparunt (I, 15, Vulg. 16); ἑτοιμάζειν = כּוּן *aptare*, *disponere*, h. e. confirmare (ib. 16, Vulg. 17); ὀργή = כַּעַס *ira*, h. e. moeror (ib. 64, Vulg. 67); οἶκος τῆς βασιλείας = בֵּית הַמַּמְלָכָה *domus regni*, h. e. regi subditi (II, 19); ἔλεος = חֶסֶד *misericordia*, h. e. pietas (ib. 57); υἱοὶ τῆς ἄκρας = בְּנֵי מְצוּדָה *filii arcis*, h. e. praesidiarii (IV, 2); τὰς θυγατέρας αὐτῆς = בְּנֹתֶיהָ *filias eius*, h. e. suburbana (V, 8); οἱ λόγοι, τὰ ῥήματα = הַדְּבָרִים *sermones*, *verba*, h. e. res gestae (V, 37, VII, 33). Haec autem fideliorem nimis interpretem, minime scriptorem graecitatis imperitum deprehendere inde colligimus, quod hic non raro ab iis abstinens pure integreque loquitur, imo *aramaeismos* in *graecismos* scite convertit (talis constructio relativi cum casu praecedenti X, 12, XI, 31, 38, XII, 19 et XI, 22, et καὶ ἀκούσας ὠργίσθη· ὡς δὲ ἤκουσε κτλ. = וַיִּחַר לוֹ בְשָׁמְעוֹ וגו); quod si eorum ullis germani apud LXX inveniuntur, hoc sive casu contigerit, sive consulto quaesitum sit, potius in interpretem, quam in auctorem graece componentem cadit.

tabilia (*a*) verisimiliter demonstrant; quae quidem cum ex nimia interpretis religione proficiscantur, tantum abest ut huius auctoritatem imminuant, ut imo in causa sint cur, archetypo deperdito, in graecae versionis sinceritate ac fide securius acquiescamus (*b*). Porro ex aramaico illius sermone auctorem Palaestinensem fuisse colligimus, quod singularis locorum peritia, accurataque descriptio confirmat (*c*); nec multo quam factorum aetas inferiorem esse inde probabiliter argumentamur, quod nulla recentioris indicia deprehendantur; neque

(*a*) Scilicet ἐπί *super*, loco διά *propter* (1, 28 gr.), ex אֶל־ vel לְ, βιβλία *libri*, pro ἐπιστολή *epistola* (ib. 44, Vulg. legit *verbum*), ex סְפָרִם (cf. Is. XXXVII, 14, IV. Reg. XIX, 14), οἱ ἀπολλύμενοι Vulg. *pereuntes* (III, 9), pro διεσπαρμένοι *dispersi*, ex הָאֹבְדִים, πληροῦντος *adimplente*, pro λαλοῦντος *loquente* (uti IV, 19 Vulgatus cum nonnullis graecis codicibus legit), ex מְמַלֵּל in מְמַלֵּא immutato, λέγων *dicens*, pro λέγοντα *dicentem* (ita recte Vulg. XIII, 17), ex לֵאמֹר descendere videntur.

(*b*) Haec in XXXII quotquot supersunt graecae versionis codicibus satis integre servata est; mature autem editam ex Iosepho colligimus qui eadem * usus est (Antiq. libb. XII-XIII); nec sane verisimile diutius ab Hellenistis desiderari, vel uti LXX versionis partem universim constanterque haberi potuisse (cf. sup. pag. 468), nisi primo saltem a. C. saeculo fuisset evulgata. Hanc proxime sequitur, demtisque variis nonnullis lectionibus graecis latinisque librariis facile adscribendis, satis fideliter exprimit Itala semel iterumque emendata (v. Sabatier, op. cit. t. II, pag. 1013-14), atque a Hieronymo in Vulgatae editionem inserta; nec aliunde ceterae versiones coptica nempe, aethiopica, armeniaca, syriaca (ita Eichhorn op. cit. p. 24 et Trendelenburg in illius Repert. Th. XV, S. 58 ff. contra Michaëlis orient. Bibl. Th. XII, S. 116, ff.), georgica, arabica, slava repetendae sunt.

(*c*) Cf. capp. IV, V, VIII, XI, XII.

* Perperam inde Hengstenberg l. cit. concludit hebraicum archetypum neque tunc, nec unquam exstitisse; Iosephus enim et ipsum Pentateuchum iuxta LXX allegare consuevit.

tamen contemporalem facimus qualem Simonem puta (*a*), vel Iohannem Hyrcanum (*b*), aut alterutrius aequalem (*c*), uti nonnullis visum est; siquidem nec prior ille successorem, nec alter semet laudavisset (*d*), nec utrius contemporaneus vel mausolei ab uno excitati diuturnitatem notare (*e*), vel ad alterius vitam adhuc agentis integra (*f*)

(*a*) V. Dupin, Dissert. prélim. liv. I, ch. III, § XXIII.

(*b*) Cornelius a Lapide, comm. in libb. Machab. argument., Huetius, Demonstr. Evang. Prop. IV, p. 526 ed. Lips. MDCIII.

(*c*) V. Dupin, l. cit. Michaëlis Annotatt. in I. Mach. XV, 1, XVI, 23, Hengstenberg, op. cit. p. 293, Bertheau, de secundo libro Machabaeorum dissertatio etc. Gott. 1839, p. 27, Welte, Einl. in die deuter. Bücher d. A. T. S. 17; qui librum Synagogae Magnae attribuerunt, hoc ipso satis se nescire, cui vere illum adscriberent, declararunt.

(*d*) I. Mach. XVI, 16-23. Alioquin talis operis compositio Hyrcano pontifici, sed et prophetae (ex Iosephi sententia, v. sup. pag. 471, not. (*a*)) otium insuper atque scribendi opportunitatem nacto egregie congrueret.

(*e*) Ib. XIII, 30. Perperam tamen multo posteriorem fuisse inde conficeres (cf. Deuter. III, 14, X, 5, Matth. XXVII, 8, XXVIII, 15) maxime cum procellosa tempora frequentem ruinam monumentis intentarent; nec aptius idipsum ex IX, 22 colligeres, quasi nempe post paucum tempus Iudae gesta scripta fuisse, auctor nequiverit affirmare; compendiosam dein narrationem, quod tertium est Eichhornii (op. cit. p. 224-25) obiectum, aliis rationibus praeterquam monumentorum inopiae recentique propterea scriptoris aetati, posse adiudicari librorum Regum et Paralipomenôn exempla declarant.

(*f*) Ita scilicet cum Eichhornio (l. cit.) atque Bertholdtio (op. cit. p. 1048, seq.), contraque Hengstenbergii, Bertheavii, Weltiique (locc. sup. citt.) sententiam opinamur: quod enim verba καὶ τὰ λοιπά = וְיֶתֶר *et cetera* (XVI, 23) de narratione iam absoluta intelligenda sint ex germana citandi formula, passim in libris Regum ac Paralipomenôn frequentata, conficimus (cf. sup. pag. 297); quare ut supervacue *terminum ad quem* pressius auctor definiisset, ita opportune *terminum a quo* significavit, nec enim ante pontificatum gesta in annales sacerdotii relata sunt.

gesta in annales relata allegare potuisset: verum tametsi ad scriptoris personam atque aetatem proximius definiendam certa argumenta desunt, probabile tamen videtur hunc librum a Iohannis Hyrcani suppari, exeunte II a. Chr. saeculo, editum fuisse (*a*). – Alter Machabaeorum liber ex duabus distinctisque partibus coalescit, nimirum ex duabus epistolis ad Iudaeos Alexandrinos a Palaestinensibus missis (*b*), et ex Cyrenaei Iasonis operis breviario (*c*) hebraicae historiae particulam, ab Antiocho

(*a*) Argumentum ab Ackermanno (Introd. in lib. S. V. F. § 248) depromtum ex prima tenuique rerum Romanarum notitia (I. Mach. VIII) hac parte claudicat, quod auctor ibidem non ex sua, sed sub Iudae loquitur persona.

(*b*) II. Mach. I, 1-9; 10-II, 19.

(*c*) III-XV, 37; reliqua, nimirum II, 20-33, XV, 38-40, breviatoris propria sunt. At Bertholdtius (op. cit. p. 1064-70) cui partim praeiverant Grotius (Annot. ad II. Machab. XII, 2, seq.), Huetius (op. cit. p. 528), Calmet (praef. in libb. can. Machab.), nonnisi capita IV-XII ex Iasonis opera, III ex alio quodam documento, XII-XV vero ex corruptae traditionis rivulis censet esse depromta, cum proptereaquod ea hîc exponuntur, ullaque fabulosa, quae sub Seleuco Nicanore (III), et Demetrio Sotere (XIV-XV) gesta sunt, Iason autem iuxta prologum (II, 21) ea tantum persecutus esse videtur quae, intermediis Antiocho eiusque successore Eupatore regnantibus, evenerunt; tum etiam quia Timotheus iampridem enectus (X, 37) ut vivus adhuc laudatur (XII, 2, seq.), ac subinde narratio ad temporis rationem accurate digesta est, nullisque, ut antea, piis orationibus aut annotationibus intexta. Sed enim generalis historiae ambitus (II, 20) per potiora, minime per singula (21-23) definitur; Timotheus vero Gazarae in Iudaea (v. Raumer, Palaestina n. 183) peremtus alius ab homonymo Galaaditidis praefecto; fac tamen eumdem fuisse, historicus praepostere, ut saepe antiquiores, tempore priora posteriori loco enarrasset: nec secum ipsis constant quae subiiciuntur; primo enim cum nulla cap. XII temporis notatio, nullaque adhuc perinde ac in cap. XIII Demetrii mentio occurrat, utraque ex diverso iterum fonte essent repetenda: deinde vero, neque

Epiphane ad Demetrium Soterem, plenius quam primus Machabaeorum liber, retractante (*a*). Duarum epistolarum idem propositum, nempe Iudaeos Ægyptios, qui anno CXLIX a. Chr. novum sibi templum Leontopoli in nomo Heliopolitano exaedificaverant, ad sacrorum communionem, publicamque generis ac religionis societatem revocare; prior itaque generalis fratres omnes Ægyptios ac Cyrenaicos ad encaeniorum festivitatem (*b*) cum Palaestinensibus concelebrandam hortatur; altera Senatus

superius (cf. XI, 21, 33, 38) accurata temporis ratio, neque inferius preces vel annotationes successus ex divinae providentiae numine vel postulantes, vel repetentes (cf. XII, 28, 36-37, 41-42, XIII, 7-8, 10-17, XIV, 34-36, XV, 7-8, 22-24, 32), pro re et loco, desiderantur: imo unus totius narrationis tenor, eadem dicendi forma, peculiaris et constans personarum denominatio *, et cuiusque indolis (Epiphanis puta, Iudae, Nicanoris) delineatio, idem scribentis propositum, religionis ac prodigiorum (III, 24-40, V, 2-4, X, 29-30, XI, 8, XII, 22, XV, 12-16) studium, quae ex incertis fabulosisque rumoribus nequaquam hausta fuisse suo loco ostendemus: quae demum c. III praescripta sunt, adeo insequentium intelligentiae conducunt, ut incredibile sit a Iasone praetermissa fuisse. Ceterum cum breviator unum compendii sui fontem candide aperiat, curioseque describat, frustra profecto sunt qui alium praeterea comminiscuntur.

(*a*) Hoc per 14 annorum spatium decurrit, nimirum ab anno 176 ad 161 a. Chr., cf. I. Mach. I-VII.

(*b*) Haec, alibi ὁ καθαρισμός purificatio (II. Mach. I, 18, X, 5), αἱ ἡμέραι ἐγκαινισμοῦ dies dedicationis (I. Mach. IV, 59), τὰ ἐγκαίνια encaenia (Ioh. X, 22), τὰ φῶτα lumina (Ioseph. Antiq. l. XI, c. VII, § 7), Hebraeis חֲנֻכָּה dedicatio vocari solita, II. Mach. I, 9 dicitur αἱ ἡμέραι τῆς σκηνοπηγίας dies scenopegiae seu tabernaculorum, quia horum instar celebrabatur, cf. X, 5-8.

* Sic Iudas plerumque simpliciter *Machabaeus* (II. Mach. VIII, 5, 16, X, 1, 16, 19, 21, 25, 30, 33, XI, 15, XII, 19, 20, XIII, 24, XIV, 27, 30, XV, 7, 21), raro *Iudas* (XII, 23, 26, 38, 39, 42, XIII, 10, XIV, 1, 13, 17, 18, 22, 24, 26, 33, XV, 1, 6, 17, 26), rarissime *Iudas Machabaeus* (V. 27, VIII, 1, XIV, 6) audit.

Iudaeque nomine Aristobulo de pontificio genere, ac Ptolemaei regis magistro specialiter inscripta primam illam declarat (*a*), iisque argumentis confirmat quae pro iusta templi Solymorum praestantia facere videbantur (*b*): ambae propterea coniunctim anno a. Chr. CXXIII (*c*) fortassis missae sunt, graecoque sermone haud secus ac continens historiae corpus conscriptae; nam cum eo quod illae ab Hellenistis, ad quos datae sunt, haud satis cetero intellectae fuissent (*d*), et verisimile est breviatorem eamdem linguam atque historicum, graecam nempe Cyrenaeorum propriam adhibuisse (*e*), quam insuper toto libro communem generatim Hieronymus testatur (*f*), talis est sermonis sanitas atque proprietas, quae neutiquam interpreti sed auctori conveniat; tum nulla certa versionis indicia, nec alii hebraismi de-

(*a*) De Wettius (Einl. § 303. *a.*) ordine postremam, tempore priorem arbitratur, eam scilicet cuius I, 7 mentio est; alii ex duabus unam efficiunt (v. Serar. op. cit. p. 512); utrique satis temere.

(*b*) Hoc II, 20, XIV, 13, 31 *magnum* et *maximum* vocatur, non alterius minoris comparatione, sed quippe unicum et incomparabile cf. III, 12, V, 15.

(*c*) Priorem nimirum aliquanto post an. 169 aerae Seleucidarum = 142 a. Chr. (v. inf. pag. 606, not. (*e*)) scriptam fuisse ex v. 7 apparet; at datam diem v. 10 non tam sequenti epistolae praemissam, quam superiori appositam a simili argumentamur, cf. XI, 16-21, 27-33, 34-38; quodsi utraque simul anno 188 aerae Seleucidarum = 123 a. Chr. missa est, nil mirum postremae, quippequae prioris erat appendix ac declaratio, diem iterum adscriptam non fuisse.

(*d*) Cf. Iustin. Apolog. I, § 31.

(*e*) Cf. Bertholdt, Einl. II, 698, III, 1071, Eichhorn, op. cit. p. 260, Huetius, op. cit. p. 528, Iahn, Einl. II, 963.

(*f*) Prolog. Gal. *Secundus* (Machabaeorum) *liber graecus est, quod ex ipsa quoque phrasi probari potest.*

prehenduntur, quam qui Iudaei cuiusvis hellenistae, Philonis puta (*a*), proprii sunt (*b*). Porro qua ferme aetate epistolae scriptae sunt, eadem et reliquam libri partem fuisse compositam, atque in unum cum illis volumen coaluisse ex orationis tenore (*c*),

(*a*) Hunc Alexandrinorum id aetatis doctissimum hebraice nesciisse, tum ex usu perpetuo graecae Bibliorum versionis, tum ex falso hebraicorum nominum etymo colligitur, cf. Gesen. Gesch. d. hebr. Spr. S. 83, Hieron. opp. ed. Martianay, tom. II, p. 95-107.

(*b*) Hoc Bertholdtius (op. cit. p. 1072) de historia merito affirmans, de epistolis temere negat, quas ex hebraico (archetypo ne an versione dubius est mentis) in graecum conversas arbitratur; eidem novissime consentit Ferd. Schlünkes (ep. quae II. Mach. I, 1, seq. legitur explic. Colon. 1844): at enim cum argumenta quae pro hac opinione afferri possunt, contra ac Bertholdtius senserit, secundam potius epistolam attingerent (cf. ex. c. I, 24-29), tum nullatenus maioris ponderis sunt atque illa quae contra historiae corpus producta fuerunt. Ex hoc igitur primigenio graeco exemplari itala, syriaca, ceteraeque dein versiones (sup. pag. 466, 498 laudatae) ortae sunt: italae duas iterum recensiones, minus tamen quod ad alterum hunc librum fideles exhibet Sabatier (l. ib. cit. p. 1055), quarum illa sincerior quae in Vulgatae editionem inserta est; utraque paulo liberior, syriaca quae in polyglottis Londinensibus habetur non satis accurata, omnes ab archetypo, haud secus ac varii huiusce codices inter se, non raro dissentiunt. Versio arabica quae in laudatis polyglottis continetur, licet quod ad XVI priora capita cum graeco satis consentiat, in horum fine ab hebraico exemplari dicitur desumta: sequentia vero capita XVII-LIX Machabaeorum historiam a graeci archetypi clausula ad M. Herodis aetatem usque deducunt; hic liber quem Van Dale hebraici Iosephi Gorionidis operis versionem falso suspicatus est (v. Fabricii Bibl. Gr. ed. Harles III, 747) partim ex nostro, partim ex Iosephi Flavii scriptis coaluisse videtur. Cuiusmodi sint duo Machabaeorum libri in Sinensium Iudaeorum canonem relati, incertum est; unum idemque opus esse ac fabulosum illud quod Iudaei festo dedicationis die legere consueverunt (Michaëlis, Orient. Bibl. B. V, S. 78-80, Iahn, op. cit. p. 964), peculiaria illorum emigrationis ac domicilii adiuncta minus verisimile faciunt. Cf. Welte, op. cit. p. 62-63.

(*c*) Narratio enim ita exorditur II, 19: τὰ δὲ κατὰ τὸν Ἰούδαν, κτλ. Vulg. ib. 20: *De Iuda vero* etc.: hanc autem particulam coniunctivam

intimaque rerum proportione colligimus (*a*); nec sane inferiori aetate Iasonis historiae (*b*), multoque minus eiusdem compendii conditio tempestiva atque opportuna adhuc videri potuisset (*c*). Nequicquam

δέ *vero* uti librariis cum Iahnio (op. cit. p. 961) adscribere temerarium atque gratuitum, ita merum hebraismum cum Bertholdtio (op. cit. p. 1061) dicere ineptum est, cf. sup. pag. 355, not. (*d*).

(*a*) Ut enim epistolarum altera alteram illustrat, ita plurimam utrisque lucem admovet gestorum textus, in eumdemque scopum intendit, cf. II, 20-24 cum I, 11-32, 31-36 coll. 7-9; neque abs re sunt quae ab encaeniorum festivitatis origine declaranda nimis aliena videntur; quae namque passim cedunt in Machabaeorum laudem, vel singularem Dei in Palaestinenses providentiam, templique tutelam ostendunt (III, 12-39, XIV, 35-36), religioso ac civili eorumdem primatui demonstrando conducunt; nec aptius profecto Iasonis historiae breviator eamdem ad hunc finem accommodare potuisset. Porro pugnantia quae litteras inter atque compendium nonnulli deprehenderunt, tum specie tantum talia esse ostendemus, tum auctoris quidem, neutiquam compositoris diversitatem demonstrarent.

(*b*) Ad hanc quod pertinet, contrarium Bertholdtius (op. cit. p. 1068) opinatur, quippequam fabularibus rumoribus, corruptaeque traditioni refert acceptam, quod falsum inferius demonstrabimus.

(*c*) Cf. II, 26, Bertheau op. cit. p. 59. Quare tametsi Eichhornio (op. cit. p. 276) daremus nullum huiusce libri vestigium ante Clementis Alexandrini aetatem (Strom. l. V, c. 14) reperiri, perperam is inde concluderet tunc primum cognitum, aut non ita pridem fuisse compositum; at enim praeter obliquam Hebr. XI, 35 ad Mach. VI, 19 allegationem, eodem certissime usus est auctor *sermonis de Machabaeis*, *seu de rationis imperio* (εἰς Μακκαβαίους λόγος, ἢ περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ) quem sive Iosepho Flavio (opp. ed. Haverc. tom. II, p. 497-520) cum Eusebio (hist. eccl. l. III, c. 10), Hieronymo (l. II adv. Pelag., catal. script. eccl. s. v. Ioseph), totaque retro antiquitate attribuas, sive cum nonnullis recentioribus (Cave, hist. liter. script. eccl. s. v. Iosephus) eidem abiudices, stante adhuc Hierosolyma conscriptum fuisse ex auctoris verbis conficere est, qui (§ 4) ἐπ᾿ αὐτῇ τῇ ἄκρᾳ τῆς πατρίδος ἡμῶν *hanc ipsam patriae nostrae arcem* memorat, necdum peiora ac Machabaica tempora viderat. Neque tamen Hassio (Das andere Buch der Makkabaeer etc. S. 281) assentimur qui librum sub initio II. a. Chr. saeculi compositum esse censet; data siquidem epistolarum dies huic

idcirco Philonem nonnulli, alii Flavium Iosephum (*a*), alii Iudam Machabaeum (*b*) libri auctorem existimarunt; priores enim nimis recentiores sunt, insuper unus ad id operis nunquam allegat aut alludit, a quo alter re ipsa, uterque dicendi genere discordat, mitto neutrius librum in canonem potuisse referri: Iudas vero nimis antiquior est, praetereaque res descripturus, quarum aequalis ipse magnaque pars fuerat, scriptorem externum haud adiisset: e contrario qui Aristobuli contemporalem atque amicum (*c*), vel Iudam Essenum (*d*) auctorem faciunt, nihil quidem contra temporum rationes peccant, at nullis probabilibus argumentis innituntur; quapropter in re inexplorata a iudicio temperamus, verisimile tamen arbitramur scriptorem nisi domo Palaestina fuerit, sed Ægypto (*e*), vel Cy-

positioni adversatur: nec favet locus xv, 38, quasi nempe brevi illo intervallo editus sit, quo post Nicanoris cladem in secundis Iudaei versabantur; summum enim historiae, nequaquam compendii aetatem inde colligeres; summum inquam, quia historicus ad suam usque aetatem descendere nulla lege tenetur; nec minus inepte breviatoris erratum ibidem cum Bertholdtio (op. cit. p. 1069) deprehenderes.

(*a*) Huetius op. cit. p. 529; causa, idem ait, cur hic liber Iosepho a nonnullis fuerit attributus, manifesta est, quia nempe hunc ipsum cum altero eiusdem opere (v. sup. pag. 584, not. (c)) confuderunt.

(*b*) Leo Allatius de Simonibus p. 200.

(*c*) Hasse op. sup. cit. p. 283.

(*d*) Serarius op. cit. p. 366, 513 qui sententiam suam inde confirmat quod ille circa ea tempora vixerit, prophetiae dono claruerit (Ios. Antiq. l. xiii, c. xi, § 2, de bello Iud. l. i, c. iii, § 5), imo idem ille videatur, qui variam illorum gestorum memoriam dicitur collegisse, ii. Mach. ii, 14.

(*e*) Haec Hassii (op. cit. p. 282), Bertholdtii (l. cit. p. 1075), Bertheavii (op. cit. p. 58) opinio.

rene (*a*), illic tamen opus suum composuisse, quippequi non modo accuratissimam locorum notitiam ostendit, sed iis locutionibus utitur quae maxime in Solymorum incolam conveniunt (*b*).

CLII. At enim quamquam utriusque libri auctor non plane cognitus, auctoritas tamen quamcertissima est, sive scriptorum aetatem spectes, sive praesidia quibus usi sunt, sive intima externaque documenta reputaveris, quae cum illorum fide ac veritate faciunt. Re quidem vera, prioris auctorem eorum quae narrat partim aequalem, partim supparem fuisse probavimus; cumque proinde vel propriis ipse oculis eadem usurpare, vel a probatissimis testibus accipere potuerit, haec satis certo constarent, tametsi nulla documenta suppeterent; quae tamen haudquaquam desiderantur, quippequae vel expresse aut tacite allegantur (*c*), vel integre

(*a*) Lybiae superioris provincia et urbe quarto a Iudaeis inhabitata, qui communi cum ceteris civitatis iure utebantur, cf. Ioseph. Antiq. l. XIV, c. 7, § 2, l. XVI, c. 6, § 1, 5, de bello Iud. l. VII, c. XI, § 1, c. Apion. l. II, c. 4, I. Mach. XV, 23, Matth. XXVII, 32, Act. II, 10.

(*b*) Ex. c. IV, 46, XII, 16, seq., et alibi passim; item Ierusalem πόλιν *urbem*, arcem David aut Sion ἀκρόπολιν *arcem* simpliciter appellat III, 1, V, 11, IX, 14; IV, 12, 27; primum illud scilicet ad Iasonem potiusquam ad eius breviatorem, alterum ad utrumque aeque spectare videtur.

(*c*) Nimirum quod I. Mach. XV, 23 de Hyrcani gestis aperte affirmatur, pronum est de eiusdem decessoribus Simone, Ionathan et Iuda praesumere, maxime cum de hoc postremo quaedam, generatim vero gesta illorum et superiorum temporum scripta fuisse ex I. Mach. IX, 22, II. Mach. II, 14 coll. 24, Neh. XII, 23 appareat. Neque dicas annalibus more antiquo componendis tumultuosis iis temporibus otium defuisse; locum vero IX, 22 de ipso hoc libro intelligendum, propterea que unam finalem allegationem (XV, 23) documentorum potius inopiam declarare,

carptimve referuntur (*a*). Quae autem horum do-

atque hanc esse causam cur scriptor vacui huiusmodi intervalli historiam enarrare, seu confingere aggressus sit (Hengstenberg, op. cit. p. 294, Bertholdt, op. cit. 1051-53): etenim, quod ad primum, et bella saepe intermissa sunt, nec pacatioribus temporibus Iudae et Israëlis regum annales digesti; alterum vero si daremus, haud inde consequeretur Iudae gesta a nemine antea descripta fuisse; ad tertium demum quod pertinet, vel una citatio superabundaret, quandoquidem librorum Iudicum et Samuelis auctor documenta quae adhibet, nunquam allegat; causa vero cur noster Hyrcani gesta non sit persecutus, multiplex esse potuit, aliaque sane atque ab adversariis prolata, puta quod magis nota, quippe novissima, vel plenius ac superiora perscripta fuissent.

(*a*) I, 43, 44-52, VIII, 23-32, X, 4-6, 18-20, 25-45, XI, 30-37, 57, XII, 6-18, 20-23, XIII, 36-40, XIV, 20-23, 27-45, XV, 2-9, 16-21, 22-24. Eiusmodi porro sermones, litterae atque decreta non solum rebus atque temporibus congruunt, sed scribentium indoli, moribus, institutis singulariter conveniunt, atque adeo vel ipsae locutiones exterorum propriae, tametsi in aramaicum primo sermonem (quippe Palaestinensibus evulganda atque in publicis tabulariis deponenda id genus documenta), deinde in graecum a nostro translatae, nativum nihilominus colorem retinuerunt: ita ex. c. consuetae imperativae Romanorum formulae, *ut viderent*, *ne quid populus Romanus detrimenti caperet*, *ac sapienter regerentur cives Romani - quod felix faustumque sit Romanis - ut populo Romano visum fuerit - sine dolo malo* in graeca perinde ac latina interpretatione I. Mach. VIII, 16, 23, 26, 28 adhuc perspiciuntur; duplex Epiphanis decretum ad imperii unitatem in re sacra atque civili obtinendam indictum (I, 43, 44-52) ad variam cuiusque gentis indolem egregie respondet: generale nempe atque concisum ad Ethnicos religionis admodum incuriosos; singulare, copiosum atque severum ad Hebraeos avitae fidei tenacissimos (cf. II. Mach. VI, Ios. Antiq. l. XII, c. 5, § 4, de bello Iud. l. I, c. 1, § 1, Hieron. in Dan. c. VIII, IX): Iudaeorum ac Romanorum foedus (VIII, 23, seq.), quatenus illos propter excussam Demetrii tyrannidem securos facit (ib. 31-32), a Iustino confirmatur l. XXXVI, c. 3, generatim vero iis geminum quae Romani cum Carthaginiensibus, Tyriis et Uticensibus icerunt, v. Polyb. l. III, c. 22, 24: omissio demum regis nominis in altera Spartianorum epistola iamdiu abrogatae illius electioni consentit, cf I. Mach. XIV, 20 cum XII, 20; temere propterea pericopas I. Mach. XIV, 20-23, et 27-34 (v. pag. seq. not. (*c*)) spurias existimat Michaëlis comm. in h. l.

cumentorum eadem et universae narrationis auctoritas, quandoquidem omnia una simul connexa secum invicem, necnon superioribus et inferioribus consentiunt (*a*), cumque temporum rationibus accurate, sciteque notatis (*b*), locorum situ atque natura probe definitis (*c*), civili ac religiosa gentis

(*a*) Sic priora cum exteris foedera a posterioribus, eventaque superiora ab insequentibus ponuntur ac confirmantur, cf. ex. c. I. Mach. XIV, 18, seq. cum XII, 1, seq., VIII, 23, seq.; XIV, 20, seq. cum XII, 2, seq.; XI, 4 cum X, 84-85; alter vero Machabaeorum liber primum illustrat et complet; v. inf. pag. 594, nott. (*c*), (*d*).

(*b*) Hoc praeclarum historici meritum, illis temporibus inter Hebraeos praesertim singulare, historicum scriptoris propositum et fidem in tuto collocans, quam ne liberiores quidem critici (Eichhorn, op. cit. p. 233, Bertholdt, op. cit. p. 1050, Hengstenberg, op. cit. p. 294, de Wette, op. cit. § 299) eidem hac in re omnino iam audent denegare, egregie cumprimis demonstravit P. Erasmus Froelich S. I. doctissimo opere: Annales compendiarii Regum et Rerum Syriae numis veteribus illustrati, Vindobonae 1744, quod acriter primo in Novis Actis eruditorum Lipsiae 1745 sept. pag. 481-496, dein ab Ern. Frid. Wernsdorff, sua de fontibus historiae Syriae in libb. Macc. prolusione, impugnatum auctor strenue defendit, altero edito libro inscripto: de font. hist. Syr. in libb. Macc. prolusio in examen vocata Vindob. 1746, cui Wernsdorfii frater Theophilus commentatione historico-critica de fide hist. bibl. Macc. Wratisl. 1747 contradicens, a Iosepho Khellio Froelichii consodali, anonymo auctore operis: Auctoritas utriusque libri Macc. canonico-historica adserta etc. Viennae Austriae, 1749, vapulavit. Utriusque sodalis opera ad librorum Machabaeorum fidem vindicandam aptissima aequiores nunc iudices, vel inter Rationalistas, nacta sunt, cf. Bertholdt, op. cit. p. 1078; exinde, pro opportunitate, ad difficultates contra temporum rationes, aut rerum fidem expediendas, non pauca depromemus.

(*c*) Locorum aeque ac personarum nomina congruum, pro regionis ac gentis varietate, etymon habent, iudaica hebraeum, graeca graecum, romana latinum; sic obscurum vocabulum Σαραμέλ (XIV, 28, Vulg. 27 *Asaramel*), quod tum ex contextu, tum ex praemissa particula ἐν *in* loci proprium videtur, probabilem originem habet ex חֲרַם אֵל (aspirata in sibilantem graecorum more immutata, ut אוֹפִיר

conditione (*a*), sacrae atque profanae antiquitatis

in Σωφίρ) *Dei claustrum*, ita nempe κατ' ἐξοχήν appellabatur locus solemnis templo contiguus ubi populi conciones habebantur, eiusdemque honestissimum pro Simone decretum, aeneis tabulis inscriptum, affixum fuerat (ib. 48). Quod ad locorum naturam, Maspha antiquitus sacrum orationis concionisque locum fuisse verissime dicitur, cf. III, 46, seq. cum Iud. XI, 11, XX, 1, 3, XXI, 1, 5, I. Reg. VII, 5, X, 17; arcis templique monumenta atque inexsuperabile per annos XXV Syrorum praesidium cum nativa Sionis firmitate, superioris ac recentioris aetatis documentis historiaque consentit, cf. I, 21-35, XIII, 33, 51 coll. Ios. XV, 63, Iud. I, 21, II. Reg. V, 6-9, et I. Mach. I, 33, IV, 41, XIII, 51 cum Ios. Antiq. l. XII, c. V, § 2, de bello Iud. passim, Scholzii dissertatione de Hierosolymae singularumque illius partium situ et ambitu p. 4, seq.; demum sicuti varii praeliorum casus, frequentes paucorum de longe plurimis victoriae, arcium firmitas frustra inexpugnabilis asperae et montuosae regionis conditioni, necnon rei bellicae ruditati congruunt; ita locorum positiones atque intervalla cum sacrae necnon profanae geographiae rationibus universim consistere utraque simul conferentibus apparebit.

(*a*) Utraque superiorem, qualis ab Esdra Nehemiaque describitur, apte subsequitur: Iudaei nimirum, aliis atque aliis patriam subinde repetentibus, iam frequentiores, praeter Iudaeam et reliquos Palaestinae tractus, maximam partem iterum inhabitabant; nihilominus tamen medianam occidentalis regionis partem, ut iampridem sub Persarum dominatu, Samaritani retinebant, infimam Philisthaei, litoralem Libanique convalles variae stirpes deductarum illuc antea coloniarum progenies, eurinam Moabitae et Ammonitae, australem Idumaei antiquae simultatis prae ceteris tenaciores; generatim vero regio universa, uti Coelesyriae pars Syriique imperii provincia, Seleucidarum dominationis pondera et vices patiebatur, nisi quatenus praepotens iamtum Romanorum interventus illam temperabat. At enim Iudaei, quod ad sacrum civileque regimen, proprio adhuc magistratui, synedrio nimirum obtemperabant, quod ex insignioribus sacerdotibus, *scribis*, senioribusque constans suprema auctoritate Pontifex moderabatur: Solymorum interim urbs uti metropolis, templum uti una legitima sacrorum sedes non modo a Palaestinensibus, sed et a pientioribus exteris Hebraeis, inaudita sane fide ac religione, adhuc habebatur; nec enim tantam unquam vel Carthaginienses Tyriorum, vel Syracusani Corinthiorum templo exhibuerunt. Verum dum plerique antiquae maiorum fidei studiosissimi, precibus, ieiuniis, solemnitatibus, singu-

memoriis ac monumentis mire concordant (*a*).

Quod ad profana, omnium instar haec pauca sint: Antiochi Epiphanis contra Ptolemaeum Philometorem expeditio, munitiorum Ægypti urbium occupatio, ac Solymorum ingressio testatissima sunt (*b*), nisi quod noster de more (*c*) paucis perstringit quae aliquot annorum intervallo distinguuntur: item Iudae gestorum famam nonnisi post Apollonii et Seronis cladem ad Antiochum pervenisse (*d*), proindeque Samariae ac Coelesyriae praefectos, regum tunc titulo passim honestatos (*e*), suo nomine contra Iudam bellum intulisse (*f*) verissime dicitur; ea siquidem

lisque legis praescriptis exsequendis, profanisque repudiandis sollertem, nec superstitiosam (cf. I. Mach. II, 40-41) operam dabant, non pauci Ethnicorum cultus ac politioris humanitatis specie illecti, fortassis et sollicitiori (ib. 34-38) nonnullorum concivium zelo indignati Graecorum moribus ac superstitionibus implicabantur; hinc domestica dissidia, schismata atque factiones quae dein solutiori horum licentia, morosiori illorum (Pharisaeorum nempe) religione aliisque de causis in dies auctae, exacerbatae, hebraicae reipublicae exitium properarunt.

(*a*) Talia sunt encaenia (v. sup. pag. 581, not. (*b*)), ob templi per Antiochum polluti lustrationem a Iuda peractam, etiamnum a Iudaeis celebrata (cf. Buxtorf, Synagoga Iudaica c. XXVIII), tum festiva Nicanoris cladis recordatio Iosephi adhuc aetate quotannis haberi solita (cf. I. Mach. VII, 49 cum Ios. Antiq. l. XII, c. X, § 5), necnon mausoleum Modini a Simone suis exstructum, cuius et rudera supersunt (cf. I. Mach. XIII, 27-30 cum Euseb. Onomast. sub v. Hieronym. in Is. c. XXX, Raumer, Palaestina S. 211), tandem iudaicae Iosephi Flavii Antiquitates ex patriis sane documentis plerumque desumtae, quae XII, 5 - XIV, 16 hanc ipsam Asamonaeorum historiam copiosius exponunt atque confirmant.

(*b*) Cf. I. Mach. I, 17-20 coll. II. Mach. V, 11 cum Diod. Sic. fragm. XXX, 8, XXXIV, 2, Iustin. XXXIV, 2, Polyb. XXVII, 17, XXVII, 16, Hier. comm. in Dan. c. XI, v. 22-24, Ios. de bello Iud. l. I, c. 1, § 1-2, l. VI, c. 10, § 1.

(*c*) Cf. Ib. I, 9, V, 66, etc.

(*d*) Ib. III, 10-27.

(*e*) Cf. ib. 7 cum Iudith. III, 1.

(*f*) Ib. 14.

tempestate Epiphanem apparatissimis insanisque ludicris (ἐπιμανῆ insanum propterea cognominatum) Iovi Olympico faciendis Antiochiae apud Daphnem novimus indulsisse (*a*); nec minus explorata eiusdem prodigalitas (*b*), in Persidem, quadam tunc regni necessitate cum Syriae regibus coniunctam, profectio (*c*), mortis genus, causa, locus et tempus (*d*); Philippi in Persidem regressus, postquam inde in Ægyptum opem imploraturus frustra confugerat (*e*); Demetrii Romae obsidis fuga, appulsus in Syriam, eidemque regi habito Antiochi Lysiaeque traditio (*f*); Romanorum de Galatis (*g*), Perseo (*h*), Antiocho M. (caeso ingenti eiusdem exercitu ex plurimis equis, elephantis, falcatisque curribus constanti, necnon magna suae ditionis parte ad Eumenem (*i*) devolvenda spoliato), Graecisque (*k*) triumphi, summaque rerum domi bellique moderatio consulum Romanorum alterutri vicibus concessa (*l*); obscuri cuiusdam Balae, falso Alexandri filii

(*a*) Athen. Deipnos. v, 21, 51, 53, XII, 56, Diod. Sic. fragm. XXXI, 7-8.

(*b*) Cf. I. Mach. III, 30 cum Athen. l. cit.

(*c*) Cf. ib. 31-37 cum Strab. l. XVI, p. 744, Diod. Sic. fragm. XXVI, 30, 47, Iustin. XXXII, 2, Appian. in Syriacis XLVI, 80, Porphyr. ap. Hieron. comm. in Dan. XI, 44, Ios. Antiq. l. XII, c. 7, § 2.

(*d*) Cf. VI, 1-16 cum Ios. l. XII, c. 9, § 1, Polyb. reliq. XXXI, 11, nisi quod hic, quippe ethnicus facit regem conscientiae stimulis exagitatum propter Dianae Elymaidis templum direptum, silet vero de Hierosolymitano; quod ad tempus cf. Froelich, Annales etc. p. 50-51 et p. 38 coll. tab. VI-VII ubi numi Epiphanis nomine inscripti et duobus ante annis adhuc procusi referuntur.

(*e*) Cf. ib 56 cum Appian. op. cit. XLVI, 80-85.

(*f*) Cf. VII, 1-2 cum Appian. op. cit. XLVII, 1-10, Iustin. XXXIV, 3, Liv. epit. l. XLVI, Polyb. reliq. XXXI, 20-23, Ios Antiq. l. XII, c. 10, § 1.

(*g*) Cf. VIII, 2 cum Liv. XXXVIII, 17-27, XXXIX, 37.

(*h*) Cf. ib. 5 cum Flor. l. II, c. 7, Liv. l. XXXVII, c. 36-39, Polyb. XVIII, 10, Iustin. XXX, 4.

(*i*) Cf. ib. 6, 8 cum Polyb. XXI, 14, Appian. XXX, 50 - XXXVII, 55, Liv. XXXVII, 36-45, Iustin. XXXI, 8.

(*k*) Cf. ib. 9-10 cum Diod. Sic. XXIX, 2-8, Appian. XVII, 75 - XX, 70, XXVII, 80-100, Polyb. XX, 10, XXI, 3, XXII, 11, 15, Liv. XXXVI, 13, 16, 21.

(*l*) Cf. ib. 16 cum Liv. II, 1, VII, 19, VIII, 12, 16, XXII, 27, XLV, 39, Appian. VII, 19, Polyb. III, 110, Suet. Caesar c. 15.

Epiphanis nomine, Syriae regnum affectantis victoria contra Demetrium reportata (*a*), huius ulciscendi conatus ab homonymo filio Ciliciam ingresso parati (*b*), illius fuga in Arabiam postquam a socero Ptolemaeo, ultionem regni ambitioni praetendente, uxore nuptum Demetrio tradita orbatus, belloque devictus est (*c*); Iudaeae, Samariaeque tractuum, quos Iudaei incolebant, immunitas (*d*), Tryphonis facinus iuniorem Antiochum vel bimulum regem promulgantis, dein, calculos curandi specie, occidentis (*e*); Demetrii tandem in Mediam ingressi, auxilia contra Tryphonem exquisituri, insidiosa comprehensio, eiusque copiarum dissipatio (*f*). - Nec modo regnorum fata, regumque casus et vices, sed et regionum proprietates, variique cuiusque gentis mores et ritus taliter describuntur, qualiter ab aliis probatissimis scriptoribus exhibentur: suilla ex. c. Ethnicis (*g*) edulis, Hebraeis exosa (*h*), servorum emtores exercituum expeditiones comitati (*i*), varia donariorum genera templis ab Ethnicis donari solita (*k*), Iberia

(*a*) Cf. x, 1, 48-50 cum Polyb. xxxiii, 14, 16, Iustin. xxxv, 1, Ios. Antiq. l. xiii, c. 2, § 1.

(*b*) Cf. ib. 67, xi, 14 cum Diod. Sic. fragm. xxxii, 16, Iustin. xxxv, 2, Liv. epit. l. lii, Ios. Antiq. l. xiii, c. 4, § 3.

(*c*) Cf. xi, 9-16 cum Diod. l. cit. c. 17, Ios. l. cit. c. 4, § 8, Liv. l. cit.

(*d*) Cf. ib. 28, 29, 34 cum Curt. l. iv, c. 8, § 9, Ios. contr. Ap. l. ii, c. 4.

(*e*) Cf. ib. 54, xiii, 31 cum Liv. epit. l. lv, Strab. l. lvi, p. 752, ed. Casaub., Ios. Antiq. l. xiii, c. 5, § 3, c. 7, § 1.

(*f*) Cf. xiv, 1-4 cum Iustin. xxxvi, 1, xxxviii, 9, Ios. loc. sup. cit. Plura videsis ap. Iahn, Archaeol. ii Th. § 92-104.

(*g*) Æneid. i, 635.

(*h*) Cf. i, 47 coll. ii Mach. vi, 21, vii, 1, Is. lxv, 4, lxvi, 17 cum Iuv. Satyr. xiv, 98, Tacit. hist. l. xv, c. 4.

(*i*) Cf. iii, 41 coll. ii. Mach. viii, 11 cum Polyb. iii, 82, Ios. Antiq. l. xii, c. 7, § 3.

(*k*) Cf. vi, 2 coll. ii. Mach. ii, 13 cum Horat. l. i, od. 3, Virg. Æn. v, 393, ix, 408, Pausan. v, 12.

metallifera (*a*), Hierichuntis munitiones (*b*), Dagonis (Veneris species inferius in piscem desinens) apud Philisthaeos templum et cultus (*c*), Orientis regibus gratiosi aut familiares honoris causa *regum amici*, horum *primarii* (*d*), (muneribusque aucti, fibulis aureis cumprimis) *cognati* (*e*), *fratres* imo atque *parentes* (*f*) nuncupati; elephantes vini mororumque obiectu ad pugnam incitati, ligneas turres ferentes bellatoribus graves, indo rectore ducti, agminum ordinibus interpositi, mille peditum cataphractorum, et quingentis delectis equitibus cuique assignatis, reliquo equitatu in cornibus locato (unde *alarum* nomen), classicisque datis, militum clamor, armorumque strepitus (*g*); catapultae, balistae talentariae, igniferae (*h*); insidiae ab Apollonio prudenter contra insequentes instructae, nec minus sapienter a Ionathane frustratae qui, facta phalange hastis

(*a*) Cf. VIII, 3 cum Plin. III, 3, Bocharti Chanaan I, 35.

(*b*) Cf. IX, 50 cum Strab. l. XVI, p. 763.

(*c*) Cf. X, 83, Iud. XVI, 23-26, I. Reg. V, 1-5 cum Diod. Sic. II, 4, Herod. I, 105, Lucian. de Dea Syra.

(*d*) Cf. II, 18, X, 65, XI, 26-27, coll. II. Mach. VII, 24, VIII, 9, X, 13 cum III. Reg. IV, 5, Diod. Sic. XV, 10, XVI, 50, XVII, 54, 55, XVIII, 1-2, Polyb. V, 53, 54, XXXI, 3, 7.

(*e*) Cf. X, 89, XI, 31 cum Arrian. Exped. l. VII, c. II, § 10, Brisson. op. cit. tom. I, p. 132, Ios. Antiq. l. XI, c. 3, § 2, l. XIII, 4, c. 5, § 4. Sic apud Gallos, *Pares*, quos vocant, *Cardinales*, *Marescalli*, apud nostrates, equites supremi ordinis torquati regis consobrini (*cousins*, *cugini*) vocantur.

(*f*) Cf. XI, 30 cum II. Mach. XI, 22; I. Mach. XI, 22 cum Gen. XLV, 8, Esth. XIII, 6.

(*g*) Cf. VI, 34-41 cum Ælian. hist. anim. l. XIII, c. 8, Bocharti Hieroz. l. II, c. XXV-XXVII, III. Mach. V, 2, seq., Liv. l. XXXVII, c. 40, Plin. hist. nat. l. VIII, c. 7, Petrus Gillius ad Ælian. pag. 138, Polyb. l. I, c. 46, § 15, l. III, c. X, n. 7, 11, l. XI, c. I, n. 12, Arrian. Exped. l. III, c. 8, n. 11, Aul. Gell. Noct. Att. l. XVI, c. 4, Hom. Iliad. IV, 446, XI, 50, Thucyd. l. IV, c. 34, 126, Xenoph. Anab. l. I, c. 3, l. IV, c. 5.

(*h*) Cf. ib. 51 cum Liv. l. XXXVI, c. 47, Polyb. l. V, c. 4, 99, l. VI, c. 31, l. IX, c. 4, l. XXI, c. 5.

protensis horrenti atque impenetrabili, equorum undique circum irrumpentium impetum diu sustinuit atque confregit, donec a supervenientibus Simonis copiis eosdem profligavit (*a*); equites numero pauciores, velitibus insertis, longe plurimis aequales facti sed et superiores (*b*); haec, inquam, omnia, aliaque plura brevitatis ergo praetermissa, luculentis profanorum scriptorum testimoniis consona, dum singularem rerum peregrinarum notitiam in homine Iudaeo, qualis hic noster, plane mirabilem ostendunt, eiusdem fidem in hisce omnibus probatissimam, non minus quod ad reliqua indubitandam aequis iudicibus persuadebunt.

Hinc vero et alter Machabaeorum liber maxime credibilis demonstratur, quippequi cum priori in rerum summa consentit (*c*), tametsi in factorum delectu, abundantiori (*d*), vel vividiori eorumdem descriptione (*e*) dissimilis, imo et specie diversa producere aliquando videatur, quod profecto inaffectatae veritatis et imprudentis conspirationis locupletissimum testimonium est. Atqui non modo eiusdem consensu, sed iisdem ac ille argumentis atque rationibus probatur : etenim Iasonem, cuius quina volumina breviator paucis fideliterque per-

(*a*) Cf. x, 79-83 cum Liv. l. i, c. 14, Xenoph. Cyrop. l. i, c. 6, § 37.

(*b*) Cf. xvi, 7 cum Valer. Max. l. ii, c. iii, § 3.

(*c*) Cf. generatim ii. Mach. i - xv cum i. Mach. i - vii, speciatim vero ii. Mach. xiii, 1-26 cum i. Mach. vi, 30-62.

(*d*) Cf. i. Mach. i, 11-16 cum ii. Mach. iv, 7-20, 23-50; i. Mach. i, 20-25 cum ii. Mach. v, 11-26; i. Mach. i, 44-52 cum ii. Mach. vi-vii, et praesertim i. Mach. i, 1, 52, 60, 61, seq., ii, 31-38 cum ii. Mach. vi, 8-12; i. Mach. iii, 2 cum ii. Mach. viii, 1; i. Mach. iii, 38 - iv, 25 cum ii. Mach. viii, 8-36; i. Mach. v-vi cum ii. Mach. xi, seq.; i. Mach. vi, 30-63 cum ii. Mach. xiii, 1-26, etc.

(*e*) Cf. ex. c. i. Mach. vi, 1-16 cum ii. Mach. ix, 1-29.

strinxit, accuratum se verumque historicum praebuisse, cum ex pietatis, religionisque sensis in universa narratione interspersis colligitur, quibus vel piorum preces (*a*), vel iusta Dei iudicia (*b*) exponuntur; tum ex curiosa et diligenti nominum, locorum, numerorumque descriptione, quae noster, compendii causa, consulte praetermisit (*c*), vel leviter attigit; tum etiam ex documentis frequenter insertis (*d*), quae licet liberius, proprioque breviatoris stilo descripta, nativam tamen imaginem satis fideliter exprimunt (*e*); deinde ex narrationis pro-

(*a*) II. Mach. VIII, 2, seq., 18, seq., 29, seq., X, 25, seq., XI, 6-10, XII, 28, 36-37, XIII, 10-17, XIV, 34-36, XV, 7, seq. 22-24.

(*b*) Ib. IV, 16, 17, V, 20, VI, 12, seq., XII, 41-42, XIII, 7-8, XV, 32.

(*c*) Ib. II, 24 graec. (Vulg. 25 qui pro ἀριθμῶν *numerorum* vertit *librorum*); neuter sane nobilem Mathathiae domum potuit ignorare, verumtamen noster Iudam Machabaeum *uspiam natum*, ποῦ γεννηθείς (V, 27 graec.) dixit; quare si Lysiam *quemdam* vocavit X, 11 non sequitur regium illius genus ignorasse, cf. XI, 1, 35 cum I. Mach. III, 32: quod ad topographiam v. sup. pag. 586, not. (*b*), 588, not. (*c*); plura vero paucis perstrinxisse patet ex III, 40, VII, 42, X, 9, XIII, 22.

(*d*) Ib. IX, 19-27, XI, 16-21, 22-26, 27-33, 34-38.

(*e*) Sic cum noster temporum rationes ad sacrum Iudaeorum kalendarium exigere solitus sit (cf. X, 5, praesertim vero XV, 36 graec., ubi *Adar* duodecimus mensis appellatur), e contrario Lysias, Antiochus Eupator, Romanique legati suis in epistolis Syro-Macedonum mensibus utuntur, Dioscoro nempe (XI, 21) et Xanthico (ib. 30, 33, 38), quorum hic ad Hebraeorum *Nisan*, nostrumque Aprilem respondet, alter in Etymologico magno, et Cretensium kalendario memoratus, ceu intercalaris ad solis cursum exaequandum, veterum graecorum more qui et ipsi lunaribus mensibus utebantur, assumtus fuisse videtur; haud mirum propterea quae supersunt Macedonum menologia, uti Henrici Stephani lexico subnexa, et Syriacorum per Seleucidarum tempora rerum scriptores, quippe C. Iul. Caesaris correctione plerique recentiores, nullam amplius mensis iamdiu obsoleti mentionem iniicere. At inexplorata intercalandi ratio: iuxta Syrum interpretem (cui

babilitate; quamvis enim auctor iudicium suum non raro interponat (*a*), factaque non tam enarrare quam depingere, atque exornare videatur (*b*), neque tamen illud ab horum natura dissentit, neque ista praeter veritatem unquam augentur, aut extenuantur; imo generatim secum invicem, cumque temporum, locorum, personarum rationibus congrua, necnon singillatim cum sacrae atque profanae historiae monumentis consentire deprehenduntur; quod quidem non ita Iasonis operis eiusque compendii proprium est, ut non eodem, nisi potiori, iure in duas epistolas huic praescriptas conveniat.

Revera angustiae, quas Demetrius et Iason Hebraeis crearunt, horum supplicationes, cultusque sub Antiocho intermissi restitutio testatissimae sunt (*c*); Aristobuli ut Hebraeorum doctissimi et cuiusdam Ptolemaei regis fa-

Froelich, Annales etc. p. 18-28 astipulatur) Dioscorus quem ipse *alterum* Tisri nominat, Hebraeorum *Tisri*, Graecorum Hyperberetaeo, nostroque septembri posterior, ultimus Syro-Macedonum mensis fuisset: at licet horum annus, ut civilis Hebraeorum, autumno initiaretur, nil vetat quominus mensis embolimaeus vere insertus sit, utque Hebraeorum *Veadar τῷ Nisan*, ita Dioscorus Xanthico praepositus; quare Lysiae epistolam XXIV die Dioscori datam apte duae Antiochi XV Xanthici scriptae subsequuntur; secus cum Froelichio dicendum foret auctorem temporum rationes pervertisse, et Antiochi litteras semestris intervallo alteram Lysiae praecessisse, nec minus re quam tempore fuisse distinctas.

(*a*) Cf. II. Mach. IV, 7-22, 26, V, 5-10, VI, 12-17.

(*b*) Ib. III, 16-22, 24, 29.

(*c*) Cf. I, 7-8 cum I. Mach. X, 67, seq., XI, 9, seq., 53; IV, 7, 26, V, 5, seq. coll. Ios. Antiq. l. XII, c. 5; I. Mach. I, 21, seq., III, 46, seq., IV, 47, seq.

miliaris meminerunt Clemens Alexandrinus et Eusebius (*a*): porro quod de Antiocho Sidete (*b*) traditur Naneae templum cum suis ingresso, specie ut cum Dea concumberet (*c*), reipsa ut templi thesauros diriperet, obrutoque lapidibus ex occulto templi aditu in ipsum coniectis (*d*); hoc ad sacrilegam eiusdem maiorum Antiochi M., Seleuci Philopatoris, Antiochi Epiphanis (*e*) ac successorum aviditatem, ad turpissimum Veneris cultum (talis enim Nanea sub Anaitis, Anahid nomine a Persis et Armenis maximo in honore habita) (*f*), necnon ad consuetam templorum structuram, sacerdotumque fraudem (*g*) respondet: similiter quae de sole vicibus obnubilo ac coruscante, naphthamque incendente, eoque loci Persarum regis

(*a*) Cf. II. Mach. I, 10 cum Clem. Alex. Strom. l. I et V, ed. Potter, pag. 410, 705, Eusebii Chronicon, olymp. CXLIX, praep. evang. l. VII, c. 13, 14, l. VIII, c. 9, 10, l. XIII, c. 11. Quamquam vero in aetate definienda ambo invicem dissentiunt, temere profecto omnem propterea fidem illorum testimoniis cum Eichhornio (Allgem. Bibl. V. B. S. 260-65) denegares, maxime cum data epistolae dies et regis nomen cum Ptolemaeorum serie consentiunt (Physcon enim a 145 ad 116 a. Chr. regnavit, epistola vero an. 188 aer. Seleuc. = 123 a. Chr. missa est, quod sane epistolae *authenticitatem* confirmat. V. sup. pag. 582, not. (*c*)); Aristobuli autem officium et gratia magnae tunc Ægyptiorum de Iudaeis opinioni congrua sunt. Cf. etiam R. Ghedolia in Scialsceleth hakkabbala ap. Bartolocci Bibl. Rabb. t. I, p. 468, seq.

(*b*) V. inf. pag. 613, not. (*d*).

(*c*) Similia principum cum deabus desponsationum exempla, uti M. Antonii Romani Imperatoris, Caii Caligulae, Elagabali Augustorum exempla vide ap. Salian. in annal. Eccl. ad an. 2923, Corn. a Lap. et Tirin. comm. in h. l.

(*d*) II. Mach. I, 13-16.

(*e*) I. Mach. VI, 1-12, II. Mach. III, 7, IV, 8-10, 19-20, 23, 25, Strab. l. XVI, p. 744, Diod. Sic. fragm. l. XXIX, n. 11, Iustin. l. XXXI, c. 2, Polyb. l. XXXI, c. 11.

(*f*) Cf. Strab. l. XI, p. 532, l. XII, p. 559, l. XV, p. 773, 806, Ælian. var. hist. l. IV, c. 1, Herod. l. I, c. 199, Kleuker's Zend-Avesta III, S. 66, Anhang II, 2, S. 66-68, Ephraem opp. ed. Asseman. t. II, p. 457-8.

(*g*) Cf. Dan. XIV, 12.

munificentia propterea clauso, consecrato, donariisque adaucto (*a*) cum caeli plaga et anni tempestate, ignea naphthae natura, Persarumque opinione consentit, apud quos ignis Omnipotentis symbolum et Oromasdis principium est; rex autem, huius imago, primus et quotidianus ignis cultor, qui sicubi sponte conflagraverit, erat illi deferendus, cetero in appositis sacrariis πυρεῖοις, πυραθεῖοις iugiter servandus (*b*): uti demum vota, suppliciaque Sacerdotum ac Ieremiae exhortatio (*c*) eorumdem ingenio atque instituto conveniunt; ita quae de visibili numinis praesentia in tabernaculi templique inauguratione recordantur, superiori memoriae apprime consona sunt (*d*). — Nec aliter de Iasonis compendio sentiendum est. Nimirum quod Ptolemaeus Philometor simultates cum Antiocho Epiphane habuerit, propter Phoeniciam et Coelesyriam (quae et Palaestinam tunc complectebatur), quas pridem huius decessor Seleucus pacifice possederat (*e*), facile intelligimus qui novimus utramque provinciam ex Ægypto primum per Antiochum M. distractam (*f*), dein ab eodem

(*a*) II. Mach. I, 20-22, 31-36. Limum pro igne repertum (v. 20) naphtham fuisse ex nomine colligitur quod Nehemias et vulgus loco imposuerunt (v. 36); *nephthar* enim contractum videtur ex نفط *naphth* et نار *ner ignis*, cui cum purgandi potestas a Persis (Kleuker's Zend-Avesta I, S. 24), Ægyptiis (Creuzer, Symbolik Th. I, S. 261), Hebraeis (Is. VI, 6-7, Malach. III, 2-3, I. Cor. III, 13, 15) aliisque tributa sit, vocabulum ex duobus hisce elementis compositum apte *purificatio* interpretatur; item alterum *nephi* ex *napht* et *iah* יָהּ Deus coaluisse videtur, quasi diceres lucem divinitus datam.

(*b*) Cf. Strab. l. XV, p. 733, Herod. l. I, c. 131, Dioscor. Antol. l. III, c. 4.

(*c*) II. Mach. I, 24-29. II, 2-3.

(*d*) Cf. ib. II, 8 12 cum Lev. IX, 24, X, 16-17, III. Reg. VIII, 11, II. Par. VI, 14, VII, 1, cumque similibus profanorum placitis congruunt, v. Solin. in Polyhist. l. V, Serv. ad Æneid. XII, 200, Pausan. l. V sub fin.

(*e*) Cf. III, 1-3 cum IV, 21.

(*f*) Cf. Polyb. XV, 20, XVI, 18-19, 39-40, Iustin. XXX, 2, 3, XXXI, 1, Liv. XXXIII, 1, 19, Ios. Ant. l. XII, c. 2, § 3, Hieron com. in Dan. c. XI.

filiam suam Cleopatram Ptolemaeo Epiphani nuptum traditurum, dotis nomine restitutam; at sub Epiphane rem male administrante, vita regnoque (puerulo adhuc Philometori tradito) concedente, pluribus provinciis rebellantibus, a Seleuco Philopatore partim recuperatam; intereaque cum a Philometoris tutoribus contra Seleucum, tum subinde a rege ipso, Romanorum interventu quaesito, iure suo contra Antiochum novimus fuisse repetitam (*a*). Porro iis quae ab auctore nostro traduntur germana, aut quamsimillima apud sacros profanosque scriptores reperiri manifestum est: huiusmodi sane sunt religio depositi (*b*), gymnasia et ephibia, quibus iuvenum lectissimi quinquertio exercebantur (*c*), legatio civium Antiochensium ad sacra solemnia Herculi Tyrio (*Melcarth*) offerenda (*d*), altera Aristobuli ad Ptolemaeum Philometorem Ægypti regnum nuper adeptum, ut Antiochi nomine cum eo gratu-

(*a*) Cf. Polyb. XXVII, 17, XXVIII, 1, 17.

(*b*) Cf. II. Mach. III, 15 cum Ex. XXII, 7, seq., Lev. VI, 2.

(*c*) Cf. ib. IV, 9, 12 cum Vitruv. XI, 5, Pausan. Lacon. XIV, XX. Phrasis II. Mach. IV, 12 κρατίστους τῶν ἐφήβων ὑποτάσσων ὑπὸ πέτασον ἤγεν, *iuvenum fortissimos petaso subiectos voluit*, tantumdem significat ac palaestrae operam dare coëgit, petaso enim et chlamyde ephebi communiter utebantur: ex collatione autem vv. 9-10 cum I. Mach. I, 15-16 colligitur verba *fecerunt sibi praeputia* (I. Mach. I, 16) idem significare ac *ad gentilem ritum transierunt* (II. Mach. IV, 10), scilicet Ethnicorum mores sunt imitati; vocabula namque *praeputium*, *circumcisus*, *circumcisio* metaphorice in sacris litteris passim usurpantur (Deuter. X, 16, Ierem. IV, 4, Ezech. XLIV, 7, Act. VII, 51, Rom. II, 29, Colos. II, 11, cf. Vincenzi, op. cit. p. II, p. 90); neque tamen propria significatio repugnat, quandoquidem gentilitatis studiosos, praesertim qui gymnasticis exercitationibus operam dabant, hanc antiquae religionis tesseram probro habuisse haud improbabile est; varias autem praeputii adducendi rationes olim adhibitas tradunt Celsus VII, 25, et Bartholinus de morbis biblicis c. XXVI, qui illas Hebraeis haud intentatas ex horum, necnon Pauli testimonio I. Cor. VII, 18 argumentatur.

(*d*) Cf. ib. 19 cum Arrian. Exped. II, 24.

laretur (*a*), tres testes in iudicium adhibendi, quaque poena reus absolvitur actores plectendi (*b*), Scytharum barbaries (*c*), regum natales conviviis celebrati (*d*), suppliciorum atrocitas (*e*), aureae coronae, aurative palmarum rami regibus dono dati (*f*), caelestium armatorum species per aëra visae (*g*), asylum Veneri dicatum a Syris Atergatis vel Derceto dictae (*h*).

Merito propterea historicam horum librorum auctoritatem tot intimis externisque argumentis communitam certissimam asserimus, imo accedente Patrum, Conciliorum, totiusque Ecclesiae suffragio (*i*), utrumque divinorum librorum canoni cum Catholicis annumeramus.

(*a*) Cf. ib. 21 cum Polyb. l. XXVIII, c. 10.

(*b*) Cf. ib. 44, 47 cum Deuter. XIX, 15-19.

(*c*) Cf. ib. 47 cum Coloss. III, 11.

(*d*) Cf. VI, 7 cum Gen. XL, 20, Os. VII, 5, Matth. XIV, 6, Herod. I, 133, IX, 110, Brisson. op. cit. tom. I, p. 42, tom. II, p. 70, coll. 135, Paulsen, op. cit. p. 232.

(*e*) Cf. ib. 19 graece cum Hebr. XI, 35; VII, 1 cum Act. Ap. XVI, 22, 37, XXII, 25; VII, 4 cum II. Reg. IV, 12, Ezech. XVI, 40, XXIII, 46, 47, Luc. XII, 46, Diod. Sic. l. XVII, c. 83, Am. Marcell. l. XXX, c. 8; VII, 5, coll. XIII, 5-6 cum Dan. III, 20-21, Valer. Max. l. IX, c. 2.

(*f*) Cf XIV, 4 coll. I. Mach. X, 29, XI, 35, XIII, 37 cum Polyb. l. XXII, c. 17.

(*g*) Cf. V, 2-4, X, 29-30, XI, 8 cum Ioseph. de bello Iud. l. 6, c. 5, § 3.

(*h*) Cf. XII, 26 graec. coll. V, 43 cum Plin. hist. nat. l. V, c. 14, 19, 23, Diod. Sic. l. II, c. 4, Strab. l. XV, p. 748, 765, et sup. pag. 593, not. (*c*).

(*i*) Ex Patribus singulariter illos laudarunt aut adhibuerunt Origenes ap. Euseb. hist. eccl. l. VI, c. 25, l. II, de principiis c. 1, n. 5, Exhort. Martyr. n. 22-28, l. de orat. n. 11, com. in Ex. X, 27, in l. III in Cant., in Ioh. tom. XIII, 52, in c. V ep. ad Rom. c. 4, Can. Apost. c. c. LXXXIV, Tertullianus de praescript. c. 13, l. contr. Iud. c. 4, Clemens Alexandr. Strom. l. I, p. 392, l. V, p. 705, ed. Potter, Athanas. in ps. LXXXVIII, Hilar. in ps. CXXV, n. 4, CXXXIV, n. 25, Cyprianus ep. ad

Quum ex hactenus disputatis manifestissime pateat quam veram suorum temporum imaginem duo Machabaeorum libri exhibeant, quantum propterea praesidii inde eruendum sit ad coaequalem illius aetatis historiam illustrandam; mirum sane est tantum potuisse opinionem, quam de libris *canonicis* in universum, speciatim vero de prodigiis atque dogmatibus duobus hisce voluminibus comprehensis *Protestantes* praeiudicaverant, ut non modo illos neglexerint atque contemserint, sed ad haec usque tempora fabulis mythisque, maximam partem, annumeraverint. At enim, *Rationalistarum* nonnulli pro liberiori scholae ingenio, ac maiori eruditionis studio, priori saltem aequiores iamdiu se praebuerunt (*a*); nec operosum erit difficultates quas ipsi contra alterum, morosiores vero contra utrumque adhuc excitant (*b*), expedire. Obiectant scilicet temporis rationes adeo perversas ut unus liber cum altero pugnet: hic enim biennio, illic triennio sacra legitima in-

Fortunat. de exhort. martyr. c. 5, 11, Testim. ad Quirin. l. III, c. 4, Hippolytus, de Antichristo l. I, c. 29, Euseb. praep. evang. l. VIII, c. 9, l. XII, c. 3, Lucifer Calarit. lib. de non parcend. in Deum delinq. t. IV. Bibl. PP. p. 231, Ambros. de Iacob, et vita beata l. II, c. 11, offic. l. I, c. 40, 41, lib. II, c. 29, idem vel alius in prol. ad hist. de excid. Hieros. tom. V. Bibl. PP. p. 1123, August. de cura ger. pro mortuis c. I, n. 3, ep. CCIII ad Dulcit. n. 6, seq., l. I, contr. Gaudent. Donat. n. 37, de civ. Dei, l. XVIII, c. 36, Hieron. comm. l. V in Is. c. XXIII, in Dan. c. XI, in Zach. c. X, ep. ad Chrom. Iov. et Eusebium, Isid. Hisp. orig. l. VI, Cyrillus Alexandr. in Ioel. c. I. Aliosque plures vide apud auctores sup. pag. 466, not. (*g*) citatos; generatim vero Patres, versiones, atque Concilia pag. 466-72 memorata.

(*a*) Michaëlis, annotat. in I. Mach. III, 28, seq., XI, 38, seq., Eichhorn, op. cit. p. 230, 242, Bertholdt. op. cit. p. 1078.

(*b*) Michaëlis, annotat. in I. Mach. VI, 30, X, 39, Eichhorn. op. cit. p. 221, 225, 230-233, 235-246, 255-258, 263-270, Bertholdt. op. cit. p. 1057-60, 67-69, Hasse, op. cit. p. 302, 307, 314, seq., 319-20, seq., Iahn, Einl. II Th. IV Abschn. S. 961-62, Wernsdorff, de fide libb. Mac. p. 18-37, 101, de Wette op. cit. § 303.

termissa perhibentur (*a*): nunc, sub regno Eupatoris, brevi post cladem Gorgiae, Timotheoque illatam, temploque iamdiu lustrato; nunc anno interiecto, regnante tamen Epiphane, templo necdum expiato, Lysias Iudaeis bellum legitur intentasse, eaque permiscentur, quae sub alterutro tantum rege acta sunt (*b*): modo Bacchides una simul cum Timotheo, modo biennio post, regnante Demetrio, solus contra Iudaeos pugnans inducitur (*c*). Generatim vero liber posterior eventus quosque anno quam prior recentiores facit (*d*); imo nec secum ipse consentit: absurdum nempe Palaestinenses nonnisi anno uno et vicesimo post templi purificationem ad hoc festum celebrandum fratres Ægyptios datis litteris excitasse, in quarum una sub mitissimo Demetrii imperio, de gravissimis malis iamdudum sub Antiochi Epiphanis tyrannide toleratis conqueruntur (*e*); altera vero Iudae nomine inscribitur, iam aliquot ante annos defuncti (*f*), quique singula vel novissima gestorum acta collegerit, Ægyptiorum ad votum etiamtum transmittenda; ambae tamen vix Syris fugatis (*g*), temploque lustrato, instante consecrationis die (*h*) missae dicuntur: rursus Antiochi Eupatoris et Demetrii expeditiones in Iudaeam triennio fuisse distinctas, cum unus tantum intercesserit annus (*i*). Atqui non modo temporum, sed rerum etiam rationes falsae, turbatae, aut exaggeratae sunt: falso nimirum Alexander

(*a*) Cf. II. Mach. X, 3 cum I. Mach. IV, 52, 54 coll. I, 21, 30.

(*b*) Cf. ib. X-XI, 15 cum I. Mach. IV, 28-34, VI, 17-60.

(*c*) Cf. ib. VIII, 30 cum I. Mach. V, 6, seq., VII, 8, seq.

(*d*) Cf. ex. c. I. Mach. VI, 16, 20 cum II. Mach. XI, 33, XIII, 1; I. Mach. VII, 1 cum II. Mach. XIV, 1-4.

(*e*) Cf. II. Mach. I, 7 cum X, 1-8 coll. XI, 21, 33, 38, XIII, 1, I. Mach. IV, 52, XI, 19-52.

(*f*) Cf. ib. 10 cum I. Mach. IX, 3-18.

(*g*) Cf. ib. 12 cum I. Mach. IV, 36-37.

(*h*) Ib. 18, II, 16.

(*i*) Cf. II. Mach. XIV, 1 cum XIII, 1, seq., XIV, 4, seq.

primus post Darium Graeciae imperavisse traditur (*a*), quandoquidem Darius nunquam, ante Alexandrum vero plures iam in Graecia regnaverant; minime vero regnum inter sodales divisit qui horum strenuissimum sui successorem designavit (*b*), septemque illorum tantum, non omnes, regium sibi diadema post eius obitum imposuerunt (*c*). Item Nehemias templum haudquaquam aedificavit (*d*); nec Elymais Persidis urbs (*e*), sed provincia; neque in Persiam (*f*), sed in Babyloniam Iudaei deducti sunt; neque insulae Antiocho auxilia mittere potuerunt (*g*), quippe Romanis subiectae; nec ab istis M. Antiochus captus est, aut Medis et Indis unquam imperitavit (*h*). Absona porro ac secum invicem pugnantia sunt quae sequuntur: Epiphanes scilicet modo Nanaeae, modo Persepolis fanum frustra exspoliare conatus, nunc Elymaide aufugiens Babylonem revertitur, interim tamen in Perside ob acceptam Lysiae cladis notitiam moerore consumitur; nunc in templo Naneae lapidum iactu conficitur; nunc Persepoli Ecbatana contendit quo viciniae tristi suorum caedis nuntio exaudito, Iudaeam properaturus e curru deiicitur, ac viscerum dolore correptus, datis ad Hebraeos supplicibus litteris, proximis in montibus miserrime perit (*i*); Iudas cum paucis, iisque inermibus Syrorum exercitum ad Emmaus fusum, usque ad Idumaeam duorum inde dierum itinere dissitam persequitur, rursusque alterum eorum

(*a*) I. Mach. I, 1 graece.
(*b*) Cf. ib. 6-7 cum Diod. Sic. l. XVII, c. 117, l. XVIII, c. 1.
(*c*) Cf. ib. 9-10 cum Diod. Sic. l. XX, c. 53, Iustin. l. XV, c. 2.
(*d*) II. Mach. I, 18.
(*e*) I. Mach. VI, 1.
(*f*) II. Mach. I, 19.
(*g*) I. Mach. VI, 29.
(*h*) Ib. VIII, 7-8.
(*i*) Cf. ib. VI, 1-16, cum II. Mach. I, 13-16, utrumque vero cum II. Mach. IX, 1-28.

agmen eadem die profligat, eiusque castra praedatur (*a*); praelium quo Eleazar strenue mortem oppetiit, modo ad Iudae austrum prope Bethsuram, modo septentrionem versus circa Modinum commissum est, et modo Eupatori, modo Iudae victoria adiudicatur, imo hunc ille exceptum amice *a Ptolemaide usque ad Gerrenos* principem constituit (*b*); legatorum nomina diversa sunt, et nunc a Iuda, nunc a Iasone Romam mittuntur (*c*); modo demum cum pauca, modo cum multa armatorum manu Demetrius Tripolim appellit (*d*); similiter incredibilis Iudaeorum et Spartiatarum cognatio, inauditum regis, omissumque ephororum ac senatus nomen, hebraicaque dictio in eorumdem ad Hebraeos epistola (*e*); amoris significationes laudesque fidelitatis, quibus novennis Epiphanes rebelles tunc Hebraeos prosequitur in utraque epistola, una ad Lysiam, altera ad hos ipsos missa; paxque composita, nunquam servata (*f*); aeraque Seleucidarum a Romanis suis in litteris usurpata (*g*) horum documentorum fidem subvertunt. Denique, non solum onus elephantum cuique superimpositum (*h*), militum atque caesorum numerus (*i*), locorum distantia (*k*), suppliciorum immanitas, martyrumque constantia (*l*) exaggerantur, sed universim poëticis coloribus eventus depinguntur (*m*), nar-

(*a*) I. Mach. IV, 6-25
(*b*) Cf. ib. VI, 31-49 cum II. Mach. XIII, 14-24.
(*c*) Cf. ib. VIII, 17 cum II. Mach. IV, 11.
(*d*) Cf. ib. VII, 1 cum II. Mach. XIV, 1.
(*e*) Ib. XII, 2-23, II. Mach. V, 9.
(*f*) II. Mach. XI, 22-23.
(*g*) Ib. 34-38.
(*h*) I. Mach. VI, 37.
(*i*) Ib. V, 34, VII, 46, II. Mach. VIII, 16, 24, coll. I. Mach. IV, 6, 15; II. Mach. VIII, 20, X, 31, XII, 19, 20, 26, 28, XIII, 2, coll. I. Mach. VI, 30.
(*k*) II. Mach. XI, 5, XII, 17.
(*l*) Ib. VI, 18-31, VII, 2.
(*m*) I. Mach. I, 25-29, III, 1-9, 45, seq. etc., II Mach. III, 14-22, V, 9, 11-16, IX, 5 etc.

ratio Graecorum instar fictis sermonibus atque orationibus (*a*), fabularibus rumoribus (*b*), portentosis visis (*c*), somniisque (*d*) referta est, atque a Flaviana saepe dissentit, quae omnia historicam veritatem perimunt vel multum extenuant: proindeque et divinam necessario labefactant auctoritatem, quam ceterum elevarent (missa contraria Hebraeorum et discordi Christianorum sententia) profana Iasonis conditio, breviatoris excusatio (*e*), αὐτοχειρίας (sui caedis) vanitatis aut indignationis ergo susceptae (*f*), perduellionis, foederisque cum Ethnicis icti (*g*) commendatio, stulta persuasio de calamitatum causa hominum sceleribus iugiter assignanda (*h*), graviorumque reis iamque defunctis, sacris adhuc expiandis (*i*), cum tamen vivis adhuc et poenitentia ductis venia denegetur (*k*), absurdaque placita de Omnipotentis virtute aeonis instar spatio quodam circumscripta (*l*), vel mundo extranea, cumque per alios tantum visibiliter versante (*m*).

Haud multis haec dissolvuntur. Sacra triennium intermissa nullibi legimus, sed Epiphanem an. CXLIII templum diripuisse, postque biennium tributorum praefectum delegasse, qui urbem vastavit, templumque polluit anno CXLVIII

(*a*) I. Mach. II, 17-22, 33-34, 49-68, III, 18-22, 50-53, 58 60, IV, 8-11, 17-18, 30-33, VI, 10-13, 22-27, 57-59, VII, 37-38, 41-42, IX, 44-46, XIII, 3-6, 8-9; II. Mach. VI, 24-26, 30, VIII, 2-4, 14-15, 16-20, XIV, 35-36, XV, 22-24.

(*b*) II. Mach. I, 18 - II, 1-8.

(*c*) Ib. III, 25-39, V, 2-3, X, 29-30, XI, 8.

(*d*) Ib. XV, 12-16.

(*e*) Ib. II, 27-29, XV, 39-40.

(*f*) I. Mach. VI, 43-46, IX, 10, II. Mach. XIV, 41-46.

(*g*) Ib. II, 18, seq., VIII, 23, seq.

(*h*) II. Mach. V, 17, XII, 40.

(*i*) Ib. XII, 40-46.

(*k*) Ib. IX, 13.

(*l*) Ib. III, 38-39.

(*m*) Ib. 24, 29, 30, XIV, 15.

restitutum: fac igitur Antiochum sub finem anni CXLIII Ierusalem adventasse, expletoque dein integro biennio (μετὰ δύο ἔτη), sub initio scilicet an. CXLVI Apollonium misisse; aliquot interim mensibus itineri, insidiis, moeniis subruendis, urbi viciniaeque vastandae, arcisque munitionibus insumtis, templi profanatio in diem XXV mensis noni (Casleu), instauratio biennio post in eumdem mensem, eamdemque diem optime competit (*a*). Lysias anno postquam Gorgias a Iuda bello superatus est, et ipse cladem accepit, quam silet auctor II. Machabaeorum, altera tantum commemorata quae paullo post, templo interim purgato (*b*), Epiphaneque defuncto, priorem consecuta est, a scriptore I. Machabaeorum rursus praetermissa (*c*); uterque igitur liber secum invicem consistit, sed etiam alter alterum complet ac perficit: de cetero, quod breviator rerum potius affinitatem quam temporum seriem secutus, nonnulla quae Epiphanis interitum praecesserunt, ne tenorem narrationis abrumperet, inferius digesserit; haud magis propterea culpandus quam quod Timothei et Bacchidis gesta paucis perscripturus, quippe exiguo intervallo distincta, una simul compegerit. Diversa porro in utroque libro temporis computandi ratio, eo ipso quod constans atque perpetua, non sine causa assumta esse videtur, quae profecto varia et multiplex suppetit; puta quod scriptorem unus vere, alter autumno annum inchoaverit (*d*); hic aeram Seleucidarum (*e*) ab anno a. Chr. CCCXI, ille a proxime

(*a*) Cf. I. Mach. I, 21, 30-39, IV, 52, 54 cum II. Mach. X, 3.

(*b*) II. Mach. X, 25-26.

(*c*) Praelii tamen renovatione praenuntiata, cf. I. Mach. IV, 35 cum II. Mach. XI, 1, seq.

(*d*) Petavius, de doctr. temp. l. X, c. 44, Froelich, op. cit. p. II, c. 2.

(*e*) Haec nomen et initium sumsit a Seleuco Nicatore qui anno I Olympiadis CXVII, *primus Syriae et Babyloniae regnavit* (Euseb. Chron. ap. Hier. tom. VIII, p. 540, ed. Vallars.), hac scilicet capta, Nicanore superato, Media, Susiana, aliisque provinciis in sui ditionem redactis

superiori exorsus sit (*a*), vel duplex haec discriminis causa simul concurrerit (*b*). Verum quum prima positio infirma sit, tum quia uterque scriptor ad sacrum Iudaeorum annum, a vere utique incipiendum, tempora digessisse videtur (*c*); tum etiam quia secus eventus autumno et vere intermedii eiusdem anni ambitu continerentur, quod contra est; proindeque et tertia sumtio priori annixa sublabatur (eo vel maxime quod sesquianni diversitas ceteroquin inducenda nusquam appareat), restat ut secundae multum sane probabili (*d*) acquiescamus, quae utriusque libri diversitatem ad unitatem commode reducit. Iam enim nulla pugnantia in eo est, quod aliquod temporis spatium intercesserit, antequam Palaestinenses, domesticis primum intenti, multisque sane curis distracti atque impediti, de

Graecorum in Asia imperium fundavit; unde *Graecorum* * etiam, sive *Assyriorum* (cf. I. Mach. I, 10 cum Ios. Ant. l. XIII, c. 6, § 6), sive *Alexandrina*, ab Arabibus vero تاريخ ذو القرنين *aera bicornis* dicta est, quia ut praesumtus Ammonis filius, ita huius successor Seleucus in numis cornutus passim repraesentabatur (v. Froëlich., op. cit. tab. II Seleuc. Nicat. n. 1, tab. III, n. 29); ab Hebraeis vero, quippe in contractibus communiter adhibita, מִנְיַן שְׁטָרוֹת *aera contractuum* nuncupata.

(*a*) Scaliger, de emend. temp. l. II et V primae edit., Eichhorn, op. cit. p. 234, Bertholdt, op. cit. p. 1079, Noris, Epochae Syro-Macedonum diss. II, c. I.

(*b*) Winer, Realwoerterbuch, I, S. 628.

(*c*) V. sup. pag. 595, not. (*e*).

(*d*) Cum enim Babylonia anno CCCXII a. Chr. a Seleuco Nicatore capta (cf. Diod. Sic. l. XIX, c. 90-92, Appian. in Syriacis LIV 60-65), eodem vertente iterum amissa sit, vereque sequenti recuperata (Diod. XIX, 100, Plutarch. Demetr. n. 7), nonnisi hoc altero anno aeram Chaldaeos inchoasse multorum opinio est (Khell, Auctoritas etc. p. 129, seq., Iahn, Archaeol. B. II, I. Th. S. 328-29); saltem hinc primum inchoandam Iason, eiusque breviator existimare potuerunt; integrum siquidem cuique novam computandi rationem inire, dummodo quam semel viam ingressus est, fideliter insistat.

* Hoc tamen nomine alia plerumque intelligitur novemdecim ante annos, a Dario scilicet devicto exorsa, cuius propterea annus CLVI competit cum CXXXVII aer. Seleuc.; quare qui regni Epiphanis exordium alterutri assignant, verbo, non re dissentiunt. Cf. I. Mach. I, 11 cum Euseb. Chron. ad olymp. CLI.

externis ad eiusdem festi communionem adhortandis cogitaverint, vel eorum incuriam resciverint (maturius enim inadmonitos ex superioris epistolae allegatione nequaquam conficitur); imo valde verisimile est eorumdem indiligentiam semel, iterum, ac tertio excussam fuisse; nec sane sub ancipiti Demetrii administratione (*a*) antiquarum aerumnarum (*b*) recordatio intempestiva. Iudas autem qui in altera memoratur neutiquam Machabaeus (*c*), sed vel Iudas Essenus (*d*), vel Hyrcani cognatus, eiusque ad tempus vicarius (*e*), vel eiusdem filius (*f*), aut alius quivis censendus est; hoc enim cognomentum omni aetate apud Hebraeos frequentissimum fuit: Machabaeus vero, siquidem actorum collector habendus (*g*), coaeva tantum congessisset; neutra ceteroquin epistola primordialis, sed anniversariae solemnitatis occasione missa est (*h*). Triennium demum non a pace Iudam inter et Antiochum pacta, sed ab huius regni exordio computandum est; scilicet a primo vere anni CXLVIII, unde ad aestatem adultam CL duo integri anni expleti sunt (*i*), tertioque decurrente, haud insuete (*k*) id temporis spatium triennio scriptor significavit.

Nec minus apte cetera componuntur. Alexander Dario succedens non modo eius imperium occupavit, sed omnium

(*a*) Cf. I. Mach. XI, 53.

(*b*) Harum tantum memoriam epistolae auctores ignaris vel obliviosis repetere voluisse patet ex I, 7 coll. cum IV, 7, seq.

(*c*) Uti Cano et Bellarmino placuit ap. Serar. op. cit. p. 512.

(*d*) Serarius ib. 513, v. sup. pag. 585, not. (*d*).

(*e*) Dereser, u. Scholz, die heil. Schrift, II Th. IV B. S. 212.

(*f*) Corn. a Lap. comm. in II. Mach. I, 10.

(*g*) V. sup. pag. 585, not. (*d*).

(*h*) Quod ad primum v. sup. not. (*b*); quod ad alterum cf. I, 18 ubi festum purificationis cum altero ignis haud recenter inducto coniungitur.

(*i*) Cf. I. Mach. VI, 16, VII, 1, coll. II. Mach. XI, 33, XIV, 4, v. sup. pag. 607, not. (*d*).

(*k*) Cf. sup. pag. 305, not. (*b*). Haud alia ratione triduum de Christi morte Evangelistae intellexerunt Matth. XXVII, 63, Marc. VIII, 31.

primus Graeciam universam tenuit, sive hoc nomine totam Asiam intelligas, seu pressius Ægyptum et Syriam, subinde Graecorum regnum מַלְכוּת יָוָן ab Hebraeis passim nuncupatas, seu demum Graeciam proprie dictam (*a*), quam inter plures antea principes distributam, ad monarchiam ipse redegit, primus regis titulo honestatus (*b*); cumdem de regni successore testamento cavisse affirmant multi (*c*), quique negant, fatentur tamen contrariam opinionem pluribus insedisse (*d*); certe de nulla alia re quam de Alexandri exitu magis diversi antiquissimi scriptores exstiterunt (*e*); quo igitur iure nostrum falsitatis aut imprudentiae recentiores damnarent, ubi, non tam suam quam coaequalium persuasionem secutus, Alexandri testamentum allegasset? Aliter tamen res se se habet; ait nempe regnum inter sodales Alexandrum divisisse, quod verissimum: nullo enim successore designato, cum regni administrationem inter consocios variis provinciis praefectos se vivo distributam, post mortem porro perennandam suprema, tacita licet, voluntate probavisse visus est (*f*); tum singulorum ambitionem praesentiens, aequam omnibus integram dein im-

(*a*) Hoc confirmatur ex I. Mach. VI, 2 graeco, ubi Alexander *primus inter Graecos* πρῶτος ἐν τοῖς Ἕλλησι dicitur regnavisse; perperam idcirco nonnulli I, 1 graec. legendum putarunt πρότερον loco πρότερος commate praescripto, ita ut hic sensus exsisteret; Alexander qui Darium percussit atque in eius locum successit, Graeciae *antea* imperitabat.

(*b*) Sane titulus βασιλέως *regis* quem pleraque Alexandri numismata exhibent, in antiquioribus regum Macedonum nummis desideratur.

(*c*) V. Diod. Sic. lib. XX, c. 81. Chronographi Alexandrini collectanea ap. Scaligerum.

(*d*) Curtius lib. X, c. 10.

(*e*) Arrian. Exped. Alex. l. I, c. 1, l. VII, c. 27; cf. Khell, Auctoritas etc. p. 173-175.

(*f*) Quare Perdiccas, quem Macedones proptereaquod Alexander moriturus anulum eidem tradiderat, regni procuratorem agnoverunt, provinciarum dominium iis assignans, quibus antea administratio fuerat a rege commissa (Diod. Sic. l. XVIII, c. 2, Iustin. l. XIII, c. 4, Curt. l. X, c. 13), ex praesumta huius voluntate fecisse censendus est.

perii successionem capessendi facultatem fecisse, dum eorum fortissimum heredem praedixit, neque tamen nominavit; indeque illum de Alexandri testamento rumorem repetendum esse censerem: interea socii omnes a regia sibi maiestate vindicanda tamdiu abstinuerunt, *quoad Alexandro iustus heres fuit* (*a*); nullo superstite, aemulis plerisque mutuis inter se bellis exstinctis, reliqui omnes regios honores affectarunt. - Nehemias templum purgavit (*b*), fortassis etiam munivit, instauravit, quae sub aris acceptio vocis οἰκοδομεῖν = בָּנָה aedificare (*c*). Elymais Persiae provincia; at verum quid vetat graecum vocabulum πόλιν, latinum *civitatem* de regione interpretari, quo sane sensu a graecis latinisque scriptoribus passim usurpantur (*d*)? ni hanc acceptionem probaveris, interpretis erratum historico ne tribuito. Persiae nomen post Cyri aetatem non modo Assyriam, Chaldaeam et Mediam quo Hebraei abducti ac dissipati, sed omnes regiones Persarum dominationi subditas, maximam nempe Asiae partem a Caspio mari ad Mediterraneum, ab Euxino ad Indum proiectam (*e*) generali significatione complectebatur. - Milites ab insulis Eupator conducens a conditionibus fugit, in quas pax Ro-

(*a*) Iustin. l. cit.

(*b*) Neh. XIII, 7, seq.

(*c*) V. sup. pag. 398, not. (*g*).

(*d*) V. Schleusneri Lexicon in LXX ad v. πόλις: ita sane haec vox in versione LXX iuxta codicem Chisianum (Dan. XI, 24) intelligenda est, ubi respondet vocabulo מְדִינָה, quod Hebraeis regionem, provinciam, Arabibus et Syris urbem insuper significat; atqui auctor I. Machabaeorum syro-chaldaice scripsit; ergo ambiguum vocabulum interpres ambigue reddidit, aut male interpretatus est. Quidni etiam Elymais eadem ac Persepolis (II. Mach. IX, 2) censenda sit? עֵילָם enim Persiam universam aliquando designat (v. Gesen. Lex. ad v.), quare hebraicum Elam = Elymais tantumdem significare potest atque graecum Περσήπολις Persepolis, Persiae nempe urbem κατ' ἐξοχὴν h. e. nobilissimam; haec Froelichii sententia op. cit. p. 34.

(*e*) V. sup. p. 552, nott. (*c*), (*d*).

manos inter et Antiochum M. convenerat (*a*); verum non miramur ethnicum regem fefellisse fidem quam, ubi expediat, non raro frangunt Christiani; vel insulanos iugum recens impositum excussisse, Romanos autem patienter id tolerasse opportunam belli instaurandi occasionem quaesituros. M. Antiochi captivitatis nemo alius expressam intulit mentionem, quia nempe praelio, aut Sardis (quo se victus recepit, undeque, urbe a Romanis mox occupata, Apameam discessit) ad breve captus, illico sua suorumve virtute, aut pactis durissimis conditionibus ibidem allegatis, aut custodibus pretio corruptis, Scipionisve haud infensi mandato conniventibus evasit; eventus sane a Romanis scriptoribus (*b*) silentio commode praetereundi. - Ut Persidis, ita Mediae, Indiaeque nomina latissime saepe atque indefinite veteres adhibuisse novimus, ita ut non modo finitimos, sed vel remotissimos inde tractus, si forte coloniae olim eo deductae, designarent; sive igitur Indiae nomine Cariam intelligas, cuius flumen, Plinio et Livio testibus, Indus etiam dictus est (*c*), Mediam autem in Phrygia quaesiveris ubi Plinius Midacos (*d*) posuit (quae regiones Eumenis ditioni proximiores, ut eidem adiungerentur maxime videntur accommodatae); sive Mediam proprie

(*a*) Diod. Sic. fragm. l. XXIX, c. 8, Polyb. l. XXI, c. 13-14, XXII, c. 7.

(*b*) Scipione nimirum in epistola a Memnone producta, Trogo, eiusque breviatore Iustino, Livio, qui tamen epit. l. XXXVIII Scipionem, bello confecto, in ius vocatum fuisse tradit, *eo quod praeda cum* (alii legunt *ex*) *Antiocho capta aerarium fraudaverit*; ceterum multas Polybii historiae particulas tempus nobis invidit, perperam propterea adversarii a profanae antiquitatis silentio argumentantur.

(*c*) Plin. hist. nat. l. V, c. 29, Liv. l. XXXVIII, c. 14. V. Harduini, Chronol. in V. Test. et notas ad laud. Plinii locum, Froelich, Annales, p. 33, cum quibus verbo discrepant, re tamen ipsa consentiunt Grotius et Drusius, qui contra codicum atque versionum fidem pro Indis et Medis Iones et Mysios legendum putarunt.

(*d*) Plin. hist. nat. l. V, p. 195 ed. Harduini.

dictam, Indiamque citeriorem; illi siquidem Antiochus Molonem praefecerat (*a*), ceteros vero superiorum regionum satrapes ad Indum usque, celeberrima expeditione, sui imperio subiecerat (*b*) (quare in eiusdem exercitu contra Romanos educto milites Medi, et indici elephantes numerantur (*c*)); profecto historici veritas nullis contrariis documentis subruitur, imo novissime repertis confirmatur quae intimam Seleucidarum cum *Buddhisticis* Indiae regibus necessitudinem testantur (*d*). De reliquo scriptoris fides, posita etiam horum factorum falsitate, nullatenus periclitaretur, quandoquidem non certa sibi atque explorata tradit, sed quae Iudas olim audiverit (*e*) fideliter exponit; falsos porro rumores, prout afferebantur, ita referre historici interdum officium est. - Quod etiam apprime cadit in Antiochi exitum aliter, ut praefertur, a Iudaeorum senatu atque a Iasone, necnon a profanis scriptoribus enarratum; suscipiamus enim litterarum auctores vel memoria lapsos, vel quoquomodo deceptos quae de Antiocho M. narrantur (*f*) praeter veritatem, neque tamen praeter verisimilitudinem (quae gemina parentis, filiique indoles atque impietas) Epiphani accommodasse, noster authenticas horum litteras breviario opportune praemittens re-

(*a*) Polyb. l. v, c. 41-54.

(*b*) Id. l. xi, c. 34.

(*c*) Liv. l. xxxvii, c. 40.

(*d*) Inscriptiones scilicet sermone *palico* in rupibus, columnis ac subterraneis Indiae templis a Prinsepio et Lassenio declaratae. V. Scholz, Einl. B. i, § 217.

(*e*) i. Mach. viii, 1-17. Idipsum igitur de suprema auctoritate unico magistratui a Romanis concredita (ib. 16) sentiendum foret, nisi alternum imperium unicum aequipararet, et ex v. 10 colligeretur imperatorias potius partes uni consulum in expeditionem proficiscenti demandatas significari, quae profecto exterorum praecipue intererant.

(*f*) Strabo l. xvi, p. 744, Diod. Sic. fragm. l. xxix, n. 11, Iustin. l. xxxi, c. 2.

ligioni habere debuit easdem hac ex parte emendare (*a*), eo vel maxime quod germanam eventus narrationem mox esset ipse subiecturus (*b*). Verum quominus illa de Epiphane intelligamus vetat temporis ratio, quandoquidem anno CLXXXVIII, quo illae datae sunt, Hebraei adversus *talem* (recentis nempe memoriae) regem nuper praeliati, eodemque cum ingenti exercitu in Persidem divinitus educto, ibique interfecto, *magnis periculis* commodum videntur *liberati* (*c*); quod profecto praeter Sidetem, ad Parthos circa ea tempora (*d*) profectum, ab iisque inter-

(*a*) Exinde epistolae *authenticitas* et breviatoris sinceritas magis magisque appareret.

(*b*) Haec Bergierii, Dict. Théol. art. Machabées, Iansennsii Herm. S. § 171, n. 415, Ackermanni Introd. § 252, Weltii Einl. S. 45-46, aliorumque sententia.

(*c*) II. Mach. I, 10-13.

(*d*) Antiochum Evergetem Soterem etiam, Eusebem, vulgo vero Sidetem a Sida Pamphyliae urbe ubi fuerat eductus, nuncupatum, expeditione in Parthiam seu Persidem (haec enim vocabula promiscue a veteribus usurpantur) anno CLXXXIII suscepta, ibidem cum exercitu deletum fuisse certum est: at mortis genus incertum. Alii enim hostium ferro peremtum (Diod. fragm. l. XXXIV, n. 7, Iulius Obsequens libello de prodigiis, Iustinus l. XXXVIII, c. 10, Ios. Ant. l. XIII, c. 8, § 4, Euseb. Chron. Arm. I, 349), alii vino crapulaque confectum (Athen. V, 210, X, 439, coll. Iustin. l. cit. n. 2-4, Val. Max. l. IX, c. I, § 4) perhibent; sunt qui eumdem violentas sibi manus intulisse (Appianus in Syriac. LXVIII, 39) aut ex alto praecipitem se dedisse (Ælianus, de animal. X, c. 34) tradant: in tanto igitur historicorum dissensu (qui exinde repetendus videtur quod Demetrius II turpem fratris Antiochi exitum modis omnibus occultare studuerit), diversa nostri narratio haud incredibilis, imo propter hereditariam Seleucidarum aviditatem (v. sup. pag. 597, not. (*e*)) satis etiam probabilis. Quamquam enim Sidetes εὐσεβής *pius* etiam audivit, utpotequi pietatem interdum ostentabat, a multis propterea laudatus, a Iosepho cumprimis (l. cit. § 3) regum assentatore, suaeque gentis, quam insociabilem vocat, iniquo censore; nihilominus tamen a templis, salva religionis specie (divinarum scilicet nuptiarum praetextu), depeculandis quis alienum crediderit? Quanto autem discrimine huius interitus Hebraeos liberaverit exinde patet, quod ille qui Ierusalem antea obsederat, minasque

emtum (*a*), in alium neminem quadrat (*b*). Hoc autem

murorum diruerat, Iudaeos armis spoliaverat, vectigalibus emunserat, discessurus autem duces ad eos coërcendos ac debellandos reliquerat (I. Mach. XV, 38-41, Ios. l. cit., Diod. Sic. fragm. lib. XXXIV; n. 3), si victor ex Parthia rediisset, Iudaeorum defectionem, et clades a Simone et Iuda Cendebaeo allatas (ib. XVI, 1-10) acerbe profecto fuisset ulturus: e contrario fracto nunc atque acciso, caede Sidetis eiusque exercitus (CXX hominum millium constantis iuxta Porphyr. ap. Euseb. loc. cit.), Seleucidarum dominatu, Iudaeis Ægyptiis Lagidum favore utentibus, plurima libertatis spes affulgebat, quae praesentem laetitiam, et opportunam confratrum Ægyptiorum necessitudinem, litterarum commercio rituumque societate instaurandi occasionem suppeditabat.

(*a*) A. 144 regnum exorsus, iuxta Porphyrium atque Eusebium l. cit., IX tantum annos regnasset, proindeque CLXXXII iam occubuisset; at enim cum numi supersint eius nomine inscripti, atque annis CLXXXIII, IV, V, VI procusi, nullus vero successoris Antiochi Gryphi annum CLXXXVII excedat (cf. Eckhel, doctrina num. vet. t. III, p. 236, Froelich, Annales, tab. XI, n. 27, 28, Sylloge, num. vet. p. 8), superiori Sidetem excessisse, proindeque biennio tantum ante datas litteras, merito colligimus.

(*b*) Nobiscum faciunt veterum ac recentiorum plurimi Rupertus, Medina, Serarius, Tirinus, Menochius, Fullonius, A Lapide, Tourneminius, Froëlichius, Khellius, Scholzius. Alii e diverso, quos inter ex antiquis D. Thomas, Hugo a S. Caro, Canus, Pererius in c. X Danielis, Bellarminus, de verbo Dei l. I, c. 15, ex iunioribus Calmet, Marchini, ex novissimis Vincenzi (op. cit. P. III, p. 125-130), cui adstipulatur Glaire (Les Livres S. Vengés ch. XVII, art. IV), Epiphanem intelligunt, remque ita explicant, ut non ipse sed eius dux lapidibus in templo fuerit obrutus, ipse vero incolumis, at exterrefactus, evadens metu, dolore, letali dein casu consumtus, post paulo, vitam amiserit. At rationes productae attentum lectorem non persuadebunt: aiunt enim, ducem ἡγεμόνα a rege βασιλεῖ distinguendum, utroque templum ingresso, post paullulum regem hinc exeuntem ad templi ambitum accessisse, tunc templi foribus clausis, ducem cum reliquis lapidibus contusos, membratimque caesos fuisse. Verum praeterquamquod de hoc Epiphanis duce in Persiam profecto, nemo aliquid unquam audivit, eumdem haud alium rege fuisse patet ex II. Mach. I, 11, ubi Hebraei contra regem dimicavisse dicuntur, qui v. 12 divinitus cum immani exercitu in Persidem actus (merito propterea *dux* hoc loco nominatur) a Naneae sacerdotibus deceptus est; siquidem quum Antiochus amicorum comitatu (neque enim uti *dux cum ingenti exercitu* (v. 13) ad templum venerat) *ad locum*, sacrum nempe, devenisset,

posito, cetera quae ad Epiphanem spectant facile complanantur: nam Naneae templum utique in Elymaide situm est, sed haec eadem ac Persepolis haberi potest (*a*); alioquin utriusque urbis fanum regem cupidissimum exspoliare voluisse non dubitarem; hic igitur spe sua frustratus Babylonem per Ecbatana indignabundus revertitur; interim Persiae fines nondum egressus (*b*), audito suum in Iudaea exercitum profligatum, ira percitus, iter illuc maturat; at curru excussus, eius viscera casu graviter commota, vehementer inflammata putrescunt ac vermiuant; hinc, successore per litteras designato (*c*), atra iam bile tabescens, furore perinde ac ventris torminibus insanus,

pecunias dotis nomine accepturus, iisdemque prolatis, ipse cum paucis (μετ' ὀλίγων, non vero μετ' ὀλίγον *post paullulum*, quod insulsum), amicis scilicet supra laudatis, ad fani ambitum (περίβολον) * accessisset, ianuis occlusis, sacerdotes ducem desuper iaculantur, membraque abscissa et capita desecta iis qui foris sunt proiiciunt; sed enim ducem templum ingressum nullibi dicitur, apteque hic etiam ducis nomine rex iterum nuncupatur; dum enim ducem tantum nominatim legimus occisum, et ceteros qui cum eo erant pariter caesos, et qui foris remanserant horrendo obiectu in fugam praecipites versos subaudimus. Ridicule alioquin animo fingeres pecunia a sacerdotibus commodum oblata, re infecta, seorsum inde regem abiisse; illos vero in huius socios saeviisse, quos liber rex, proxime adstantium ope, confestim potuisset vindicare.

(*a*) V. sup. pag. 610, not. (*d*).

(*b*) Fugit enim Elymaide Babyloniam reversurus, ἔφυγε.... ἀποστρέψαι εἰς Βαβυλῶνα (I. Mach. VI, 5) hanc autem attigisse non dicitur; porro Ecbatana Mediae metropolis; at Persia latiori significatione hanc etiam provinciam complectebatur, v. sup. pag. 610.

(*c*) Hunc litterae scopum Bertheavius (op. cit. p. 35, seq.) attribuit, negat deprecativam fuisse; at talis rex humiliusne demissiusque loqui potuisset?

* Nam intimior aedes ὁ ναός unis sacerdotibus patebat: neque Antiochus in templum antea dicitur ingressus, secus inde in vestibulum *exeunte* ἐξελθόντος, non *accedente* προσελθόντος, neque συγκλείσαντες τὸ ἱερὸν, ὡς εἰσῆλθεν Ἀντίοχος h. e. claudentes templum ut *intraverat* Antiochus, sed ὡς ἐξῆλθεν h. e. ut *egressus fuerat* auctor scripsisset; unde apparet τὸ ἱερόν vestibulum ipsum designare; hoc autem nuspiam unquam clausum fuisse nullus dixerit.

in Ecbatanorum montibus (*a*) occidit. - Iudas cum septem hominum millibus (*b*) non inermibus, sed neque omnibus, aut optimis (*c*) armis instructis, acris tamen animi, strenuaeque virtutis, proque aris et facis decertantibus multo, plures imbelles aut mercenarios, cataphractos licet, facile debellavit, atque ad proximam Gazer (*d*) persecutus est; unde alii, Philisthaeorum nempe auxilia, Iamniam et Azotum, alii, Syri praesertim, Idumaeam profugerunt, *quo versus*, neutiquam *quo usque* a Iudaeorum ullis insectati sunt; de reliquo,

(*a*) Consentit Polybius qui (reliq. LXXXI, c. 11) eumdem Dianae templum in Elymaide frustra diripere ausum, insania correptum ob quaedam signa atque ostenta ab infenso numine propterea edita, Tabis, Persidis oppido, e vivis discessisse tradit; hoc enim medium inter utramque Ecbatanorum urbem (Medorum unam, *Magorum* h. e. Persarum alteram), in ultima Paraetacene situm est, provincia Elymaidi, Mediae, Cosseae, Mediaeque contermina, asperisque sane montibus distincta (Strab. l. XV, p. 503, l. XVI, p. 513, Ptolemaeus lib. VI, c. 4, Arrianus l. III, c. 19), iisdem fortassis qui supra *Farsistan*, *Kurdistan* ab *Irak-Adgemi* disterminant: recte propterea Epiphanes in Perside, circa Ecbatana, in proximis montibus dicitur occubuisse: quid vero signa atque ostenta, nisi maleficiorum conscientia, quae miserum regis animum diu noctuque dilacerabat?

(*b*) Nam praeter tria millia, quibus praeerat ipse, quatuor millia quingentos fratrum ducatui subiecit, cf. I. Mach. IV, 6 cum II. Mach. VIII, 16, 22.

(*c*) Verba πλὴν καλύμματα καὶ μαχαίρας οὐκ εἶχον καθὼς ἠβούλοντο I. Mach. IV, 6 aliter atque aliter reddi possunt, nimirum: *arma tamen ad tegendum, gladiosque non habebant, uti voluissent;* scilicet casside, lorica, ocreis, scuto, gladio, neque tamen hasta, telo, sagittis, fustibus destituebantur; vel, tot taliaque non habebant, quot qualiaque hostibus praesto erant, sibique opus fuisset, quod verisimilius, gladio enim hostes peremti dicuntur (v. 15); vel, secus ac isti (cf. v. 23), praeter arma ad tegendum atque nocendum nil aliud habebant, iisque contenti erant; vel demum, Iudas tria millia secum duxit, *exceptis*, vel *relictis* (πλήν subaudi ὧν = מִלְּבַד אֲשֶׁר), et quidem invitis, quibus nequaquam animus, sed arma deerant.

(*d*) Haud enim Γαζηρών alia videtur ac Gaza Ephraim prope Emmaus sita Ios. XVI, 3, XXI, 21.

una eademque die duo Syrorum agmina profligata fuisse, historico silente, merito negamus. Idem subinde Iudas, Syris Iudaeam denuo invadentibus, a Ierusalem secedens (*a*), exercitum ad Modinum cogit et lustrat, indeque Bethzacharam progressus ibidem consistit (*b*), castraque ponit; huc pariter a proxima Bethsura, quam frustra obsidione tentaverat, Antiochus adventat (*c*): praelio commisso, Iudas re fortiter gesta, hostium pluribus caesis, et longe plurimis instantibus, invictus a pugna prudenter recedit (*d*); tunc rex iterum Bethsuram obsidet, magnaque suorum iactura repellitur, propulsatur (*e*); donec annona deficiente, hoc enim anno arva quieverant (*f*), interclusoque, Rhodoci proditione, commeatu, quem Iudas obsidibus hactenus suppeditaverat (*g*), optimis isti conditionibus in deditionem venerunt (*h*): posthaec inde discedens Antiochus adversus Iudam congreditur et superatur (*i*); interim vero, audita Philippi seditione, rursus ad pacem (*k*) et amicitiam Iudam hortatur, neque tamen ipsum, sed Hegemonidem orae maritimae praeficit (*l*), rebusque in Palaestina compositis,

(*a*) I. Mach. VI, 31-32.
(*b*) II. Mach. XIII, 14 coll. cum I. Mach. VI, 32.
(*c*) I. Mach. VI, 33.
(*d*) Cf. ib. 47 cum II. Mach. XIII, 16.
(*e*) II. Mach. XIII, 18-19.
(*f*) Cf. I. Mach. VI, 49 cum Ex. XXIII, 10-11, Lev. XXV, 4-7.
(*g*) II. Mach. XIII, 20-21.
(*h*) Cf. ib. 22 cum I. Mach. VI, 49-50.
(*i*) Ib. 23, gr. 22 ἥττων ἐγένετο inferior exstitit; haec itaque pugna Bethsurae occupationi posterior, alia prorsus est atque illa quae arcis deditionem praecesserat, cf. I. Mach. VI, 32-47 cum ib. 49-50, et II. Mach. XIII, 14-17 cum ib. 18-23.
(*k*) Hanc enim eius nomine Lysias pridem confecerat II. Mach. XI, 14-33.
(*l*) Vulgatus nempe, ib. XIII, 23, graecum ἡγεμονίδην quod proprium nomen videtur, idem putans ac ἡγεμόνα *principem* interpretatus est: graecus habet v. 24: κατέλιπε στρατηγὸν ἀπὸ Πτολεμαΐδος ἕως τῶν Γεῤῥηνῶν ἡγεμονίδην loco Ἡγεμονίδην; h. e. *reliquit imperatorem a Ptolemaide ad Gerrenos Hegemonidem*; ita sane vertit syrus interpres.

nullisque post se hostibus, sed amicis relictis, securius progreditur, totasque vires contra rebellem convertit; quae quidem omnia et satis probabilia sunt, et conspirant amice. - Iohannes pater Eupolemi quando et a quo Romam missus, non constat; at haec legatio ab alia distinguenda est, qua postmodum Eupolemus ipse et Eleazar a Iuda missi sunt. - Demetrius cum paucis Roma solvit, sed ad Tripolim appulsus, plurimos ibidem socios, voluntariaque auxilia ad regnum capessendum nactus est. - Spartiatarum Hebraeorumque affinitas, quam illi in quodam se documento γραφῇ (*a*) deprehendisse feruntur, verane an falsa, firmane vel incerta ac simulata utriusque gentis opinio, undeve repetenda (*b*), non quaerimus (*c*), multoque minus in tanta documentorum inopia temporumque distantia definimus; at publice tunc receptam fuisse, duobus historicis id singillatim expresseque affirmantibus quis fidem denegabit? nec enim unus alterius opus descripsit, cuius omnino se praestat ignarum (secus non ita frequenter, specie licet, dissentirent); neuter autem in re tam aperta atque solemni vel mentiri ausus fuisset, vel potuisset impune; nulla demum falsitatis argumenta sunt. Revera haud incredibile est Lacedaemones, qui celebriora id aetatis commercia peragrabant, cum Hebraeis, quorum ullos Alexandriae vel Cyrenes (*d*) fortassis mercaturae causa primum

(*a*) Haec vox 1. Mach. XII, 21, non ipsas sacras litteras, sed quodvis scriptum designat.

(*b*) Varias criticorum coniecturas videsis ap. Vence, Dissertation sur la parenté des Juifs et des Lacédémoniens, la S. Bible, 5.e éd. tom. XVIII, pag. 166-76, Dereser u. Scholz, die heil. Schrift, II Th. IV B. S. 166-68, Winer, Realwoerterbuch, A. Sparta.

(*c*) Hoc enim ad meram curiositatem faceret, utcumque vero res cederet, nil inde utilitatis aut detrimenti historica libri auctoritas caperet; v. sup. pag. 612-13.

(*d*) Quid vero si Lacedaemonum nomine non Laconiae incolae, sed horum colonia monarchiae legibus temperata intelligenda sit, quae a Thera genere Cadmeo primum in homonymam insulam, ubi Phoe-

cognoverant, societatem inire cupientes, in tanta ultimae antiquitatis ignoratione qua Ethnici universim versabantur, vulgarem alicubi traditionem secutos (cui singularis quaedam morum et institutorum similitudo multum ponderis adiicere videbatur), eamdem ac Iudaeos originem sortitos sibi persuadere potuisse, nec ab istis fuisse dissuasos. Arium (*a*) porro, hoc nomine I, vel II Oniae pariter I, vel II aequalem esse nequivisse nemo demonstrabit (*b*); causa vero cur unus tantum memoretur multiplex in promtu est; fac ex. c. tum epistolam ad Hebraeos missam fuisse, quando Arius I

nices iamdiu consederant, dein a Batto rege designato in Plateam insulam proximamque Cyrenaicam deducta sit (Herod. IV, 147, seq., Iustin. XIII, 7, Ios. de bell. Iud. II, c. 16, § 4), plurimisque Hebraeis Hellenistis sensim adlectis adaucta (v. sup. pag. 586, not. (*a*)), quippequi et ipsi e Cadmea stirpe, Phoeniciaque oriundi passim a multis habebantur? Haec sane sententia aeque probabilis ac eorum altera censenda est, qui putant Sepharadenos hîc designari, Solymorum nempe coloniam Sepharad (סְפָרַד litteris cuneiformibus ex nupero palaeographorum invento ÇPaRaD, v. Gesen. Thes. ad voc. Vulg. male Abd. 20 *Sarepta*) ad Bosphorum deportatam, quod nomen quadam litterarum similitudine decepti Graecus interpres I. Mach. XII in *Spartiatas*, Iason eiusve breviator II. Mach. V, 9 in synonymum *Lacedaemones* derivaverint.

(*a*) Ita recte Vulgatus, et Iosephus (Antiq. l. XII, c. 4, § 10, l. XIII, c. 5, § 8), Graecus contra et Syrus v. 7 legunt Δαρεῖος Darius, quod manifestum amanuensis erratum est, qui pariter inferius v. 20 peccavit, ubi graece legitur Ὀνιάρης; hoc enim inde ortum videtur quod vocabulum Ὀνία (Oniae) ad superiorem versiculum pertinens cum sequenti Ἀρεῖος coaluit.

(*b*) Onias I qui ab an. a. Chr. 321 ad 300 pontificium obivit, et Arius I qui ab an. 364 ad 309 Lacedaemone regnavit, item huius nepos Arius II et Onias II ab an. 246 ad 208 pontificio functus aliquot saltem annos contemporales esse potuerunt. V. Petav. de doctr. temp. l. X, c. 53, Salian., Annal. V. Test. ad an. m. 3821, Palmer, de epistolarum, quas Spartani et Iudaei invicem sibi misisse dicuntur, veritate, Darmstadt, 1828, 4. Merito propterea Ionathas an. 144 scribere potuit *iampridem* litteras a Spartanis ad Oniam missas fuisse I. Mach. XII, 7, 10.

cum conlega Cleonymo decertabat (*a*), vel tempore Arii II cum iam unus dumtaxat rex eligebatur (*b*); item multae rationes esse potuerunt cur litterae a rege, suo tantum nomine, ephoris atque senioribus inconsultis, vel illas non subnotantibus scriberentur: tandem quod ulli in his *hebraismi* (*c*) nulla doricae dialecti vestigia deprehendantur, mirum non est; siquidem in hebraicum primo a Iudaeis Palaestinensibus, iterumque in graecum sermonem ab interprete hellenista translatae sunt. - Antiochus Eupator duodecennis a parente Epiphane in regni societatem assumtus, cui post annum sesquialterum successit (*d*), iam quatuordecim annos natus epistolam ad Lysiam scribere potuit; eiusdem autem in Hebraeos facilitas atque indulgentia difficili rerum suarum conditioni respondet: porro pax Iudaeos inter Syrosque vix confecta, turbata quidem est, aliquantisper tamen duravit, otiumque agris recolendis interim dedit (*e*). - Æra Seleucidarum in Romanorum litteris adhibita, vel horum accommodationi, vel interpretis arbitrio attribuenda est vulgarem totique libro communem temporum rationem substituentis. Ex quibus patet quam firma sit horum et ceterorum (*f*) propterea documentorum auctoritas; quare vero inter Graecos Romanosque scriptores nemo eorumdem meminerit facile assequimur; ipsis enim, ut cetera mittamus, pacta cum He-

(*a*) Cf. Gatterer, Handb. d. Urgesch. I, 500, Gaab, Animadv. ad antiq. Iud. hist. Tubing. 1811, 4. p. 35.

(*b*) Scilicet post an. 241 quo Agis III est enecatus.

(*c*) Tales nonnullis videntur I. Mach. XII, 21 ἀδελφοί = אַחִים fratres; v. 22 εἰρήνη = שָׁלוֹם pax, h. e. incolumitas, felicitas; v. 23 τὰ κτήνη ὑμῶν, καὶ ἡ ὕπαρξις ὑμῶν = מִקְנֵיכֶם וּרְכוּשְׁכֶם pecora vestra et possessiones vestrae; ib. κατὰ ταῦτα = עַל כָּל הָאֵלֶּה super haec omnia.

(*d*) Euseb. Chron. arm. I, p. 348.

(*e*) II. Mach. XII, 1-2, seq.

(*f*) V. sup. pag. 587, not. (*a*).

braeis conventa nullius aut minimi saltem momenti videri potuerunt. - Elephantes, indici praesertim maioris formae quibus Antiochus Eupator usus est (*a*), quinque millibus pondo (quantum sane triginta duo levis armaturae milites minime pendunt) ferendis pares esse, antiqui ac novissimi rerum naturalium tractatores perhibuerunt (*b*). In hoc vel illo praelio nullum ex Hebraeis peremtum, contra de hostibus neminem effugisse, hyperbolice dictum est, typi genus orientalibus, proindeque et hagiographis, passim usitatum (*c*). Iudas cum tribus hominum millibus totidem hostium millia peremit; sex alia porro a Iudae fratrum agminibus caesa profligataque sunt (*d*). Numerus militum quos Eupator et Lysias secum duxerunt, fidem non superat; huic enim qui anno superiori semel cum LXV, iterum cum LXXX millibus fuerat devictus, ne tertio fugaretur, multo plures erant deligendi; qui auxiliares plerique ac sensim adventantes efficiebant, ut exercitus nunc paucioribus, nunc pluribus constaret; sed enim cum in utroque loco maior vel minor peditum copia, maiori vel minori equitum elephantumque compensetur; nec modo uterque liber, sed et Graecus et Vulgatus interpres in hoc recensu dissentiant, palam fit numeros haud consulto adauctos fuisse, sed librariorum aut interpretis vitio mutatos (*e*): quod de iis praesertim sentiendum est, qui iusto maiores videri possunt. Ceterum antiqua aut recenti memoria compertum paucam strenuissimorum manum, quos caritas patriae ac religionis studium incenderet, praeterea-

(*a*) V. sup. pag. 593, not. (*g*).

(*b*) Philostratus in vita Apollonii l. II, c. 6, Bonnet, Contemplation de la nature tom. II, c. 46, Histoire des voyages, tom. I, p. 333, Serarius, Tirinus, A Lapide, Calmet, comm. in h. l.

(*c*) Cf. ex. c. Ps. XIII, 3, CXV, 11, Ioh. XXI, 25.

(*d*) V. sup. pag. 616, not. (*b*).

(*e*) Nec alia imminutae, aut exaggeratae locorum distantiae (II. Mach. XI, 5, XII, 17) ratio reddenda est.

que locorum natura necnon peritia iuvaret magnos saepe exercitus profligasse (*a*). - Barbara atque efferata supplicia, quibus Eleazari, necnon septem fratrum Machabaeorum generosaque parentis religio tentata est, neque a cerebrosa atque insanienti Epiphanis indole (*b*) abhorrent, neque ab iis discordant, quae generatim de Iudaeis in fide perstantibus, alibi (*c*) ab eodem sumta dicuntur; eoque credibiliora, quo Antiochiae (*d*) data sunt, ubi Iudaeorum Ethnicis permixtorum audacia res pessimi exempli atque offensionis tyranno visa est: martyrum porro constantia, quam ipsa poenarum acerbitas credibilem facit, ad longam illam heroum seriem respondet, qui pro patriae ac religionis incolumitate propugnanda vitam profundentes totum illud aevum communi Machabaeorum nomine designarunt; neque tamen erit probabilis, ubi negaveris tales eorum sensus cogitationesque fuisse, taliaque propemodum protulisse, qualia loquentes inducuntur; nisi enim eadem omnino, fideliterque descripta, ne tamen, rhetorum more, ad arbitrium conficta aut amplificata existimemus vetat aptissimus ad animi sensa factorum responsus, horumque brevis, inops atque ieiuna expositio, quae pronum sane fuisset pluribus persequi, atque splendidis magnificisque verbis exornare. Quare non modo haec aliaque similia colloquia, sermones et preces nedum verisimilitudini (*e*), ne veritati quidem adversantur, neque in hisce inserendis hagiographi Graecos imitati sunt, quibus longe prius exemplo, et saniori quidem, esse potuerunt (*f*); sed si quando nostri pro re nata

(*a*) V. sup. pag. 522.

(*b*) Diod. Sic. fragm. l. XXXI, c. 8.

(*c*) Cf. II. Mach. VI, 1-11 cum I. Mach. I, 30-67.

(*d*) Ut ex II. Mach. V, 21 colligitur, et haec causa est cur I. Mach. I, 30 seq. sileantur, ubi Hierosolymitanis tantum indicta referuntur.

(*e*) Hac enim in re licet profecto historico pro veris interdum verisimilia tradere.

(*f*) Cf. sup. pag. 495, not. (*a*).

altiores spiritus sumunt, ac poëticis ferme coloribus orationem distinguunt, id historicae veritati nullatenus officit; quandoquidem neque factorum naturam immutant, aut fictis adiunctis circumvestiunt, imo non tam factorum species, quam generales rerum eventus tropis atque imaginibus illustrant, quod Orientalium cumprimis ingenio quammaxime consentaneum est. - Quid mirabilis Nehemiae temporibus ignis suscitatio dubitationis afferre queat plane non assequimur, quum iis ipsis qui miraculis non credunt, hoc etiam persuasibilis sit, quod naturalis esse potuerit (*a*); sed enim utrum talis revera fuerit an non, neque dicimus, neque negamus, nec alterutrum nostra refert; quid enim facti natura eiusdem conferet, sive detrahet veritati, cum testatissimum est, et publico monumento firmatum (*b*)? Rabbinorum autem testimonium asserentium in secundo templo inter cetera et sacrum ignem defuisse (*c*) nil moramur; nam, cum eo quod aliorum contrario eliditur (*d*), tum alter hic ignis, tametsi divinae et ipse originis putaretur, nequaquam idem ac ille haberi potuisset, quem divinitus datum inde ab Adami temporibus, aut saltem Mosis et Aaronis precibus caelitus delapsum ad captivitatem usque inexstinctum permansisse, Rabbinorum plures

(*a*) Naphta enim naturaliter (v. sup. pag. 597-98) solis ignem concipere, flammaque inferius in nudis lapidibus excita a superiori praevalida, quippe fomite nutrita, rapi potuit atque absumi, cf. II. Mach. I, 22, 31-32.

(*b*) Ib. 33-36. Esdrae vero, Nehemiae, et Iosephi hac de re silentium, quod a Buxtorfio (hist. ignis sacri c. III) obiicitur, inter cetera quae afferri possent, hac etiam ratione facile concipitur, quod Esdras potius sua quam Nehemiae gesta, hic vero rem civilem potiusquam sacram, eamque paucis uterque perstrinxit; Iosephus autem, Ethnicis velificaturus, alia passim id genus vel praetermisit, vel extenuavit.

(*c*) RR. Iarchi et Kimchi, comm. in Agg. I, 8, Raimundi Martini Pugio fidei part. II, c. 4, § 13, Talmud Babylonicum, Ioma f. 21, *b*.

(*d*) Azarias, Meor Enaim c. 51, auctor Iuchasin fol. 24, col. 2, Abarbanel in c. I. Agg.

autumarunt (*a*). Nec minus temere nugis accensentur quae de arca a Ieremia occultata traduntur; hanc nimirum antea cuilibet abditam in Chaldaeorum potestatem non devenisse, nec deinceps repertam, neque aliam in eius vicem suffectam esse antiqua et communis Hebraeorum persuasio est (*b*); quae tum inde confirmatur, quod inter vasa a Chaldaeis direpta nunquam annumeratur (*c*), tum ex eo quod omnes qui post captivitatem de templo rebusque sacris scripsere, nullam eiusdem mentionem iniecerunt (*d*); quare igitur absonum existimabimus Ieremiam, postquam Solymis captis e custodia emissus est, Nabuchodonosoris venia, apud quem gratia valebat (*e*), eorumque opere usos quos sui studiosos vel difficillimis temporibus habuit, *arcam, tabernaculum, et altare incensi* (*f*) in quadam scrupea specu Nebo montis abdiderit, quae a reliquis circumstantibus rupibus haud ita facile distinguenda, Ieremiae sociis operi intentis situm non denotantibus, horum dein inquisitionem fefellerit? Hoc sane cum Ieremia competit qui arcam supervacaneam futuram praedixerat (*g*); nec minus

(*a*) Hoc ex Lev. VI, 12-13, coll. IX, 24, X, 1 confici posse putarunt.

(*b*) Buxtorf. hist. arcae foederis, c. 21, Vence, op. cit. p. 277-91.

(*c*) Ier. LII, 17, seq., Esdr. I, 7-11, unde patet quid *omnium vasorum* nomine intelligendum sit quae Chaldaei IV. Reg. XXIV, 13 concidisse dicuntur.

(*d*) Qui contrarium ex II. Par. V, 9, et Ps. CXXXI, 8 concludunt, ignorare videntur priorem locum ex antiquiori documento desumtum (v. sup. pag. 379, not. (*a*)) fuisse, laudatum autem psalmum Davidicam aetatem, aut saltem exsilio superiorem praeseferre.

(*e*) Ierem. XXXIX, 11-12.

(*f*) Uti varia olim altaria hic illic, sacrorum causa, exstructa sunt, hoc etiam deinde renovari commode potuit, non item arca propter singularem eius excellentiam ac maiestatem.

(*g*) Ib. III, 16; iamtum regnante Iosia (Movers, op. cit. p. 139, Hitzig, der Prophet. Ieremia etc. S. 28), vel postea sub Iechonia, sed ante Chaldaeorum adventum (Bellarm. de verbo Dei l. I, c. 15, n. 8, Nat. Alex. hist. Eccl. V. T. Paris 1699, tom II, p. 397, Corn. a Lap. comm. in II. Mach. II, 4), arcam absconditam fuisse minime demonstratur.

Iehovae congruum, perinde ac olim Mosis corpus, et portentosum hoc divinae praesentiae symbolum non tam profanorum contemtui quam superstitioso Iudaeorum cultui subducere, eosque paullatim rudiora dedocti, sublimioribus initiare, usque adeo donec *in spiritu et veritate illum adorarent, qui non in manufactis templis habitat*, neque in *arca*, sed in *Angelo testamenti* laetarentur, *in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*a*). - Prodigia fieri posse, atque haud secus ac cetera facta iisdem critices legibus diiudicanda pluries probavimus; quae autem hîc enarrantur Deo digna rerumque adiunctis congrua sunt (cum quibus profecto Iudae somnium adeo convenit, ut naturale potiusquam divinitus immissum videatur), iisque simillima quae a probatis ceteroquin scriptoribus perhibentur (*b*); praetereaque crebra (*c*) luculentaque adeo ut

(*a*) Ioh. IV, 23, Act. XVII, 24, Colos. II, 9; quod vero mystico hoc sensu exponenda sint quae de arcae revelatione ac visibili Dei maiestate II. Mach. II, 7-8 leguntur, merito ex laudato Ieremiae loco III, 16-17 concluditur, ubi Ierusalem arcae vicem praestitura, atque ad eam omnes gentes conventurae perhibentur, quod in Palaestinae urbem nullatenus quadrat. De reliquo quanta fides deperditis Ieremiae descriptionibus (II. Mach. II, 1) attribuenda sit, nescimus, neque hîc hagiographus suam, sed Palaestinensium opinionem expromit, v. sup. pag. 612-13.

(*b*) Tacit. hist. l. V, c. 13, coll. Ios. de bell. Iud. l. VI, c. 5, § 3, Plin. hist. nat. l. II, c. 58, Liv. XXI, 62, XXIV, 10, XLII, 2. Haec porro aliaque id genus, ut indifferenter probanda non sunt, ita neque indiscriminatim repudianda; quid enim impedit quominus omnium parentem Deum hos vel illos promiscue populos caecos quippe ac sensilibus intentos opportune interdum admonuerit, ea oculis subiiciendo quae ceterum invisibilia haud minus propterea naturalia sunt, uti spiritalium virium, ipso moderante, in mundanis rebus versandis efficacia (v. sup. pag. 480); taliaque praestando quae altioris rerum ordinis olim certo futuri quasdam veluti primitias ac libamenta mortalibus exhiberent, quo facilius, meta perspecta, rectam honestatis viam insisterent, aut ingrederentur?

(*c*) II. Mach. V, 2. Neque tamen singulis quadraginta diebus, sed saepius per id temporis intervallum talia visa fuisse crediderim.

meris sensuum alucinationibus nequeant adiudicari. Cur vero, inquies, violatam templi maiestatem prodigiis ulciscitur Deus, impune mox exspoliandi ac polluendi, iisdemque Hebraeorum animos ad patriae libertatem propugnandam incendit, paulo post perituram? Quia nempe benignissimus Deus vel miraculis, ubi opus, mortalium audaciam et caecitatem curat emendare; at sapientissimus neque iterat, neque tertiat, quod semel sufficit edidisse: Heliodorum igitur percussit, ut Antiochum a sacrilegio deterreret, simulque ostenderet nefarium eius ausum haud necessario fuisse permissum, neque templi tutelam, numinis ceteroquin inviolabilis, sed Hebraeorum causa susceptam; poenam distulit, quippe patiens quia aeternus, at magis reum maiori poena multavit (*a*). Similiter caelestium specie atque auxilio Hebraeos recreavit, Syrosque perterruit, ut omnibus manifestum fieret Hebraicae reipublicae casus et vices non a praepotentium finitimorum vi aut arbitrio, sed a Iehovae voluntate pendere, neque ineluetabili fato, sed prudenti eius consilio interituram, ut ex hac scilicet ruina gentium salus exsisteret, ac brevis eorum manipulus qui haud ita pridem fuerant debellati, Machabaico longe potentior *scuto fidei*, *gladioque spiritus* (*b*) instructus universum orbem subigeret atque pacaret. – Flavius a nostris interdum dissentit; at enim identidem nec sibi constat (*c*), nec probabiliora sunt quae aliter narrat (*d*); saepius tamen narrationem nostram illustrat

(*a*) I. Mach. VI, 8, seq., II. Mach. IX, 5, seq.

(*b*) Eph. VI, 16-17.

(*c*) Cf. ex. c. I. Mach. VI, 1-7 cum Ios. Antiq. l. XII, c. 9, § 5, coll. de bello Iud. l. I, c. 1, § 5, v. sup. pag. 438, not. (*e*).

(*d*) Sic ex. c. cum unum dumtaxat aureum candelabrum secundo infuerit templo, plura inde Antiochus nequivit auferre, cf. I. Mach. I, 23 cum Ios. Antiq. l. XIII, c. 6, § 6; absonum item non ipsam civitatem David Sioni superimpositam ab eodem rege munitam fuisse, sed (ἐν τῇ κάτω πόλει) in inferiori civitate exstructam: neque enim

aut complet (*a*). - Libri Machabaeorum in hebraicum sane canonem inseri nequiverunt, quippe, ut alia mittamus (*b*), huius conclusione posteriores, nunquam tamen ab Hebraeis despecti aut ignorati sunt (*c*), imo, Erasmo teste, inter sacros adnumerabantur (*d*): nonnullorum autem Catholicorum silentium aut dubitationem expressum aliorum testimonium, firmamque persuasionem nequit extenuare (*e*). - Qui Iasonis opus instinctu divino conscriptum pernegant, nescio qua ratione ducantur, nisi forte hac absurda, quod scilicet numinis afflatus solis Hebraeis Palaestinensibus competere potuerit: iam enim haudquaquam Cyrenensis historiam, sed huius epitomen uti divinam nos propugnamus, quae profecto, dummodo ab eo confecta sit cuius mentem et animum Deus permoverit atque illustraverit, perinde sacra habenda erit ac tot illae hagiogra-

templo, ut ipse perhibet, emiaere, neque tamdiu contra Iudaeorum aggressiones resistere potuisset, cf. I. Mach. I, 35 cum Ios. Antiq. l. XII, c. 5, § 4; neque pariter tres toparchiae Iudaeae, Samariae, Galilaeae, et Peraeae adiacentes, sed Iudaea ipsa tresque regiones (gr. νόμοι, Vulg. male *civitates*) a Samaria et Galilaea distractae, illique adiectae tributis a Demetrio exemptae fuerunt, cf. I. Mach. X, 30 cum Ios. Antiq. l. XIII, c. 2, § 3; neque similiter Seleuci Philopatoris, sed Ionathanis aetate Iudaeorum ad Spartanos litterae missae sunt, cf. I. Mach. XII, 2, seq. cum Ios. Antiq. l. XII, c. 4, § 10; nec demum Menelaus Iasonis, sed Simonis frater, cf. II. Mach. IV, 23 cum Ios. Antiq. l. XII, c. 5, § 1. Neutiquam vero nos ista miramur, qui novimus Flavium aliquando traditionem potiusquam monumenta secutum, neque patriam linguam satis callentem, neque emunctae naris criticum fuisse.

(*a*) Cf. ex. c. I. Mach. II, 25 cum Ios. Antiq. l. XII, c. 6, § 2; III, 5 cum ib. § 4; VII, 8 cum ib. c. 10, § 2; IX, 4 cum ib. c. 11, § 1; XI, 15 cum l. XIII, c. 4, § 8; 42-43 cum ib. c. 5, § 2 etc.

(*b*) Cf. sup. pag. 469-72.

(*c*) V. Mishna, tract. de principio anni, et de mensuris ap. Surenhusium tom. II, p. 315, tom. V, p. 329, Ganz, Zemach David, ad an. 3590, Azarias, Imre binah c. 33, 36. Cf. sup. pag. 584, not. (*c*).

(*d*) In Praef. et sub finem vers. libel. Ios. Flavii de Machab.

(*e*) V. sup. pag. 487-89.

phorum pericopae, in quibus varii variorum sermones, profani quidem interdum et impii (*a*) exponuntur, vel annales memoriaeque civiles adhibentur, vel demum Graecorum poëtarum Arati et Cleanthis, Menandri, Epimenidis carmina (*b*) referuntur: apprime scilicet *inspiratio* a *revelatione* distinguenda est; haec pandit ignota, efficit illa ut nota *vere*, *opportune*, *sancte* tradantur. Scriptorem igitur regit et adiuvat, verumtamen neque operis difficultatem removet, neque rudem disertum, neque ineruditum litteratum facit; quare sicuti Paulus, salva Apostoli auctoritate, *imperitum sermone*, *non scientia*, neque *in persuasibilibus humanae sapientiae verbis*, sed *in ostensione spiritus et virtutis* (*c*) locutum se dixit; ita noster verecunde potuit subdubitare utrum (καλῶς καὶ εὐθίκτως τῇ συντάξει) satis belle ordinateque, quod studiose intenderat, an vero (εὐτελῶς καὶ μετρίως) humiliter, demisseque narrationem suam digesserit, quin propterea divinae opis inconscius existimandus sit: fuerit tamen; hanc illi praesto fuisse alii divinitus edocti, Apostoli, puta, intelligere potuerunt. — Iudas militum plerisque propter innumeram hostium multitudinem desperantibus ac diffugientibus, cum certamen detrectare nequiret, quin maximum in se dedecus admitteret, suoque exemplo reliquorum ignaviam confirmaret atque insanabilem redderet; hisce in angustiis, divinae opis confisus, suorumque fortissimorum virtutis iam alias expertae, quippequi imparibus saepe viribus victor exstiterat, praelium commisit, et aequo marte diu pugnavit, parumque abfuit quin superior fieret; audax igitur facinus suscepit, non temerarium; talique ausu hostium animos infringens, concivibus addens, victus ipse non unam, sed plures victorias reportavit, tot scilicet, quot generoso hoc

(*a*) Cf. ex. c. IV. Reg. XVIII, 19-25, 29-35.
(*b*) Act. XVII, 28, I. Cor. XV, 33, Tit. I, 12.
(*c*) II. Cor. XI, 6, I. Cor. II, 4.

specimine incitati eius successores retulerunt. - Eleazarus nominis immortalitatem quaesivit, recteque, est enim bonorum omnium pretiosissimum (*a*); commilitonum tamen salutem ac patriae libertatem in primis intendit (*b*) cum maximo se vitae discrimini obtulit, quandoquidem sperare poterat rege interemto, Syrorum exercitum dissipandum, et Iudaeam temporarie saltem quieturam. Razias *generosam* (*c*) sane mortem oppetiit; neque enim ignavus vilisque animi tale quidpiam tentasset; sed et laudabilem dixerim, quatenus nempe nil inhonesti, honestus ipse (*d*), in forti illo facinore, quae temporum conditio ac subita rei trepidatio, suspicatus est: scriptor propterea haud incongrue virum laudasset, pro temporum ruditate irreprehensibilem: quodsi nos, altioribus per Christum initiati, factum damnamus; hoc hagiographus, id aetatis, intempestive fecisset (*e*). Atqui neque Raziam, neque Eleazarum ullis laudibus extulit, sed nudum utriusque propositum, merumque factum narravit; e contrario qui illos Iudamque condemnant, Catonem Deciosque similia ausos demirantur. - Nec minus inique excussae probrosae servitutis, iunctique cum Romanis foederis Hebraeos accusant, qui hos generatim religionis vitio pusillanimes belloque ineptos, necnon ab omni cum externis commercio superstitiosius abhorrentes traducunt. At enim Machabaeorum laus in omnium semper ore versabitur, iugiterque praeclaro erunt exemplo *obediendum Deo magis quam hominibus* (*f*); siquidem pro religiosa atque civili, quippe individua, libertate propugnarunt, atque in varia belli fortuna haud aliam pacis conditionem

(*a*) Cf. Prov. XXII, 1, Eccl. VII, 2, Eccli. XXXIX, 15, XLI, 15-16.
(*b*) I. Mach. VI, 44.
(*c*) Eligens nobiliter (gr. εὐγενῶς generose) mori II. Mach. XIV, 42.
(*d*) Ib. 37-38.
(*e*) V. sup. n. LXXXV - LXXXVI.
(*f*) Act. V, 29.

aut acceptarunt, aut imposuerunt (*a*); rebellionis autem sanctitatem (si tamen rebelles dicendi sunt qui a foedifrago (*b*) rege deficiunt, ne iustum Deo obsequium detrectare cogantur) tum incredibili successu, tum crebris luculentisque signis atque portentis Deus significavit (*c*). Mathathias autem singillatim a quovis publico, privatoque perduellionis crimine expressa Deuteronomii (*d*) lege, laudatoque Phineesi quamsimillimo exemplo (*e*) plenissime absolvitur. Quid porro foedus cum Romanis initum Hebraeis expediverit, dubitamus: externa namque huiusmodi auxilia obsunt magis quam prosunt; at nisi prudenter, saltem iuste cum iis societatem inierunt, quorum tanta erat aequitatis opinio, ut communis iuris assertores ac vindices haberentur, quique loco distantes, et ne victos quidem suis legibus institutisque exuentes, nullum foederatorum arbitrio (αὐτονομία) aut religioni periculum creare, sed oppressis praesidium ab ipsa divina providentia submissum videbantur; quocirca, salva in Deum fide atque fiducia, id potuit Iudas praestare quod, utraque incolumi, iam olim Abraham, David et Salomon praestiterant (*f*): ex quo manifestum est Hebraeorum in exteros odium nec personale, neque civile, sed religiosum, et religionis tutandae causa inductum fuisse, qua cessante et illud paullatim remissum atque sublatum est. — Quamquam non una est calamitatum causa, harum tamen occasione hominum crimina puniri, ex recta divinae sanctitatis, iustitiae, providentiaeque no-

(*a*) I. Mach. VI, 59, II. Mach. XI, 24-25.

(*b*) Hanc scilicet potestatem suis vivendi legibus Alexander et Antiochus cognomento Θεός Iudaeis concesserant, v. Ios. Antiq. l. XI, c. 8, § 5, l. XII, c. 31, § 1-2.

(*c*) V. sup. pag. 605, nott. (*c*), (*d*).

(*d*) XIII, 6, seq.

(*e*) Cf. I. Mach. II, 26 cum Num. XXV, 7-13.

(*f*) Gen. XIV, 13, III. Reg. V, 1.

tione consequitur, male tamen, ut supra notavimus (*a*), ex poenae sive illatae, sive indictae (*b*) qualitate intimam culpae gravitatem aestimares; quantum igitur Iudae socii deliquerint Dei iudicio reservamus, multa siquidem intercedere potuerunt quae illorum reatum extenuarent; haec sane ducis persuasio existimantis cum pietatis ac poenitentiae sensibus eosdem occubuisse (*c*), ipsoque interitu culpam expiasse, proindeque iamtum Deo gratiosos, vel tales, piacularibus sacris purgatos, modo futuros; quod de Antiocho desperandum, utpotequi poenam dumtaxat, minime vero culpam fuerat aversatus. - Dei virtutem (θεοῦ δύναμιν) quae seorsum ab illo nominatur, verbo tenus, non re ipsa ab eodem distinguendam esse orationis contextus declarat; nam idem ille templo praesens dicitur qui et caelum incolit (*d*); quique proinde, siquando virtutem suam luculentius (μετ' ἐπιφανείας) ostentat, non inertem e longinquo, sed ubique praesentem et actuosam exserit, quae ceteroquin invisibilis, per sensiles tamen species illius vi efficaces hominibus apprehensibilis est; at isti nunquam ferme illam adverterent, nisi consuetum naturae ordinem identidem praetergrederetur. Haec porro distincta divinae virtutis notio, quae et aliis etiam hagiographis Alexandrinensi schola longe antiquioribus (*e*) communis est, ab huius sane placitis descendere nequit; a quibus haud secus abludit ac alia religionis nostrae dogmata, veraeque philosophiae scita, cuiusmodi sunt: creatio de nihilo (*f*), animorum immortalitas, corporum resur-

(*a*) V. n. CXVII.

(*b*) Cf. II. Mach. XII, 40 cum Deuter. VII, 25-26.

(*c*) Ib. 45.

(*d*) III, 38-39.

(*e*) Cf. Ps. XX, 14, LXV, 7, LXVII, 35, I. Par. XVI, 11.

(*f*) II. Mach. VII, 28; hunc vero locum de mera partium forma atque figura, secundum Alexandrinorum mentem, interpretari contortum est, nec minus contextui repugnans, quam a rudi scriptoris martyrumque, quos loquentes inducit, simplicitate alienum.

rectio, aequa praemiorum atque poenarum post aevum retributio (*a*), fide coniunctorum ne morte quidem dissolubilis caritas, ac perennis (*b*) meritorum participatio (*c*); quorum dogmatum sublimitas, deque eorumdem veritate antiqua firmaque persuasio, divinam profecto illorum originem atque auctoritatem ostendit; clarior autem in dies eorumdem notitia, quo magis plenitudo temporis adventabat (*d*), vel feminarum et puellorum propria (*e*) iam albescentem *gentium lucem* (*f*), moxque oriturum *iustitiae solem* (*g*) praenuntiabat.

(*a*) II. Mach. VII, 9, 11, 14, 19, 22, 23, 36, XII, 44, XIV, 46, coll. Iob. XIX, 25-27, Ps. XV, 8-11, Is. XXVI, 19, Ezech. XXXVII, 1-14, Dan. XII, 2-3.

(*b*) Vivos enim pro vivis mediatoris apud Deum atque deprecatoris partes sustinere posse nullo non tempore receptum fuit, cf. Gen. XIX, 21, Lev. XVI, 34, Iob. I, 5, XLII, 8, 10, I. Reg. VII, 8, Ier. XLII, 2.

(*c*) II. Mach. XII, 44-46, coll. Tob. IV, 18, Eccli. VII, 37, XXX, 18; qui mos epulas piorum recens defunctorum tumulis pauperum in gratiam imponendi qui pro illis orarent, sanctae Augustini parentis aetate adhuc obtinebat, v. Confess. VI, 2. De laudatae pericopes (II. Mach. XII, 44-46) genuinitate, quippequae sermonis similitudine cum reliqua libri parte, dogmatis autem unitate cum antiqua atque perenni Hebraeorum traditione consentit, v. Vincenzi, op. cit. P. III, prop. X, n. I-VI.

(*d*) Gal. IV, 4.

(*e*) II. Mach. VII, 20-24.

(*f*) Is. XLIX, 6.

(*g*) Mal. IV, 2.

EPIMETRON.

De Apocryphis.

E re ducimus quaedam obiter de iis apocryphis scriptis delibare, quae propterea quod Hagiographorum historias quoquomodo complere aut absolvere viderentur, graecis latinisve Bibliorum codicibus passim inserta sunt, aut a Patribus interdum vel ecclesiasticis scriptoribus laudata: cuiusmodi sunt tertius et quartus tum Esdrae, tum Machabaeorum liber, et oratio Manassis (*a*). - Haec igitur ad calcem Vulgatae III et IV Esdrae libris praemissa in aliquibus graecae, latinaeque versionis codicibus psalmis apposita, inter cantica annumeratur (*b*); in aliis vero (*c*), necnon in Constitutionibus Apostolicis (*d*) uno tenore II. Par. XXXIII, 13 continuatur, utpotequae germana illius versio putabatur quae in regni annalibus et prophetalibus Hozai memoriis inserta fuisse (ib. 18-19) perhibetur: at enim cum hebraici illius archetypi nullum vestigium superesit, nec ullum in graeco huius pericopes sermone eius indicium deprehendatur, tantumque absit ut graecus vel latinus interpres ex hebraico exemplari illam transtulerit, ut imo e graeco Iudaei illam expresserint (*e*); cumque in-

(*a*) Haec simul compacta videsis ap. Vence, S. Bible, ed. cit. tom. XXV.

(*b*) Hoc sane nomine illam appellarunt Africanus in Damasceni parallelis tom. II, p. 463, Anastasius Sinaita in ps. VI, tom. III Canisii, p. 112, Georg. Syncellus in chron. p. 214, Theoph. Cerameus hom. II et LVI, Freculfus qui illam vocat carmen poenitentiae; eodemque ordine invenitur in psalterio Æthiopico Iobi Ludolfi, Franc. ad Moen. 1701, et hodierno Graecorum, cathism. XX, v. Leo Allatius, de lib. eccles. Graecorum p. 62.

(*c*) Sabatier, op. cit tom. III, p. 1038, seq.

(*d*) L. II, c. 22; hae Clementi Rom. falso tributae, ignoti II saeculo exeunte scriptoris opus sunt.

(*e*) R. Ghedolia in Scialsceleth hakkabbala ap. Scip. Sgambati S. I., Archiv. V. T. p. 347.

super a paucis inter Graecos (*a*) laudetur, seroque latinis scriptoribus innotuerit (*b*), nec unquam Ecclesiae consensu probata sit, merito uti spuria habetur, et Iudaeo cuidam II saeculi auctori adiudicatur. - Tertium Esdrae librum, graece simpliciter Ἔσδρας, vel Ὁ Ἱερεύς (כֹּהֵן) *Sacerdos* inscriptum (quique antiquitus aliter aliterque dispositus (*c*), communiter tamen in LXX versione, necnon in plerisque Vulgatae codicibus atque editionibus Sixtina vetustioribus, primi Esdrae nomen et locum obtinet), propter altius petitum exordium, germani Esdrae libri paraphrasim recte diceres crebris in locis inculcatam atque corruptam; demtis enim nonnullis quae partim ex Paralipomenis (*d*), partim ex Nehemiae libro depromta (*e*), aut incertae originis sunt (*f*), reliqua cum Esdrae libro ferme consentiunt (*g*); nisi quod graecus interpres (*h*) multa saepe mutat et addit, copiosius exponit, aut arctius astringit, nonnunquam temere, imperite atque absurde; interdum consulto, quia

(*a*) Praeter sup. laudatos, ab auctore sermonis in Public. et Pharis. opp. Chrys. tom. VI, Antonio monacho lib. II melissae serm. XCIV, Theodor. Studita serm. cathec. XCIII, Suida ad v. Μανασσῆς.

(*b*) Freculfus IX saeculi scriptor primus illam allegavit. Armeni esurialibus diebus ter illam frequentant.

(*c*) Vence, l. cit. p. 22.

(*d*) Cf. III. Esdr. I. cum II. Par. XXXV-XXXVI, unicum discrimen in eo est quod III. Esdr. I, 21-22 abundat, et II. Par. XXXV, 11 deficit.

(*e*) Cf. III. Esdr. IX, 37-55 cum Neh. VII, 73 - VIII, 13.

(*f*) III. Esdr. III-V, 6.

(*g*) Cf. III. Esdr. II, 1-14 cum Esdr. I; II, 15-25 cum IV, 7-24; V, 7-70 cum II-IV, 6 (V, 55 tamen superadditum, et III, 8 omissum est); VI cum V-VI, 12: VII cum VI, 13, seq., VIII cum VII-X, 6; IX, 1-36 cum X, 7, seq., v. Eichhorn, op. cit. p. 337-38.

(*h*) Neque enim auctoris, summum compilatoris nomen meretur; perperam autem Morinus (Exercitat. bibl. p. 225) hunc aramaice scripsisse ponit, quod cum Hellenista aegre competit; versio syriaca quae in polyglottis Londinensibus habetur, latinaque duplex, vulgata scilicet Hieronymo antiquior, aliaque a Sabatierio edita (l. cit. p. 1041-67) e graeco expressae sunt.

graecitatis (*a*) studiosior curavit ut sanior dictio, clarior atque fluentior exsisteret oratio; at non raro diversitas ex varia exemplaris lectione (*b*) quod interpres propositum habuit, aut ex falsa eiusdem interpretatione repetenda est. Cum igitur hic liber ex *canonicis* voluminibus maximam partem excerptus sit, in adscititiis autem nihil a morum honestate vel a recta fide alienum exhibeat, facile intelligimus quare ab ullis olim Patribus, graecis praesertim, laudatus sit, aut etiam sacris annumeratus (*c*). At enim cum non solum Hebraei illum a canone excluserint, sed iam inde a Hieronymi aetate (*d*) in aliquibus LXX versionis codicibus desideraretur, proindeque nedum eos qui Hebraeorum canonem secuti (*e*) unum tantum Esdrae librum memorarunt, verum ne illos quidem qui Graecorum more duos distinxerunt prioris aut alterius nomine tertium Esdrae librum intellexisse, multoque minus inter hagiographos illum retulisse compertum sit (maxime quod et alios certe apocryphos ipsosque profanos allegare identidem Patres consueverunt); cum insuper a Hieronymo luculen-

(*a*) Hac Symmachum aequiparat, quo tamen una saltem aetate antiquior est, quippequem Iosephus ad verbum saepe secutus videtur Antiq. l. x, c. 4, § 5 - c. 5, § 2, cf. Eichhorn, op. cit. p. 346-351.

(*b*) Ex variis hisce lectionibus plerumque corruptis (v. de Wette, Einl. § 297 (*b*)), nonnullas tamen receptis in sacro textu praestare, earumque proinde cum parallelis Esdrae, Nehemiae et Paralipomenôn locis collationem ad criticam horum textuum atque versionum integritatem, necnon ad pleniorem hebraicarum, graecarumque vocum significationem assequendam nonnihil conducere multis probat Trendelenburg ap. Eichhorn. op. cit. p. 354-376.

(*c*) Iustinus in dial. cum Tryph. p. 297, Origenes, hom. IX in Iosuam, Athanasius, ep. de sent. Dyonis. p. 261, apol. ad Const. p. 302, orat. III c. Arian. p. 488, Cyprianus, ep. LXXIV ad Pompeianum, opus imperf. in Matth. hom. I, Pseudo-Athanasius in Synopsi, Augustinus, de civ. Dei l. XVIII, c. 36, aliique.

(*d*) Ep. ad Domn. et Rogat. seu praef. in lib. Esd. et Neh.

(*e*) V. sup. pag. 413, not. (*a*).

tissimo Bibliorum integritatis assertore expresse, quippe nugis somniisque (*a*) refertus, fuerit reprobatus (*b*), eiusque iudicium tum a Latinis omnibus, tum a Graecis ipsis in Florentino concilio, totiusque Ecclesiae consensu in Tridentino praesertim confirmatum sit, iure meritoque illum supposititium cuiusdam Hellenistae fetum censemus, qui vitam Zorobabelis corruptae traditionis pigmentis exornaturus, Esdrae librum convertit, adauxit, interpolavit. - Neque sincerioris originis censendus est quartus; quamquam enim nonnulli ex antiquioribus Patribus illum allegarunt, sacrisque accensuerunt (*c*), suamve plures opinionem de Bibliorum per Esdram renovatione (*d*), deque proximo mundi fine hinc desumsisse videntur, sicut et Ecclesia ipsa quasdam preces mutuata est (*e*); nil tamen inde concluditur, haec siquidem neque *epistolas*, neque *lectiones*, sed illas supplicationes depromsit, quae ex aliis atque *canonicis* libris interdum excerptae sunt, qua pari ratione Patres alios identidem citarunt aut adhibuerunt; quorumdam autem testimonium sacrum illum existimantium, reliquis tacite aut aperte (*f*) contradicentibus, imo

(*a*) Haec scite, verum supervacuo refutata videsis ap. Vence, l. cit. p. 28-29, 114-29, Marchini, de div. et can. S. Bibl. Taurini, MDCCLXXVII, pag. 146-47.

(*b*) Loc. cit. p praec. not. (*d*).

(*c*) Auctor epistolae Barnabae tributae c. XII, Clemens Alex. l. I et IV, Strom. p. 330, 468, Tertullianus, de praescr. l. I, c. 1, c. Marcion. l. IV, Cyprian. ad Demetrian. circa initium, auctor op. imp. in Matth. hom. XXXIV, comm. in Marc. inter opp. S. Hieron., tract. testimon. de adv. Dom. in carne, inter opera Greg. Niss., praesertim vero Ambrosius, de bono mortis c. X, n. 45, c. XI, n. 51, de Sp. S. l. II, orat. in obitu fratris Satyr. c. VII, ep. XXXVIII ad Orontian.

(*d*) V. sup. pag. 469, not. (*a*).

(*e*) *Antiphona* in *officio* martyrum temp. Pasch. ex IV Esdr. II, 35; ℣ et ℟ in officio defunctorum ex vv. 34-35; *introitus feriae* III hebdom. Pentec. ex vv. 36-37; *responsorium* in *officio* Apost. ex v. 45.

(*f*) Hieron. adv. Vigilant. et praef. in Esdr. et Neh.

Ecclesia universim refragante, nihili facimus; non modo enim in nullo sacrorum librorum catalogo continetur, sed Hebraeis ignotus, apud Graecos iamdudum oblivione obsoletus atque deperditus est (*a*), in antiquioribus autem latinis codicibus atque editionibus plerumque desideratur: et quidem merito, nam inter plura honesto cuilibet probanda, multa falsa ineptaque tradit (*b*), temporum rationes perturbat, Rabbinorum figmenta (*c*) cum Christianorum placitis permiscet, ipsisque Evangelii verbis praepostere utitur (*d*), sed et rei Christianae eventus praeoccupat (*e*),

(*a*) Quare ne graece quidem nunc exstat, nedum hebraice; utrum vero hac lingua olim exstiterit, ignoramus, nemo enim unquam id novit: sane Picus Mirandulanus (Apolog. p. 117-118) non IV Esdrae librum, ut Genebrardus contendit (Chron. ad an. 3450), sed aliorum LXX qui inibi (IV. Esdr. XIV, 21) celebrantur compendium Syrorum lingua descriptum se habere gloriatus est, qua in re verba sibi dare a Iudaeis passum fuisse Morinus (op. cit. 292), Richardus Simonius hist. crit. du V T. p. 458), aliique demonstrarunt: neque ex materie, stylo, dictione id certo licet cum Morino (op. cit. p. 225) coniicere; nam cum eo quod haec in Hellenistam Esdrae personam ementitum, ac Iudaeorum scripta compilantem conveniunt; tum prima et postrema capita quae hebraicam magis indolem referunt, sero videntur apposita, quippequae desunt in arabica versione, cuius ineditum exemplar Oxonii in bibliotheca Bodleiana asservatur; ibidem anno MDCCCXX versio aethiopica a R. Lawrence in medium prolata, et latine angliceque reddita est; arabicae et latinae versionis discrepantias videsis ap. Fabricium Cod. Pseudep. V. T. tom. II, p. 193-307, varias Vulgatae lectiones e codice Sangermanensi exhibet Sabatier, l. cit. p. 1069-84; plura suppeditaret codex alius ab editis admodum diversus, cuius meminerunt Benedictini in praef. ad lib. Ambros. de bono mortis.

(*b*) IV. Esdr. I, 11, 22-23, 39-40, II, 33, III, 1, IV, 41-42, V, 42, X, 22, XIV, 11-12.

(*c*) I, 40, III, 6, IV, 36, V, 20, 45, VI, 49-50, VII, 32, X, 45, XIII, 44, 47, XIV, 11, 21.

(*d*) I, 35, II, 10-11, 18-19, 23, 26, 34, 47, III, 21-22, V, 9, VI, 24, VII, 18, 26-29, 46-48, VIII, 6, 15-18, 20-61, IX, 2-3, 21, XIII, 36, XIV, 11; IV, 35 ad Apoc. VI, 9-10, et II, 16 ad Clem. Rom. ep. I ad Cor. I, 50 alludere videtur.

(*e*) II, 34, V, 5-6, VI, 25, XIII, 1, seq.

ut manifestum sit homini ex Iudaeo Christiano attribuendum esse, qui II vertente saeculo, quo facilius gentilicios ad Christi fidem pertraheret, *pia*, ut vocant, fraude Esdram ipsum induxerit quaedam Christianorum dogmata prophetali sensu praecipientem, receptisque, id aetatis, Iudaeorum involucris atque integumentis promulgantem; indeque factum est ut interdum Ἀποκάλυψις Ἔσδρα, Esdrae revelatio nuncuparetur (*a*). - Tertius Machabaeorum liber ita nominatur, propterea quod eventa iis admodum similia persequitur, quae deinceps Machabaeorum aetate contigerunt (*b*), religiosam nempe Iudaeorum in Ægypto fidem sub Ptolemaeo Philopatore in summum discrimen adductam, quod tamen illi, providente numine, aeque fortiter, magis etiam feliciter quam Machabaei sub Antiocho, superarunt. Qua aetate compositus sit non constat, sero tamen, iamque duobus prioribus dudum editis prodiit, alioquin haud tertius esset ordine, qui serie temporis primus esse debuisset (*c*). Latet auctoris persona: gente tamen Iudaeum ostendit libri argumentum, pietas, sanctitas, atque religio; domo Ægyptium sive Alexandrinensem demonstrat ornatum, artificiosum, nonnihil inflatum ac ferme poëticum scribendi genus, necnon vera ac diligens rerum Ægyptiacarum descriptio (*d*). Neque historica fides ex toto illi deneganda est; demus enim quaedam adiuncta aut rhetorum more conficta, aut traditione, cuius

(*a*) Nicephorus Homologeta can. II-III.

(*b*) V. sup. pag. 576, not. (*b*).

(*c*) Quae hic narrantur anno ante Chr. CCXVII-CCXVI evenisse videntur, Epiphanis igitur aetatem XL circiter annos antecesserunt; alia tamen hunc librum fuisse complexum, neque integrum superesse ex particula δὲ *autem* (v. sup. pag. 355, not. (*d*)), qua exorditur (I, 1), necnon ex insidiis atque amicis (I, 2, II, 25) iam antea, ut videtur, indicatis colligitur.

(*d*) Puta locorum et mensium nomina I, 2, IV, 11, VI, 38, VII, 17 graece.

ille pedisequus, exaggerata sive corrupta fuisse; facta tamen praecipua externorum haud secus ac domesticorum testimonio confirmantur (*a*). Mirum propterea non est si hic liber graecis quibusdam Patribus probatus sit (*b*), LXX autem editionis codicibus, necnon syriacae (*peschito*) versioni adiectus; verum a Graecis plerisque inter incertos (*c*), vel extra canonem reiectus (*d*), Latinis iugiter ignotus (*e*), nunquam Ecclesiae suffragium reportavit. -

(*a*) Philopatoris indoles, belli adversus Antiochum M. suscepti causa et exitus, privilegia Hebraeis antea concessa, quibus deinde spoliati sunt, partim a Polybio v, 79-86, Iustino xxx, 1, Hieronymo, comm. in Dan. xi, 11, partim a Ios. Antiq. l. xii, c. 1, § 1, c. Apion. l. ii, c. 5 consimiliter exponuntur; hic etiam ibidem tum prodigiosam Iudaeorum liberationem, tum festum propterea institutum commemorat, nisi quod alia prorsus rerum, temporum ac personarum adiuncta producit: ponit enim haec sub Physcone evenisse, cui Cleopatram a regno deturbare molienti restiterit Iudaeus Onias, copiarum dux a regina constitutus; hinc regis in Hebraeos irae. Hanc narrationem Bertholdtius (op. sup. cit. § 295) probabiliorem putat, propterea quod Physconis usurpatio certa sit, altum vero de Philopatoris in Iudaeos simultate silentium; at enim nec de Physconis in Hebraeos odio quidquam unquam audivimus; nec iste, ut Iosephus aut eius interpres Rufinus (Ios. opp. ed. Froben. p. 874) perhibuerunt, Philometoris filius, sed frater; neque contra germanos, sed adversus nepotem de regno dimicavit; e contrario quod Philopator a Solymorum sacrario adeundo utcumque prohibitus, iram in Hebraeos conceperit, inque suos subditos explere decreverit, neque incredibile est, neque a regis indole abhorret, aut ullis demum historiae rationibus adversatur; porro haud mirum est frustratum eius propositum silentio a scriptoribus praetermissum fuisse. Ceterum haec utriusque narrationis in parergis varietas, neutrum scriptorem alterius opus descripsisse demonstrat, proindeque rei substantiae veritatem confirmat.

(*b*) Can. Apost. LXXIV, quod opus III post Chr. saeculo prodiit, Theodoretus in Dan. XI, 7, Eusebius in Chron. ad an. 1805.

(*c*) Ἀντιλεγόμενα, Pseudo-Athanas. in Synopsi, Nicephorus Archiep. Constantinopolitanus in fine Chronogr.

(*d*) Ἔξω τῶν Ο, *extra* LXX, v. Coteler. not. in Can. Ap. p. 117-18, 338. Philostorgius, hist. eccl. l. I, c. 1 apud Photium; Sync. Chronogr. p. 293. Georgiani et Armeni hunc, uti III et IV Esdrae, pro apocryphis habent.

(*e*) Latina vetus versio nulla exstat, nova a Flaminio Nobilio edita una simul cum syriaca liberiori in Polyglottis Londin. inserta est.

Quod aequiori iure de quarto affirmandum, quem Latini nunquam agnoverunt, quidam autem ex Graecis (*a*) nudo tantum nomine nobis designarunt, incertum propterea quem revera intellexerint (*b*); videntur tamen librum significare voluisse, qui plerisque graecis Bibliorum codicibus sub titulo *Iosephi de imperio rationis, seu IV Machabaeorum*, vel hoc tantum nomine ordine postremus accessit (*c*), in nonnullis autem LXX editionibus (*d*) Ἰωσίππου εἰς τοὺς Μακκαβαίους βιβλίον, *Iosephi in Maccabaeos libellus* inscribitur; quique sive Iosepho, sive Iudaeo cuilibet eiusdem aequali attribuatur (*e*), non modo in dogmatibus, sed et in sacra atque profana historia tam frequenter offendit (*f*), ut nedum divinam, ne humanam quidem fidem mereatur. - Ex quibus pronum erit concludere paucorum apocrypha probantium testimonium *canonicorum* auctoritatem confirmare magis quam imminuere; patet enim nunquam omnibus hac in re fucum fieri potuisse, neque temere et inexplorate, sed librorum natura probe accurateque perpensa, eosdem in canonem relatos, vel inde exclusos fuisse.

(*a*) V. Pseudo-Athan. in Synopsi, aliosque p. praec. not. (*d*) laudatos.

(*b*) Sixtus Senensis (Bibl. S. l. I, p. 39) eumdem putat cuius I. Mach. XVI, 24 mentio est; tricennalem scilicet historiam pontificatus Hyrcani quam ex hebraeo translatam in quodam graeco codice (mox dein absumto), se deprehendisse pluribus persuasit: huius versionem (ampliorem tamen, quippequae a Seleuco Antiochi M. filio ad Christi usque tempora decurrit) censendam esse arabicam Machabaeorum historiam a Le Jeay repertam, atque in Polyglottis Parisiensibus, dein in Londinensibus relatam multorum opinio fuit; at non modo Iosepho, a quo saepe dissentit, sed veteribus omnibus ignota fuisse videtur; quotquot enim Machabaeorum libros secuti, post Simonis obitum, filii Hyrcani historiam continuarunt (Euseb. dem. Ev. l. VIII, c. 2, Hier. in Dan. c. IX), quartum hunc librum nunquam laudarunt aut adhibuerunt.

(*c*) V. not. Combefisii in cit. lib. Ios. et Cotelcr. l. sup. cit.

(*d*) Argentoratensi a. 1526, Basileensibus 1545, 1550, Francofurtensi 1597, Veneta 1687, v. Fabric. Bibl. Graec. l. cit. p. 748.

(*e*) V. sup. pag. 584, not. (*c*).

(*f*) Hos errores notatos videsis ap. Vence, op. cit. p. 323, 329-31.

INDEX

ADDENDA ET EMENDANDA.

Pag. 12 not. (*a*)		*adde* Sixtinae plures mss. codices aliaeque editiones suffragantur, v. Wallarsius opp. s. Hieron. t. IX, col. 568.		
″ 14	lin. 18	authentici	*lege*	authentica
″ 29	″ 12	Petrus,		Patres
″ 30	″ 8	desumtus. Quae etc.		desumtus (*a*). *Sequens integrum comma, ceu nota, ad pagellae calcem deprimito.*
″ 34 not. (*a*)	″ 4	*adde* cf. Mosis Chorenensis hist. armen. c. XVIII, p. 51-53, ed. Whiston Londin. MDCCXXXVI.		
″ 37 not. (*b*) / ″ 38 not. (*a*)	″ 3	Lévant		Levant
″ ″ ″	″ 1	Gothovici		Cotovici
″ 43	″ 10	Galeaditide		Galaaditide
″ 52 not. (*b*)	″ 6	quare		proindeque
″ 53	″ 9	Sunt qui		XXXI. Sunt qui
″ ″	″ 15	XXXI. Utrumque		Utrumque
″ 54	″ 2	Ievohae		Iehovae
″ 75	″ 2	poëtice		poëtria
″ 83	″ 15	nimium		nimirum
″ 92	″ 15	Gabaonitarum		Gabaitarum
″ 93	″ 13	*dele* ipsae		
″ 98 not. (*a*)	″ 1	Vulgatus		Vulg. CXXXI, 8
″ 101	″ 21	exemplo		exemplum
″ 103	″ 12	lamentaturae		lamentantium
″ ″	″ ″	Amalecitarum		Ammonitarum
″ ″	″ 16	Gabaonitarum		Gabaitarum
″ 108	″ 7	ex		ea
″ 110	″ 23	veracitate		sinceritate
″ 115 tab.	″ 11	eis		trans
″ ″ ″	″ 14	trans		eis
″ 117 not. (*a*)	″ 3	*adde* Scholz, N. Testamentum graece (Lipsiae 1830-36, 2 vol. in 4.°) in h. l., Euseb. Chron. Venet. 1818, p. I, pag. 159, seq. Sulpitii Severi hist. ed. Veron. t. II, p. 67.		
″ 138	″ 6	renovabantur?		renovabantur.
″ 142	″ 25	sibi		suis
″ 155	″ 13	Gabaonitae		Gabaitae
″ 156 not. (*b*)	″ 4	Gabaonitarum		Gabaitarum
″ 164	″ 1	homines		hominis
″ ″	″ 25	(*a*)		(*d*)
″ 175 not. (*a*)		*dele et ad calcem antecedentis pagellae apponito.*		
″ 178	″ 4	speculata		speculatam
″ 181 not. (*c*)	″ 3	inservirent		inserviret
″ 182 *	″ 2	*adde* vol. II, p. 116-119.		
″ 209	″ 20	oriundam	*adde*	(praeter Chananaeas quippe flagitiosissimas)
″ 230	″ 14	*dele* ab		

Pag. 249		lin. 12	centena . . . millia	*lege* centenum . . . millium
″ 253		″ 22	hunc	hoc
″ 254		″ 16	arguere	argueret
″ 255	not. (*f*)	″ 1	Galileae	Galilaeae
″ 256		″ 20	congredebantur	congrediebantur
″ 258		″ 10	attingebat	attingebant
″ ″		″ 14	vicinia	viciniam
″ 260	not. (*d*)	″ 1	Attico	Attica
″ 273		″ 7	invadisse	invasisse
″ 274	not. (*b*)		B.	Ps.
″ 278		″ 2	causa	causam
″ 293		″ 19	consensione	consensionem
″ 313		″ 3	quingentis	quadringentis
″ 322	not. (*a*)	″ 10	quam	quem
″ 323		″ 8	supellectili	supellectile
″ 324		″ 15	neutro	neutri
″ 332		″ 17	qui	quod
″ 341		″ 1	atque	utque
″ 342		″ 21	audiri	audire
″ 346	not. (*a*)	″ 6	minus	magis
″ 351	not. (*a*)	″ 2	in II	in lib.
″ 354	not (*b*)	″ 2	Gunz	Zunz
″ 357		″ 6	opere	libro
″ 368	not. (*c*)	″ 6	quem	quam
″ ″		″ 7	oriundum	oriundam
″ 369		″ 19	Manahemi	Manahemo
″ 371	not. (*d*)	″ 12	Levi	Iudae
″ ″		″ 14	Iudae	Levi
″ 376	not. (*a*)		Eccli,	Ecci.
″ 395		″ 5	Ioas	Iosias
″ 398		″ 12	CLV	CL millibus
″ 400		″ 1	*adde* Hazaëlis copiarum dux, Iudaeorum exercitu eiusque principibus caesis, Ierusalem commodum obsessurus advenerat cum delinitus muneribus deflexit, urbemque obsidione liberavit.	
″ 402		″ 1	octoginta	octoginta quinque
″ 408		″ 7	virtutum	virtutis
″ 409		″ 22	Ammon	Amon
″ 410		″ 11	orationem	orationem (II. Par. XIII, 4-12)
″ 422		″ 11	Porro	Porro nomen
″ 445		″ 3	numerarentur	numerantur
″ ″		″ 6	Iaddoae	Ieddoae
″ 450	not. (*a*)	″ 4	lect. XV	tom. II, lect. XIV
″ 455		″ 11	simul	semel
″ 458	not. (*b*)	″ 8	saeculos	sacculos
″ 466	not. (*g*)	″ 8	Dyon	Dion
″ ″		″ 9	Dydimus	Didymus
″ 471		″ 4	Mach.	I. Mach.
″ 472	not. (*c*)	″ 11	prohibiti	prohibitis
″ 478		″ 1	utramque	utrumque
″ 479		″ 20	tertia	quarta

Pag. 479		lin. 21	quarta	*lege* quinta
〃 〃	not. (*c*)	〃 2	factum	factum
〃 483		〃 14	triennalis	trinoctialis
〃 484	not. (*d*)	〃 2	per id tempus	per totidem dies
〃 492		〃 4	solaecismi	soloecismi
〃 496		〃 1	habita	habitam
〃 501	not. (*c*)	〃 5	Phaeniciaeque	Phoeniciaeque
〃 502		〃 7	*dele* aut	
〃 〃		〃 8	benignus	aut benignus
〃 505		〃 5	ullo	ulli
〃 507		〃 17	altitudinem	latitudinem
〃 〃		〃 18	latitudinem	altitudinem
〃 508		〃 18	at	et
〃 510		〃 30	obtinuerunt)	(obtinuerunt
〃 511	not. (*b*)	〃 3	colonias	coloniae
〃 517		〃 6	antiquioribus ,	antiquioribus
〃 〃		〃 10	certissime	citissime
〃 519		〃 16	victorum	devictorum
〃 532	not. (*b*)	〃 4	Esdrae	Estheris
〃 534		〃 17	minus ,	minus
〃 536		〃 22	quo	quod
〃 〃	not. (c)	〃 1	cont. Ap.	Antiq.
〃 537	not. (*d*)	〃 2	ipos	ipsos
〃 541		〃 18	posthetico	prosthetico
〃 542		〃 4	paefecti	praefecti
〃 551		〃 25	duos	quinque
〃 566		〃 6	oblitamque	ab eoque oblitam
〃 574		〃 6	asseruentes	asserentes
passim			obliquo	oblique

In hebraicis graecisque vocibus.

Pag. 18	not. (*c*)	lin. 1	גְּלִילַה	lege גְּלִילָה
〃 129	not. (*b*)	〃 7	הֶרֶס	חֶרֶס
〃 134	not. (*b*)	〃 7	הֲמוֹר	חֲמוֹר
〃 174		〃 22	יָמִימ	יָמִים
〃 290	not. (*a*)	〃 1	סִפְּרוֹ	סִפְרוֹ
〃 316		〃 39	הִלְהוֹת	הִלְכוֹת
〃 356	not. (*b*)	〃 10	לְבָכוֹ	לְבָבוֹ
〃 419	not. (*c*)	〃 12	חֲזֵק	חַזֵּק
〃 486		〃 12	אַהֲרוֹן	אַחֲרוֹן
〃 214	not. (*b*)	〃 4	῞Ο	Ὁ
〃 473 *		〃 4	ὦς	ὡς
〃 493		〃 28	Ῥασσις	Ῥασσίς

In citationibus.

Pag. 21	lin. 1	XIV	*lege*	XIX
〃 〃	〃 2	XXIII		XVIII
〃 〃	〃 26	XII		XIV
〃 22	〃 8	6		7
〃 52 not. (*c*)	〃 2	33		35
〃 57 not. (*c*)		22		22-26
〃 93 not. (*a*)		1-31		1, 31.
〃 94 not. (*b*)	〃 1	Ex. VII, 2, Num. XII, 6. 20. 22.		Ex. VII, 1, Num. XI, 29; XII, 6,
〃 96 not. (*c*)		39		29
〃 103 not. (*c*)		18		19
〃 124 not. (*d*)		XIV		XVI
〃 126 not. (*b*)		4		2
〃 146 not. (*b*)		ib. 13-14		ib. VII, 13-14
〃 148 not. (*b*)		VII,		VI
〃 152 not. (*k*)		27		30-31
〃 155 not. (*a*)		21		12
〃 161 not. (*e*)		*dele* V,		
〃 164 not. (*a*)		XV, 23		XIX, 13
〃 168 not. (*e*)	〃 1	LXIX		CXVIII
〃 171 not. (*a*)		2. Paral. - Ps. CXVIII		II. Paral. - Ps. CXLVIII
〃 〃 not. (*c*)		II, 11		II, 36-38.
〃 172 not. (*a*)	〃 2	24		23
〃 181 not. (*a*)		XXI		XVI
〃 183 not. (*c*)		22		23
〃 189 not. (*c*)		XXII		XXI
〃 206 not. (*l*)		6		5
〃 208 not. (*c*)		4		3-4
〃 219 not. (*b*)	〃 2	XIII, 6		XIII, 9
〃 222 not. (*f*)		X, 5. 8		X, 5, 8 (hebr.)
〃 223 not. (*c*)		I		II
〃 231 not. (*f*)		I		II
〃 235 not. (*l*)		LXXXIII		LXXVII
〃 236 not. (*h*)	〃 2	II. Reg. 5-14		II. Reg. XVI, 5-14
〃 〃 〃	〃 7	II. Reg. XXI		I. Reg. XXI
〃 237 not. (*a*)	〃 2	Ier. XXIII		Ier. XXXIII
〃 263 not. (*c*)		XXI		XVI
〃 268 not. (*a*) (*b*)		I. Reg.		II. Reg.
〃 269 not. (*a*)		I. Reg.		II. Reg.
〃 275 not. (*a*)	〃 4	XXXIV		XXVIII
〃 〃 not (*c*)		20		23
〃 281 not. (*b*)		XXI.		XXI, 16.
〃 290 not. (*b*)	〃 6	14, 14		14-15
〃 291 not. (*a*)	〃 2	Ier. XXIII, 4		Ier. XXIII, 14
〃 293	〃 16	40		30
〃 295 not. (*i*)		XIII		XVI
〃 298 not. (*a*)		XXVIII		XXVII
〃 〃 not. (*c*)		XXII, 22		XXXII, 32
〃 316	〃 11	II. Reg.		III. Reg.
〃 〃	〃 26	XXVIII		XXVII
〃 317 not. (*a*)		20		18

Pag.	318	not. (*c*)	lin. 1	IV. Reg.	*lege*	III. Reg.
″	322	not. (*a*)	″ 11	I,		III. Reg. I,
″	″	″	″ 27	Paralip XVII		I. Par. XVII
″	″	″	″ ″	II. Paralip.		I. Par.
″	″	**	″ 1	Reg.		II. Reg.
″	333	not. (*b*)	″ 1	Ib. XII, 2, 32		Ib. XIII, 2, 32
″	335	not. (*d*)	″ 3	XII		III. Reg. XI
″	343	not. (*c*)		306		302-303
″	349	not. (*a*)	″ 1	23		33
″	″	not. (*b*)		15, 16		15
″	356	not. (*b*)	″ 11	XII		VII
″	357	not. (*c*)	″ 1	VIII		XXIII
″	″	″	″ 2	35		25
″	364	not. (*b*)		18		20
″	″	not. (*c*)	″ 1	Ioël. III, 8-10		Ioël. I, 14, II, 12, 15
″	″	″	″ ″	Ion. VIII, 19		Ion. III, 7-8
″	″	″	″ ″	*dele* 19		
″	″	not. (*f*)	″ 1	XVI, 8		XVII, 7
″	367	not. (*c*)	″ 2	33-36; VI, 1-34		VI, 7-10, 20-47
″	368	not. (*b*)	″ 1	XXII 21-24		XVII 21-23
″	″	″	″ 2	42		39-41
″	″	not. (*c*)	″ 5	14		13
″	″	″	″ 7	XXII		XVII
″	″	″	″ 16	33		23
″	371	not. (*d*)	″ 3	44		23
″	″	″	″ 9	25		23
″	″	″	″ 10	II.		II, 6.
″	″	″	″ 11	37		31
″	″	″	″ 13	29		44
″	″	″	″ 18	29-		20
″	372	not. (*a*)	″ 1	XXIV		XXIII
″	″	″	″ 3	28		38
″	″	not. (*d*)	″ 2	27		26
″	″	″	″ 3	34		34 hebr.
″	″	″	″ 4	XXVII, 27		XXIV, 27 hebr.
″	373	not. (*c*)	″ 21	18		19
″	″	″	″ 24	XIII		XVI
″	375	″	″ 5	ib.		IV. Reg.
″	376	not. (*b*)	″ 5	1-7		1-17
″	377		″ 2	4-8		4-7
″	″		″ 10	XI, 15-28		IX, 10-28
″	″		″ 23	33, 35		33-35
″	″		″ 26	XXIII		XVIII
″	″	not. (*a*)	″ 9	IX, 7		X, 13
″	378		″ 18	13		12-13
″	381	not. (*a*)		XXXIII		XXIII
″	″	not. (*h*)		I. Par.		II. Par.
″	382	not. (*g*)	″ 2	45		49
″	″	″	″ 4	XXXII		LXXXII
″	383	not. (*f*)		19-21		19-22
″	″	not. (*h*)	″ 2	32.		22, seq.
″	″	not. (*k*)		XXI		XXII
″	385	not. (*f*)	″ 3	XXIV		XXXIV

Pag. 387	nat. (*a*)	lin. 2	19-21	*lege*	19-22
〃 389	not. (*c*)		12		13
〃 〃	not. (*e*)		XXXIII		XXIII
〃 392	not. (*a*)		16-17		15-16
〃 393	not. (*d*)	〃 2	pag. 9, not. (*b*)		pag. 377, not. (*a*)
〃 395	not. (*d*)		I. Par.		II. Par.
〃 397	not. (*e*)		XXVI		XXXVI
〃 〃	not. (*g*)		8		7
〃 〃	not. (*l*)		8		18
〃 398	not. (*e*)	〃 4	17		18
〃 〃	not. (*c*)		18-19		18-20
〃 〃	not. (*f*)		II. Reg.		IV. Reg.
〃 〃	not. (*g*)		XXXI		XXXVI
〃 400		〃 30	I. Par.		II. Par.
〃 〃		〃 31	II. Par.		I. Par.
〃 〃	not. (*a*)	〃 1	III. Reg.		IV. Reg.
〃 401	not. (*c*)		XXXIII		XXIII
〃 403	not. (*b*)	〃 2	V, 6		X, 26
〃 404	not. (*b*)	〃 4	4-5		III, 4-5
〃 409	not. (*d*)	〃 1	18, XXX, 34		18-19, XXX, 3-4.
〃 411	not. (*b*)	〃 2	6-14		III, 6-14
〃 420	not. (*i*)	〃 2	XXXVI		XXXVII
〃 421		〃 27	3		2
〃 〃	not. (*d*)	〃 2	ib. 9		Neh. VIII, 9
〃 422	not. (*d*)	〃 1	6, 6,		6, VI,
〃 424	not. (*a*)	〃 17	33		35
〃 〃	〃	〃 20	13,		13, 33
〃 425	not. (*c*)	〃 3	31, 35		31-35
〃 426	not. (*a*)	〃 3	VI		VII
〃 432	not. (*d*)		X, 2		XIII, 1-3
〃 434	not. (*a*)		4, 5		4, V
〃 435		〃 4	XXI		XXII
〃 438		〃 6	10		XII, 10
〃 441		〃 18	35		46
〃 453	not. (*d*)	〃 1	II. Par.		I. Par.
〃 454	not. (*c*)	〃 7	ib.		ib. 12
〃 456	not. (*b*)	〃 5	10.		10, graec.
〃 460		〃 26	VII		XI
〃 464	not (*c*)		XXIX		XIX
〃 465	not. (*a*)	〃 7	XXIX, 33		XIX, 13
〃 466	not. (*b*)	〃 2	*dele* VIII, 20		
〃 467	not. (*d*)	〃 2	25		27
〃 468	not. (*b*)	〃 1	7		8
〃 469	not. (*d*)	〃 1	P. I		P. II,
〃 470	not. (*a*)	〃 14	29		39
〃 471		〃 4	Mach.		I. Mach.
〃 484	not. (*e*)		Iud. V, 6		Iudae, 6
〃 486	not. (*a*)	〃 1	III, 37		VI, 17
〃 491	not. (*b*)	〃 23	33		13
〃 492	not. (*a*)	〃 5	XXXIII		XXIII
〃 〃	〃	〃 10	8,		8 (Vulg. 9)
〃 〃	not. (*b*)	〃 16	VIII		VII
〃 〃	〃	〃 17	21		22

Pag. 492 not. (*b*)	lin. 18	III	*lege* II
″ 493	″ 25	ib.	ib. 5
″ 494 not. (*f*)	″ 1	VI, 2-7	VI, 2-6
″ ″ ″	″ 2	4-18	4-17
″ 495 not. (*a*)	″ 8	12, 14	12-14
″ ″ ″	″ 9	XI	X
″ ″ ″	″ 11	10-13	10-12
″ ″ ″	″ 21	I, 8-10	I, 2-9
″ ″ ″	″ 22	1-8	1-5
″ 498 not. (*b*)	″ 1	14	19
″ ″ ″	″ 2	19	14
″ ″ ″	″ ″	1-23	1-21
″ ″ ″	″ ″	1-21	1-23
″ ″ not. (*c*)	″ 3	VIII	VII
″ 503 not. (*f*)		XXXIII	XXIII
″ 504 not. (*b*)		10	9
″ ″ not. (*d*)	″ 5	p. 9, not. (*q*)	p. 496, not. (*b*)
″ ″ not. (*e*)	″ 5	10	9-10
″ ″ ″	″ ″	35	25
″ 505	″ 27	(*c*)	(*b*)
″ 507 not. (*a*)		II, 7, III, 15	II, 13-14, III, 14
″ 511 not. (*a*)	″ 5	22	23
″ 518 not. (*e*)		II, 17	gr. ib. 12-13.
″ 528 not. (*a*)		17	27
″ 530 not. (*f*)	″ 1	II, 23	II, 21-23
″ 531 not. (*a*)	″ 1	1-2,	1-2;
″ ″ ″	″ 3	VI, 3,	VI, 3;
″ ″ ″	″ 4	V, 2,	V, 2;
″ 535 not. (*c*)	″ 3	III	IV
″ 544 not. (*d*)	″ 1	I, 1	I, 2
″ 546	″ 10	IX	IV
″ 548	″ 15	13	12
″ ″ not. (*b*)	″ 13	(*c*)	(*e*)
″ 549 not. (*h*)	″ 8	1-5	1-4
″ 550 not. (*a*)	″ 4	I, 10, 3, 1	I, 5, 10, 14
″ 551 not. (*c*)	″ 18	*dele* XV, 1	
″ 553 not. (*a*)	″ 3	I, 3	I, 3-4
″ ″ ″	″ 14	II, 16	II, 16 coll. I, 3
″ 562 not. (*b*)	″ 4	Gen.	Ex.
″ ″ not. (*c*)	″ ″	IX	9
″ 563 not. (*g*)	″ 1	VII	VI
″ 565 not. (*b*)	″ 3	III	IV
″ 567 not. (*b*)	″ 7	v. IX, 11.	cf. VIII, 11.
″ 568 not. (*a*)	″ 1	XI	XII
″ 569	″ 16	11	10

V. ex deleg. D. D. Archiep.
Can. AL. VOGLIOTTI.

V. MELANO Praeses.

PEYRON Moderator.